ELEGANTIORES PRAESTANTIUM VIRORUM SATYRAE, QUARUM...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
20 B
8 M

11-3-A-30
~~11-3-A-30~~
~~6-42-e-142-~~
~~11-7-E-16~~

Digitized by Google

XXXIII. 19. 8.

Digitized by Google

ELEGANTIORES PRÆSTANTIUM VIRORUM SATYRÆ,

Quarum titulos, & nomina auctorum, verſa pagella exhibebit.

TOMUS II.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officinâ IOANNIS MAIRE.
CIↃ IↃ C LV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Syllabus Contentorum

Funus Paraſiticum, ſive L. Biberii Curculionis Paraſiti mortualia. Nicolao Rigaltio auctore.

Erycii Puteani Comus, ſivè Phageſipoſia Cimmeria. Somnium.

Petri Caſtellani Ludus, ſive convivium Saturnale.

Famianae Stadae Romani Momus, ſive Satira Varroniana, poëſi poëtisque cognoſcendis accommodata.

Ejuſdem Academia prima, & ſecunda,

Iani Bodecheri Banningii Satyricon in corruptæ juventutis mores corruptos.

Vincentii Fabricii Satyra, Pranſus Paratus, in poëtas & eorum contemptores.

Octavii Ferrarii Satiricæ quædam proluſiones.

Ioannis Sangenesii de Parnaſſo & finitimis locis, libri duo.

Digitized by Google

FUNUS PARASITICUM,

Sive

L. BIBERII CURCULIONIS PARASITI MORTUALIA.

Ad ritum priſci Funeris.

BIBLIOTECA NAZ. ROM. VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

L. BIBERII CURCULIONIS PARASITI

MORTUALIA.

Ad ritum priſci Funeris.

ATLANTES, ut veterum ſcriptorum memoriæ narrant, placida & facili fruuntur quiete, nec inſomnia vident, qualia reliqui mortales. Equidem apud eos eſſe nimis aliquando vellem, ita me nocturnę terrent imagines, ex earúmque rerum, quas vigilans egi, aut cogitavi, reliquiis inhęrentibus, iiſque permiſtis ac turbatis, mirabiles exiſtunt ſpecies ſomniorum, adeóque

Leviſomna mens, ſomnorinas imagines
Adfatur, ſomno non umbrantur pupulæ.

Id ex mei corporis auſteriore temperatura oriri Medici putant: atque ita adfectos, ingenioſos ac πολυφαντάςυς eſſe, graviſſimi Philoſophi adſeverant. Itaque jam ferè diſcuſſa noctis caligine aureus ille totius orbis oculus ſingula quæque paullatim ac ſine ſenſu colore reddito

BIBLIOTECA NAZ. ROM. VITTORIO EMANUELE

diſtinguens, pulcherrimam noſtris oculis varietatem proponebat, ecce in ipſo crepuſculi momento, perſonæ terribiles, ſive laruæ ſint, ſive, ut Græci dicunt, μορμολυκεῖα, naturales divini laboris inducias violare viſę. Item tumultum quaſi circumſtrepentium ungularum, ſonitum etiam aſperum, dixiſſes ruditum, inaudivi:

--- ὦ πότνια χθὼν
Μελανοπτερύγων μῆτερ ὀνείρων,
Α'ποπέμπομαι ἔννυχον ὄψιν.

Horror extemplo me pavidum invaſit, & obtulére ſe mihi Lucius Apulejus & Lucianus, numeroſâ cincti monſtrorum catervâ. Ludebant autem, ut mihi tum videbatur, Harpaſto ſive ludo cœleſti: Pilam ſcilicet

--- ἕτερος ῥίπτασκε ποτὶ νέφεα σκιόεντα
Ἰδνωθεὶς ὀπίσω· ὁ δ᾽ ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ᾽ ἀερθεὶς,
Ρ'ηιδίως μεθέλεσκε πάρος ποσὶν οὖδας ἱκέσθαι.

Atque in eo ludo is demum Rex audiebat, qui pilam de cœlo veluti alteri præripuiſſet, qui nec rapere potuiſſet, aſinus habebatur. Quæ quidem ludendi ratio huc uſque ad nos, puto tranſiit. Res enim divinas, quæque cœlum proximè attinent, plærique quaſi pilas ſparſivas habent, & vicaria opera dant, reddunt, eaſque, qui ſubtilius arripit, is admodum, quam ſollers & egregiè cordatus exiſtimatur,

matur, ceteri ignavi, ſtolidi, Aſini denique cenſentur. Sed facilè & æquo animo Lucius meus Aſini appellationem inter aſinos ferebat. Nam ut arquatis, quæ lurida non ſunt, æquè ut lurida videntur.

Et contage ſua palloribus omnia pingunt.
ſic illis perfectis Aſinis Lucius videbatur Aſinus; cum tamen animo eſſet verè humano, ac pænè divino. Interea dum hęc mecum attentius conſidero, viſus mihi repentè fabulari Lucius ad hunc ferè modum:

Proh DI *immortales! Etiamne ſtolidum Aſinorum pecus per terras graſſatur, & humanam naturam, quàm ſummus ille rerum opifex mentis altæ capacem & cognatam ſideribus fecerat, ignava præcordia deformant? At enim primævæ beatitatis fructus, quaſi perenni poſſeſſione & naturali potiùs, quàm legitima ſucceſſione derivandus in poſteros, ſi nec ipſi ſe in vitium ſponte atque exitium induxiſſent, adeoque in poſt futuros innumeram monſtrorum turbam traieciſſent. Nam exinde corrupta natura, nullis elegantioris vitæ fulta præſidiis, imò fœda mancipata inertiæ, tandem in Aſininam indolem degeneravit. Atque ut de olivæ nucleo exſurgit oleaſter; ita & parentum noſtrorum ætas, cùm jam veluti*

 ſilveſtris.

ſilveſtris, à majoribus ſuis defeciſſet, tulit.

Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Scio miſertum humanæ miſeriæ Prometheum (& ſanè is mihi magis, quam Epimetheus arridet, ejuſque exemplo prudentia quadam & ſollertia vitam meam omnem rego) ſcio eum denſiſſimam ignorantiæ caliginem artium fulgore illuſtrare voluiſſe. Nam; ut rumor eſt, in cœlum quondam admiſſus, igneum ſolis vigorem diligentius inſpexit, eumq; ob mirabiles effectus, recreandis Aſininis hominibus uſui ſibi fore putavit. Ferulam igitur, quàm ad hos uſus ſecum tulerat, admovit, ignemque ipſa concepit ac celavit. Rediit poſtea Prometheus ad ſuos Aſinos, & φιλανθρώπῳ τρόπῳ, ferulam illis objecit: ut quo pacto γλυκυπίκρα medentium pocula, ſummas oras melle circumlita invalidis ægrotantium ſenſibus imponunt, interim tamen adflictam valitudinem reſtituunt: ita illi, ubi ferulam, Aſinorum delicium, adſpexiſſent, avidè eam adpeterent, & ſimul igneo flore, quem intus cluſerat, languidos & ignavos ſpiritus excitaret. Sed irritus Promethei conatus, nec ulterius ad ſperatum eventum potuit adſpirare. Nam è veſtigio conſpectâ ferulâ, Aſini, quaſi ſatietas eos cepiſſet, faſtidire, & nauſeare cœperunt, quomodo & ὄνος ἐν μύρῳ excan-

deſcit,

deſcit, & porcus margaritas roſtro proterit. Ea re iratus Iupiter, & cœleſtia dona tam nequiter abuſa agrè ferens, Prometheum diris exemplis, & ἀπανθρώπῳ πάγῳ, *Caucaſo adfigi juſſit, bis pedes, bis brachia. Atque etiamnum penderet, niſi eum à maxima mala cruce Hercules exemiſſet. Pauſam querelæ fecerat Lucius, cùm ego, licet in ipſa ſomni nebula confidentior paullò, interpellans, Quiſnam Deorum, inquam, aut hominum es? Quam rem oratum huc veniſti? Ille cum murmure: Tuus ſum Lucius, inquit, & fato neſcio quo, ſive dolo malo ad Aſinos diverteram. adſum tandem, atq; advenio Onocrene inſulâ, vel ipſi Herculi inviſâ, quippe, quæ eſt ultra Gades. Nec audiendus Pindarus, qui,* τὸ πόρσω εἶναι σοφοῖς ἄβατον κἀσόφοις *putat. Cùm enim terrenum hunc orbem Hercules obiret, & quicquid hominum commodis nocivum erat, conficeret aut certè porrò abigeret, infinitam vim Aſinorum, quæ tum fortè ſuccreverat, animadvertit omnia vaſtantem, ac veluti filicem felicibus agris innatam. Diu multumque ſudavit in ſubole nequam exſtirpanda; ſed fruſtra. Tentavit igitur, ſi ejicere, atque ad inculta & inhoſpita loca detrudere poſſet. nec malè id illi proceſſit. Nam quicquid in orbe toto erat Aſinorum, coegit, & in inſulam, ex qua nihil aliud niſi* χάος καὶ ζόφον,

& immenſos æquoris tractus proſpicere licebat, ab reliquis mortalibus relegavit. Eamque inſulam ignobilem & ſine nomine eſſe voluerat, ut diutius in occulto Aſini laterent. Enimverò exorti tandem Curiones & mendaciorum loquaciſſimi Coſmographi, quibus cùm in iis locis venas aliquas auri argentique apparuiſſe renunciatum eſſet, tanta fuit audentia, ut hominibus inde novi aliquid apportaturi, in Oceanum ſimul atque in inſulam inquiſiverint, viamque Aſinis in has oras monſtraverint. Hinc ignorantia, hinc ſtultitia, hinc deſidia, hinc aſininæ colluvionis facta divortia. Hinc denique inſulæ nomen inditum Onocrene. Quamvis & alia hujuſce nominis ratio. Fons enim in ea inſula eſt, cujus aquam qui bibunt, Aſini fiunt, etſi homines videantur. adeo ne illic quidem aquarum natura à miraculis ceſſat.

Plura locuturum oppreſſit Lucianus, qui & ipſe Aſinus aliquando fuerat, imò etiam tum Aſinis quoque favebat: itaque, ut animo erat vario & verſipelli, (ſophiſticam enim ſtruendi ac deſtruendi artificem callebat) multa in humanam curioſitatem, Philoſophum ſe ſimulans, dicere mihi videbatur, ejuſque verba, ſi benè memini, hæc fuere:

Sapienter equidem & conſiderate Iovem

opt. max. feciſſe arbitror, quum in Scythicam rupem Prometheum relegandum cenſuit, tum audaciæ puniendæ, tum cæterorum curioſæ libidini coercendæ. Iam enim curioſitas humanæ genti familiare vitium erat, & liberior inquiſitio animos hominum perpruriſcentes immodeſtè titillabat. Vnde primùm accuratiùs inſpecta tellure, mirari cœperunt tantam frugum ubertatem, florum varietatem, herbarum abſtruſas & reconditas vires, univerſæ terræ mare ſuperfuſum & circumfluum. Hinc ubi Thaumantis ſingula perluſtravit, indagatio nata initiorum, unde eſſent omnia orta, generata, concreta: Qua ratione mare terram undique allambendo, & per ejus planitiem veluti pedibus progrediendo, modò caput efficiat, inde in brachia digitoſque ad communem uſum diffindatur. Quæſitum etiam, qui fiat, ut in iis, quæ terra producit, alia nunquam honorem deperdant, ſempérque vernantia opes oſtentent ſuas: alia veluti alternâ præſtatione invicem ſibi ſuccedant: alia rurſus, ut homo rei ſuæ inimicus, poſtquam omnia ſua ſemel benè præbuerint, nuda deinde & depoſita proſtent. Quæſitum, cur ipſa tellus modo vallibus depreſſa ſubſidat, modò montibus gibboſa conſurgat. Veſuvium ipſum flammarum rivulos ejectantem, anxia cogitatione ſollicitior Plinius

quum

quum incautè inſpiceret, repentino incendio conflagravit. Ventum jam ad ipſa magnæ Matris viſcera, & effoſa ſubinde metalla lucem adſpexerant, quum tandem quotidianus uſus contemptum peperit: Et ſordebat jam hominibus terra, quum altiùs ſeſe erigentes, cœleſtia illa ſidera conſiderarunt: & qua ratione ſol oriatur & occidat, multiplices illius effectus, perſcrutari voluerunt. Qua etiam ratione Luna ſæpenumerò immutetur; eáque ſola, DI *boni, quam multiformi ambage torſit ingenia contemplantium. Sed & univerſam cœli machinam, homulli ſimiæ, temerario auſu, humano artificio conſtruxerunt. Conſtat Archimedem ſphæram vitream confeciſſe, quæ Solis annuos & Lunæ menſtruos labores, aſtrorum præterea converſiones mirè exprimeret. Neque hic etiam humanæ cogitationi poſitæ meta, imò itum ulteriùs, & tentata divinæ naturæ cognitio. Sic accidit, ut nonnemo divina omnia humano & audaci animo metiens, ſupremam illam & dominatricem mentem, quia videre non eſt, eſſe neget,*

--- & quam non invenit uſquam
Eſſe putet nuſquam ---

Atque inde gliſcente ſciendi ardore, alius ſuperſtitioſa curioſitate DIS *omnia replevit. erátque jam Deorum numerus auctior*

quàm

quàm hominum. Sed tanta copia & turba ſatietatem & faſtidium citò attulit, & quod ſuperſtitiosè colebatur, malitiosè cœpit irrideri. Quinetiam veſana illa cupiditas eò proceſſit audaciæ, ut Deorum numen nomenque adrogare ſibi voluerit. Quis enim non rideat luctuoſam Empedoclis ambitionem, qui cùm ſuorum aliquando ſe ſurripuiſſet oculis, ardentem Ætnam inſiluit, ut nullibi terrarum inventus, in Deorum abreptus concilium crederetur?

Alia multa Lucianus, cum Aſinis ſuis nequicquam loquebatur. Illi ridere aut rudere (nec enim qualitatem ſoni diſcriminare poteram) & riſu ſive ruditu horrendum neſcio quid adclamare. Interea temporis catus Lucius meus, in cetera Aſinorum turba & rutuba, notabat ibi Aſino Paraſitico celebres exſequias parari. Rem totam, quâ fide ille acceptam mihi tradidit, eâdem publico reddam; non tamen ſine mercede. nam aurea fabella eſt. Continuò igitur excitatus Lucius hæſitabundum me anxiáque cogitatione ſollicitum admonuit: Heu neſcis! Olim ille piſcem ſuum, hodie verò Heliogabalus Imperator paraſitum ſuum luget atratus. Quis iſte malum Paraſitus? inquam. Subiecit Lucius: L. Biberius, M.F. Curculio, nova ſcitamenta

Aurelio

Aurelio Antonino Heliogabalo opiparè concinnabat, ideoque ſummus ejus Coëpulonus audiebat. Ego adducta fronte contractoque vultu, Nempe mali ſæculi mala cupiditas hæc tropica fecit.

-- οὐ γὰρ ἔτ' ἄνδρες ἐπ' ἔργοις, ὡς πάρος, ἐσθλοῖς
Αἰνεῖσθαι σπεύδοντι --

Scio, inquit Lucius: ſed inter Aſinos muſſare tutius, quàm muttire. Age verò, vides indictivum iſtud funus? O capitulum inficetum! inquam ego. an quenquam illuſtrem virum tam flagranti deſiderio celebraret? Iterum mihi ridenti Lucius: Tace taceſis. adhibuit Heliogabalus μετωποσκόπους. Et circumſpiciens, ne quis noſtra auribus verba cleperet: Vidéſne hanc laurum? inquit, (ea erat in proximo) Feſtucam decerpito, & folia, ſi ſapis, admordeto. Prudentis eſt animum ſuum, ubi uſus venit, oris confuſione poſſe inumbrare. Simul ipſe ramo ex arbore defracto prenſum me renitentem, lenta manu in forum Cupedinis, ubi L. Biberii ædes, ducit. Quum aliquantulum proceſſiſſemus, ne eſſem neſcius, quid ille nebulo teſtamentó caviſſet, totum in aurem meam his ferè verbis inſuſurravit:

Ego L. Biberius Curculio, D. Aurelii Antonini Heliogabali adſecla, quum mihi angina

angina vinaria reciprocam ſpiritus auram, atque adeo vocem occluderet, Teſtamentum meum, quantum pote, examuſſim condidi ſcripſique. Si quid tamen inibi admiſſum omiſſumq́; obrepſerit, Codicilli vicem ſubire volo, ſive jubeo. Poſtquam mortem aptus ero, meamque animulam agnatus meus M. Lurconius Muſca ore ſuo legerit, tu colenda mihi ſemper & culta congerronum meorum familia ex ſemiſſe heres eſto; ea tamen lege, uti accuratè caveatur; ne quid nomini veſtro profuturum diu lateat. Eâ re, uti familia noſtra tres in ordines diſpernatur, mando: quos ordines ita indigetare lubet, Gelaſinos, Lacones, Laudicenos. Ac ſinguli è quoque ordine principes legantur, fiantque treſviri, penes quos ſumma rerum veſtrarum ſit; qui diſcaveant, ne quis officio ſuo deſit, ſuperſitve: ipſique etiam D. Aurelio delicias perpetuò faciant dicantque: Hoc ampliùs agnatum meum M. Lurconium Muſcam, qui ſolus omnibus propinquis meis ſuperfuit, mihi etiam ſuperfuturus, ex parte reliqua hæredem eſſe volo, ſi ſuprema erga me munera fungatur arbitratu D. Aurelii Antonini. Saturioni liberto, ex fundis meis, ad mearum reliquiarum tutelam do lego agri jugera XX. Columellam meum Damam, item Leonidam, Libanum, Strobilum, Cruciſalum, & Argyrippam liberos

eſſe

eſſe volo. Hoc ampliùs Argyrippo propter feſtivitatis vernulæ elegantiam, veſtes meas omnes, ſpeculum, calamiſtrum, dentifricium, ac pulveris Arabici uncias decem, quis pridianas converrat reliquias, ut feſtivior appareat, dari donari jubeo. Elaphio fugitivo hoc Teſtamenti mei caput in morem epigrammatis ſtigmate per totam faciem ducatur : L. BIBERIUS. CURCULIO. ELAPHIO. CLAVOM. IN. MORTE. DIMITTO. RESTIM. INDUITO. EIUSQUE CLAVI APPENDIX ESTO. *Si quid manes ſentiunt, rogo vos amici mei, hæc omnia ita ſervetis, uti, quum ſcriberem, affuiſtis, faviſtis, obſignaviſtis :*

L. Sorbilius Venter ſignavit.
Sp. Trachelius Cancer ſignavit.
M. Edacius Peniculus ſignavit.
M. Obſonius Mus ſignavit.
C. Macrobius Labrax ſignavit.
L. Volturius Capito ſignavit.
M. Gnathonius Cynicus ſignavit.

Ventum in forum Cupedinis erat ; & jam ædes Biberii propriùs à nobis aberant, ut proſpiceremus funebri ſigno deſtitutas antè januam ferales Ditis arbores. Videmus intrantes pluſculos pullis veſtibus, ſed prætextu tantùm adſumptis, atratos; lacrymæ illis quaſi in ſummo pectore ſupernarantes, in imo verò cordis

cordis penetrali gaudium gaudebant genuinum atque intimum. Ego converſus ad Lucium, dic ſodes, inquam, Quinam iſti, & quò? Ille locum ab arbitris obſervans, Particulones, inquit, Volturii ad cadaver. nempe mortui fortunas habebant. Nos quoque paullò poſt acceſſimus intravimus, videmus è funeſta familia medicum re infecta diſcedentem. Lurconem alioquin & κορεστράπιζον, nobilem virum ac primarium crederes, ita funebris pompa ſtruebatur. Nec enim Veſpillones aut Sandapilarios, ſed & Libitinarios, Pollinctores, Lecticarios locaverant. Qúmque jam animam Biberius, quam pro ſale habuerat, fœdo & obſceno vomitu eructaſſet, putiſcebat fœtidum cadaver, Æmilium Catulli diceres è ſterquilinio effoſſum; adeo domus extremo olore & anhelitu replebatur,

Gutture ſulphureas lentè exhalante Mephites.

Accedunt Pollinctores, corpus aqua perſpergunt, quam olim, dum vivebat, non ſenſerat; adeóque inſolita elementi aſpergine exſangue cadaver nonnihil commotum videbatur. Dein odoro unguentorum ſuffitu naſorum peſtem interficiunt, ſimul & honori cadaveris cinnamo-

namomum, thus, caſiámque acervatim congerunt, totúmque Biberium, medicatis condimentis circumlitum, in hexaphoro purpuratis veſtibus conſtrato repoſitum, & floribus coronatum, ſolita collocatione, pedibus in publicum verſis, ad veſtibulum ædium rite admovent. Ac tandum dum cætera exequiarum parantur ſolennia, jubetur præco populum ciere, qui actutum ſuccinctus contenta voce ſic inclamat: EXEQUIAS. L. BIBERIO. M F. CURCULIONI. QUIBUS. EST. COMMODUM. IRE. IAM. TEMPUS. EST. OLLUS EX ÆDIBUS ECFERTUR. Derepente audita præconis voce, convolant in Biberii domum frequentes. Murmur inde oritur. Adeſt Diſſignator, jubet præcedere expreſſas cera majorum Purpuratas imagines. & ſanè longo illæ ordine incedebant. Itaque erectior ego ipſos cerarum apices indicéſque percurrens, animadverti nomina, M. Coquinii Trullæ, Q. Popinii Lurconis, C. Avidii Incitegæ, Q. Bilbitii Profundi, L. Abdominii Dentati, T. Placentarii Carpi. Et continuò ad Lucium, Eugepæ, adeóne nobilis hujus familiæ vena? & tam numeroſos proceres ac longa decora præferentes produxit viros? Mihi Lucius ſubridens: Fuge ſuſpicari: Simios Pur-
puratos

puratos vides non viros. Scurras enim homines emptos de lapide inducbat Jmp. Scipionum perſona. quos ſi penitiùs inſpexiſſes, aliud nihil niſi Aſinos aut Clunas in Purpura deprehendiſſes, καὶ πίθηκος ὁ πίθηκος, κἂν χρύσια ἔχῃ σύμβολα. Rubori mihi fuit Purperam impunè violari. Et mecum erat muſteus Poëta, qui eam in deliciis habebat, & pleniore ore non ineptiſſimis verſibus claudabat:

Purpura Pieria non eſt reticenda coronæ,
Quando ſacri Pater ipſe chori, qui lampade clara
Purpureos dat Purpureis de ſedibus ignes,
Pectora purpureo fulget velatus amictu.
Et, quæ plena roſis venturi nuntia Phœbi
Tecta aperit, dubio diſpellens lumine noctem,
Purpureas cubat ante fores Aurora, Poëtas
Inq; ſacros mentẽ & cœleſtia ſemina rorat.
Eſt etiam annorum latè revolubilis ordo
Purpureus. Nam vere novo, Zephyroque ſecundo
Purpureis varia vernantia floribus Horæ,
Et teſſellatâ diſtingunt prata nitelâ.
Sic Canis æſtivi ſidus dum rura perurit
Florida maturos oſtendit Purpura fructus,
Pomaque Purpureo fulgent variata colore,
Et, qui Poma legit, non, quæ Venus aurea legit,
Ridet Purpureo felix Autumnus Iaccho.

Et ſi

Et ſi triſtis Hyems lætos vaſtaverit agros,
Tum nive Purpureâ fulget tamen obruta tellus.
Cœruleæ regnator aquæ, qui ſæva tridente
Æquora compeſcit, bipedes ſi fortè timendus
Egit equos, adverſa vocans in prœlia ventos,
Ebullit, glaucas & turbine Purpurat undas.
Sacra cohors Veneris, Charites, Riſuſque, Iocuſque,
Purpureis hilares roſea ſub fronte labellis,
Totaque Purpurea eſt ridens Ericyna: Roſamque
Dum fortaſſe legit, nec ſat ſibi provida, molles
Fertq; refertq; manus, eduxit ſpina cruorem,
Vix ſummâ tremulum delibans cuſpide corpus:
Et dũ Purpureus manat de vulnere ſanguis,
Erubuit læſiſſe Deam Roſa, moxque colorem
Sumſit Purpureum, Divini qui foret index
Vulneris, incautas poſſetque monere puellas.
Et rurſus ſua fata gemens Venus alma, protervum
Verbere ſæva nimis Roſeo dum cædit Amorẽ
Purpureum tenero duxit de corpore rorem,
Purpureúſque iterum cepit Roſa dibaphia fucum
Et Venus in terram cœlo delapſa per auras,
Ardua Purpureis vehitur ſuper æthera cycnis.

Purpureus nivea ſplendet cervice Cupido.
Purpureas gerit ille faces, & plurima torquet
Spicula, Purpureo jamdudum tincta cruore.
Imò & Purpureâ clauduntur lumina morte,
Et Maiâ genitus, nulli qui fata recludit,
Purpureas animas virga compellit in Orcũ.
Pelle ferox rigida Alcides clavaq; ſuperbus
Errabat, ſcopulos & inhoſpita littora luſtrans,
Num fera fulmineo ſaviret bellua dente,
Aut mala lethiferi vibrarent ſpicula flatus.
Forte canis Tyrio projectã in littore concham
Eliſit, tenuemq; ſubeſt cui Purpura venam:
Olli Purpureo maduerunt labra colore,
Et color Alcidæ placuit, namque igneus atro
Flore micans, dici poterat tinxiſſe viriles
Heroum Divûmque animas, & maſcula corda.
Hinc ſibi Purpureum fecit thoraca furente
Prælia marte ciens, oculos ut flammeus horror
Terreret, fulgor pavidas & pelleret umbras.
Splendida felices exornat Purpura chartas:
Illa iocos, riſuſque ſales, & carmina velat,
Verbaque jam madidus, quæ ſcripſit vernula vates.
Indice Purpureo libri frons lata refulget,
Auctoremque operis tituli rubrica tuetur.

Nec

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Nec ſine Purpureâ puerorum candidus umbo
Majeſtate fuit, quia prætextata pudentes
Verba decent pueros, & verba innuptæ puellas.

Purpurei Reges, & lato Purpura clavo
Cingebat gemino Patres ſplendore verendos.
Inque triumphali radiabat plurimus auro
Purpureus tenui textus ſubtegmine pannus.

Phœbum hic toto pectore Poëta concutiebat, & juſto dolori meo ſimul & iræ ſuæ vehementius indulgere mihi videbatur. nam Aſinos maledicere verſibus aſperis cogitabat. Repreſſi furentis impetum; Et, Poëta, inquam, parum tutus inter Aſinos iſtos ambulas. Vide ne te funeri ſuo inferias mittant. Eumolpum te eſſe puta, & tace. Dum hæc moneo, pergit porrò pompa funebris, & Præfica muliercula quædam demiſſis antiis ac fluitantibus capronis, miſerabiles querelas femineo ululatu iterabat. Item monumentarii ceraulæ ferali tibia mœſtiſſima ſuſpiria concinebant. Et jam producitur ipſe Biberius, qui lectica hexaphoro Romanorum è nupero fœtu civium ſubnixis cervicibus ferebatur. Ipſa denique plebes centuriatim, candelis, funalibus ac facibus undique collucentibus, exſequias capitibus caſantibus ſequeba-

quebatur. Et nos quoque turbæ adjungimur, extremum fabulæ actum ſpectaturi. Deducitur funus in forum. eò loci video paratum, neſcio quem, è Laconum familia, cujus in capite oculi locus apparebat, qui L. Biberium Curculionem coram Imp. pro roſtris & concione laudaret. Ego frontem hominis miratus, rogavi Lucium, Quodnam oratori nomen? Paraſitus eſt, inquit, L. Volturius Capito. verè durus Capito. nam multæ olim in ejus caput quaſſæ aulæ, & ſolus oculus ereptus. Id enim eſt paraſiticæ diſciplinæ:

--- niſi, qui colaphos perpeti
Potis paraſitus, frangique aulas in caput,
Vel extra portam ire Trigeminam ad
ſaccum licet.

Interea dum hæc intra meipſum volvo, noſter orator ad dicentium morem compoſitus perparum quidem, nec id ſine mendacio in demortui laudem dixit, ſed logis ridiculis Principis auribus faciens inſidias, ſilentium orat. Aſinis aliquantiſper quieſcentibus infit:

Multa mecum cogitanti, Quirites & accuratiùs ſingula humanæ vitæ munia diſquirenti, auro contra æſtimandi videntur ii, qui poſthabitis artibus ceteris ancillaribus, Paraſiticæ ſcientiæ ſtuduerunt, operámque

que ſuam Principibus utendam præbuerunt. Et quidem certè, quando omnia noſtra beneficio Principis retinemus, quando ille patriam, libertatem, vitam, mortémque juxtà in acie linguæ portat, anne iniquum videbitur ejus commodis ſtudere, ejus ubique nutibus obedire? Is fuit L. Biberius Curculio. Sed eum, proh dolor! nobis invitis fati violenta ſeries eripuit. Vixit, dum vixit, Principi abundè feſtivus, nobis cariſſimus, poſteris æterùm colendus ac deſiderandus. Sciebat, homines, licet in artes vitáſque varias diſpalati ſint, non ſibi, ſed vicinæ ſideribus majeſtati natos eſſe. Vt enim ſupera omnia Deorum immortalium voluntati prona ſunt; ita infimam iſtam terrarum molem Imperatoris arbitratu regi & gubernari decet. DI ſibi cœlorum ſubices ſubſtraverunt: noſtro Principi terras, Principem noſtrum terris reliquerunt. Imò & eundem, poſtquam ſerus in cœlum redierit, cœleſti nectare, ambroſiáque, & Deorum cibo participabunt. Vive tu, Auguſtiſſime Princeps. Macte ter maxime Imperator. Salva Roma, ſi tu ſemper ſalvus. Et ſi qui auſteri horridíque Lucumones, ſacratiſſimæ majeſtatis jura violare cogitent, eos de podio, ut obſcænas infeſtaſque volucres, ſagittis tranſverbera: aut ſi mavis anguineum iſtud genus, quod præpotentis tuæ virtutis

virtutis vires viperino morſu vellicare & ſugillare audet, clava cruribus ſupernatis terræ audacter applode, tuoque & ſpectantis populi genio ita litabit. His gradibus viam in cœlum adfectavit Hercules. His artibus majores tui, quos factis & virtute longè ſuperas, DI facti ſunt. Et vos ite, Quirites, ſecuri vivite. & L. Biberio, quem olim amavit Imperator, ſuprema ferte munera, ejuſque reliquias ſperata in ſede reponite atque condite.

Conſumtâ hac oratione, quúmque Heliogabalum paraſiticis adſentatiunculis ita ductaſſet Capito, Imperator paraſito ſuo pyram ingentem conſtrui juſſit, imò ipſe, cum cæteris Aſinis amiciſſimi ſui juſta eſt exſecutus. Sed enim adfectatâ mollicie, formicino gradu pedetentim progrediebatur; ideóque morbo aliquo præpediri ac diſtringi ſuſpicabar. Et continuò prehendens Lucium, Euge, inquam, ut valet ille? aut enim inceſſum mentitur; aut lentè admodum gradus ſuos metitur. Riſit Lucius curioſulam meam quæſtionem, Et, Aſinus, inquit, à ſeipſo tardigradus, laborat eo morbo, quo Claudium Cæſarem adfectum fuiſſe noſti. exhauſit hodie onopordon, quod Aſinis aiunt crebros excutere crepitus, eoque pharmaco alvum ſuam aut parat

aut purgat. Sanè quum ille propiùs ad nos acceſſiſſet, deprehendi ſtrepitu obſcæno ſimul atque odore viam implentem, & ſi minus ore eloquentem, at certè inferiore gutture valdè loquentem. Tunc itaque mirari deſii, cur omnes ſponte illi de viâ decederent; Nam, ut Romanis mulieribus unio, ſic Heliogabalo crepitus pro lictore apparebat. Imò nec Dictatorii faſces tam placidè turbam ſubmoviſſent. Riſit iterum Lucius: at noſtrum interea *fœtida anima naſum Oppugnat*. Pervenit Imperator, totúmque cum eo funus, atque adeo ingens multitudo, in campum Martium. Illius juſſu Doctores & Laniſtę paria quattuor & viginti gladiatorum lectiſſima præbuerunt. Interim alii pyram arduam, evinctam cupreſſo, ædificant, lectulum, ipſumq́ue cadaver pro more ornatum, quibus id muneris incumbebat rogo imponunt: impoſito clamaverunt omnes, VALE. VALE. VALE. NOS. TE. ORDINE. QUO. GULA. ET. VENTER. IUBEBUNT. CUNCTI. SEQUEMUR. Statim accenſa face M. Lurconius Muſca averſus flammas ſubjiciens rogum incendit. Commodum ignem pyra conceperat, ecce ſolita ſequioris ſexus flendi facilitate pectus ſuum ad luctus irritans Præfica,

dum

dum quiſque certatim in rogum dona cumulat, & partim trullas, cantharos, lances; alii ſtruices patinarias, cyathos, ciboria, coquinaria omnia flammę committunt, ferale iſtud carmen pronuntiavit:

Abiit L. Biberius Curculio, Antonini delicium, quo cum ſæpiſſimè ludendo dies integros comburebat, condebatque. Abiit paraſitus lepidus, elegans, facetus. Scalas conſcendere, Capaneus: plagas concoquere, Incus: veſci thymo, oleribus, Eruca: cœli injurias pati, Merula: ſole fervido linguâ prodigâ & infreni garriendo cantillare, Cicada: nudis pedibus matutinis horis inambulare, Grus: ne pauxillulum dormire, Veſpertilio: pugnitus occallari, Maſſa candens: ferire, Fulmen: occæcare, Fulgetrum: inacceſſa evadere, Ventus: cænare abſque vocatione, Muſca. Abiit pallidulus, frigidulus, vagulus, ad Orci templa horridula, nec ultrà, ut ſolebat, dabit iocos.

Finierat lugubrem cantionem Præfica, adfuit Thracum, Myrmillonumque manus valentiſſima, quæ L. Biberii manibus volente Imperatore dedit inferias. Ac dum buſtuarii gladiatores mutuis ſeſe conficiunt vulneribus, collabenti jam cineri parentantes, exſtrui juſſit ſilicernium Heliogabalus ſuis paraſitis. O-

mnes illico advolant invocati. nec tergiverſantur, accumbuut. Heliogabalus interior in medio, qui tamen jam erat ventre bellulè ſuffarcinato; ſuper eum M. Lurconius Muſca; in ſummo L. Volturius Capito, ceterique deinceps. Sed adpoſita cæna inviſa priùs & inaudita. Pro guſtatione & promulſide, inferri voluit lactucas oliváſque, ſed Samias: quæ tamen minimè ad guſtum Agathoclis. nam præter nomen, cætera lactucis abſimiles. Cæna ipſa capiebat patinam ſuminis, lepores, querquedulas, anates, Aſinum integrum inſtar Apri aut Bovis, quamplurima alia, quæ ab ingenioſo & docto gulæ artifice curata videbantur. Verùm & patinæ, & cibi ipſi, ſolido ex auro, nec dentes, nec ferrum recipiebant. Menſa denique pomorum allata eſt, in quâ bellaria lignea affabrè ſculpta, quæ provocare eſuriginem poſſe putabantur: verùm aſpera ſignis omnia, nec, etſi calceatis dentibus veniſſes, hilum profeciſſes. Ac, quod minimè prætereundum fuit, haudquaquam illi *florem antlabant Liberi ex carcheſiis*, ſed è pleno œnoforo ſardois herbis expreſſus liquor mandragorâ medicatus, affundebatur. Et Paraſiti noſtri, belli homines, inter haſce lautitias, funus ſilicernio facere

nequi-

nequiverunt: ventriſque eſuritoris inanias minimè repleverunt. Ridere quidem cogebantur, at crudeles in utero experiebantur verminationes. Etiam in uſtrina deficiente rogo legendi cineres apparebant. Menſis itaque amotis, miſit Imperator, qui cineres, vino ut matre natum erat perſperſos, urnâ aureâ tegeret. Juſſit præterea in foro Cupedinis marmoreum, cum cippo uſque ad H. S. centum exſtrui ſepulcrum, inque ipſum marmor litteris aureis quadratis, ſub perſona Biberii incidi monumentum iſtud.

DIS MANIBUS ET DIONYSIO SAC.

HOC. AGITE. SVLTIS. VIATORES. QVI. VOS. HOMINES. ESSE. NOSTIS. QVÆ. HOMINI. HVMANITVS. CONTIGERVNT. HVMANITER. SPECTATE. SI. NEC. VULTIS. FACESSITE. LAVDIS. RVMOREM. SEMPER. PARVIFECI. QUOD. RVMEN. IMPLERET. VOLVI. VAH. SOLENS. MORE. MEO. FECI. DIXI. MENDACIVM. NAM. NVNQVAM. VT. VOLVI. RVMEN. IMPLEVI. ET. NVNC. QVOQVE. SI.

ME. VOCAS. I. PRÆ. INANIS. VMBRA. SVM. SEQVAR. RIDETIS? SVMMA. INGENIA. IN. OCCVLTO. LATENT. EA. VOS. FLORE. VINI. EDENTVLI. FORAS. PROLICITE. PLVSCVLA. IAM. AVDIVISTIS. NON. TAMEN. QVOD. CAPVT. EST. QVODQVE. MAXIME. SCIRI. OPORTVIT. PROINDE. AVDITE. VEL. SI. MAVULTIS. SEPVLCRVM. HOC. ADITE. HEM. QVID. EXCIDIT. MENTIVNTVR. QVI. VERITATEM. IN. VINO. ESSE. ADSEVERANT. NAM. QVI. FIERI. POTEST. VT. ME. ELINGVEM. LOCA. SOLA. ET. NVDA. GIGNENTIVM. INCOLENTEM. AVDIATIS. NEGANT. MEDICI. SINE. LINGVA. ORE. DENTIBVS. ALIQVEM. LOQVI. POSSE. LEGITE. IGITVR. QVI. LITERAS. SCITIS. H. C. S. CINERES. L. BIBERII. CVRCVLIONIS. PARASITI. FESTIVISSIMI. QUI. AURELIVM. ANTONINVM. HELIOGABALVM. AMOENITATE. AMOENA. ONERAVIT. OMNIBVS. PLACVIT. SINGVLIS. SVPPARASITATVS. EST. ET. DVM. QVEMQVE. TANGIT. VRBANATIM. EVM. NIGRA. DIVA. TETIGIT. RVSTICATIM. ATQVE. HOC. TANDEM. NE. ERRETIS. VERISSIME. SVM.

SVM. VOBIS. ELOQVVTVS. B. F. VERBA. HÆC. MEA. VT. SERVETIS. POSTVMA. QVI. CVPEDIARVM. ALIQVID. EX. FORO. PRÆSTINATVRVS. VENERIS. DOMVM. NE. REPETITO. QVIN. PRIVS. FALERNO. INFERIO. MANIBVS. MEIS. FECERIS. FAXO. EGO. VT. TE. SEMPER. AMBIAT. RISVS. LVDVS. IOCVSQUE. ET. OMNIA. HVMANA. SVSQVE. DEQVE. HABEAS. SIREMPSE. LEGEM. MVLIERIBVS. ESSE. VOLO. QVÆ. SVNT. MVLTILOQVÆ. MVLTIBIBÆ. MEROBIBÆ. SIN. SECVS. VENEREM. FACIAM. EAS. VT. FACIAT. ITA. DARE. VT. NIHIL. SVPRA. HAVE. VIATOR. NEC. MORARE. NON. MORABOR. VLTRA.

H. M. H. N. S.

Collectis, conditiſque cineribus, & cunctis ſolenni more peractis, pronuntiavit Præfica, ILICET. Paravit quiſque domuitionem. Hærebat autem Lucius, & Aſinos ſuos abeuntes, oculis ſequebatur. Tandem ad me converſus, DI boni, inquit, quales hic Aſinos reperi! & memini eſſe aliquando Aſinum: ſed quamvis eſſem Aſinus, ſenſum tamen

retinebam humanum. at verò iſti corpore humano aſininum vehunt animum. Somnus paraſiticus Aſinos occupavit. & Lucio monendi, mihi notandi FINIS.

Scribebam Auguſtoriti Pictonum,
A. S. cIↃ IↃ XCVI:
N. R. P.

ERY.

ERYCI PUTEANI
COMUS,
Sive
PHAGESIPOSIA
CIMMERIA.
SOMNIUM.

NOBILISSIMO VIRO, CHRISTOPHORO VAN ETTEN, DOMINO DE CAUWERBURCH,

ERYCIUS PUTEANUS
Dedico conſecróque.

COMUM, *ſive* PHAGESIPOSIA CIMMERIA, *quæ ſcripſi, ad te mitto, Nobiliſſime Vir, ut nomine tuo ornem & illuſtrem.* SOMNIUM *eſt, Luſus eſt, noctis & caliginis opus: non inamœnum tamen, ſi rerum fictâ quadam imagine delectaris. An me fallit Genius ille tuus, illa paternæ indolis matura, & ſine vitio amœnitas? delectaris. Litterarum has delicias amas, Litteris imbutus; & riſum, ubi alius iras, colligis. Dici, & ſtilo adumbrari ſuſtines, quæ non uſurpas; pungi & puniri, quæ damnas, à bonis honeſtisque moribus aliena. Paterno exemplo, non Luxus aut vanitatis, ſed virtutis inſtrumenta*

menta divitias habes. At ego virtutis etiam amore, vitia quædam publica & promiſcua, quaſi orbi & ævo noſtro deſint, in alieno aut ignoto perſequor. Vitia, quæ lucis exilio mulctata, nonniſi in tenebrarum hodie regno licet invenire: publica verò & promiſcua, quæ privatus aliquis, quia celare non poteſt, defendere audeat; quia in mores familiámque aliunde adoptavit, neget eſſe ſua. Sed vitia noſtra (promiſcuè hoc etiam dicam,) ſive ab aliis, ſive à nobis, noſtra ſunt; magis etiam noſtra, ſi excuſamus. Nunc tamen, ut morem ævo geram, ſcænæ meæ fictionem ad CIMMERIOS *transfero, & ignotam regionem noctis. Siquis niger, ſi quis improbus, ſiquis luxu perditus, hîc habitat: in orbe noſtro nihil eſt, quod culpem: hîc etiam, qui, ſi Diis placet, Calumniam virtutem facit, homo vanus, Superbiæ & Impudentiæ Myſta. Sed ego quæ dico, ne quis reprehendat, in nocturnâ imagine vidi: an verâ, neſcio: interpretem non conſului. Videre tamen liceat, & narrare liceat; niſi nunc demum, qui ſcribunt, Atlantes ſunt, & Somniare deſierunt. Mihi certè hæc felicitas non contigit. Quietis meæ nocturnam malaciam infeſtæ ex intervallo umbræ conturbant. Tales illæ ipſæ, quas in lucem ire nunc jubeo, atque adeò (Famæ*

Genius

Genius faveat,) perennare. Vmbras, dicet aliquis, in lucem? umbras perennare? portentum eſt. At ego CIMMERIAS *ipſas præſidio lucis æternas faciam, radiiſque muniam à Virtutis tuæ ſplendore. Ignis frigore ſeptus, & hieme ſtipatus, robuſtior eſt: ita fulgenti lumine umbræ circumſcriptæ, denſantur, nec vires capiunt, niſi ab hoſte. In te quidem, nihil; quod vitalem (ut ita dicam,) caliginem* SOMNIO *meo addat, reperio, præter ignem & illuſtres Heroici animi dotes. Hoc nunc igni obſcurum* COMUM, *conſpicuum facio: ſtili ingeniique Luſum* CIMMERIUM *tuo, ut dixi, Patriſque tui, Viri ſummi, nomine orno & illuſtro. Tu quidem imago Patris es: ad magna & ſublimia virtutis gradu ſcandis. Dicerem, Pater ipſe es, niſi diſcrimen atque intervallum pietas faceret. Etenim quotiescumque cogitationes à Patre ad te flecto, rediiſſe ad Patrem videor. Quem imitaris, refers; & quem gloriari poſſis, exprimis. Accipies igitur munuſculum iſtud, quod jam prior Pater libavit: accipies, quod dare Patri videor, quia tibi. Illi debebam Famæ & Tranquillitatis hoſtimentum, tibi ſolvo: & quaſi parum eſſet, unius auctoritate* COMUM *meum munire, geminam præſcribo. Tuum Patriſque lædet nomen, qui hunc librum;*

&

& quem tuum videbit Pater, defendet. Tu defendes quoque, & furentem indocti Livoris inſaniam, ſtrepitumque compeſces. Vale, vive, cultum obſequiumq; meum ama, ô Gemma & Delicium Belgarum. Lovanii, III. *Eidus Quinct.* ∞. Iↄ c. VIII.

ERYCI PUTEANI
C O M U S,
Sive
PHAGESIPOSIA CIMMERIA.

SOMNIUM.

QUÆ nec facta, nec futura, dicam; ſtili, aut ingenii cauſsâ. Non offendetur, quiſquis ludum aut amœnitatem amat, Litteris Muſisque olim agnatam. SOMNIUM eſt, & hoc narrare mihi liceat; ſed interpretem arcere, qui aut facta, aut futura volet deſignari. Abi, & dragmam alibi pete, mendacio præmium. Ὄνειρον qui ὄνειρον dixerit, is divinus. Quid verba mea torques lime, & innocentem ſermonem adficto ſenſu adulteras? In nube aut igni imagines rerum malè feriati diſtinguunt, & cæcutiunt: pariter in nube & igni cogitationum, atque ſomni. Abi igitur: ego quæ vidi, non vidi. Si quod CIMMERIUM eſt, hîc fui, ſi quæ PHAGESIPOSIA, his interfui. Quæcumque leges, ſemiſepultæ mentis labores

labores ſunt, & nigri ſilentii ſimulachra. An & Somniare mihi nefas? tum Naturam accuſemus, & cogitationes omnes, ventorum inſtar, in vincla demus, & Ulyſſis utrem. Cogitationes? imò res, actionesque omnes humanas. Etenim quæ manu aut mente diurnâ agimus,

In ſomnis hæc eadem plerumque videmur
obire.

Lucis ſive curas, ſive delicias Nox excipit, & cùm ſomnus obrepit, velut in ſtagnanti quadam nebulâ repræſentat. Nimirum,

--- ubi eſt diſtracta per artus
Vis animæ, partimque foras ejecta receſſit,
Et partim contruſa magis conceſſit in altum,

tamen viget, & in mortis umbrâ vitæ munia. conſilia, imò deliria, vanis deluſa imaginibus molitur. Sic nec quietem uſquequaque ſine labore mortales habent: curarum & nugarum relliquiæ, die exantlàto, lectulum unà ſcandunt, & membra ſopore irrigata, vel terrore lancinant, vel gaudio demulcent. *Traducitur autem* (cum Lactantio dicam, lib. de Opificio Dei) *mens cogitatione cæcâ, cùm cogentibus tenebris ſecum tantummodò eſſe cœperit: dum intenta eſt in ea, de quibus cogitat, repente ſomnus obrepit,*

pit, & in ſpecies proximas ſenſim ipſa cogitatio declinat. Sic ea, quæ ſibi ante oculos poſuerat, videre quoque incipit. Sed ego narrare nunc incipio: qui Somnium æſtimas, & delicias admittis, puſilli temporis damnum impende: hoc præmium poſco, ut audire ſuſtineas.

NOCTIS ſenium erat, & adultâ ſomni dulcedine, ſimulque imagine involutus, per ſuburbanos colles opaco mentis itinere errabam. Tamquam ex confinio lucis & umbræ, ipſum Gratiarum ac Lubentiarum omnium ſimulachrum emergere mihi viſum. Veſtis, vultusque Androgynum indicabant, & à Mercurio Venereque ſexum: reliquus ornatus & effeminare virum poterat, & in feminâ mollitiem notare. Caput roſis gemmisque diſtinctum, & radiorum quâdam majeſtate: coma in cirros cincinnosque digeſta, odoribus perfuſa, auram quoque imbuerat. Sed has delicias crebri acidique ructus, & onuſti indicia ſtomachi deformabant. Conviviorum aliquem Genium eſſe facilè conjiciebam. Nam & multo ſanguine facies rubebat, & toto videbatur corpore hilaritatem induiſſe. Geſtu mollis, ætate juvenis erat, καὶ οὔπω ἔφηβος, ἐρυθρὸς ὑπὸ οἴνου. *nec adhuc ephebus, præ vino rubicundus,* & tam-

tamquàm epularum hæſiſſent in ore reliquiæ, ſpinâ argenteâ dentes perfodiebat. Lævâ facem, dextrâ auratum roridumq́; Liberi lepôre cornu complexus, idemtidem libabat. Mihi de Iovis poculo ſubiit ſuſpicari, & cujuſmodi primi mortales habuêre. Quippe memineram κερᾶν hac origine apud Græcos eſſe *miſcere vinum*, aut *infundere*. κρατῆρα quoque ἀπὸ τοῦ κέρατος, quaſi κερατῆρα dici. Ergò, cur non (tacitâ mecum querelâ muginabar,) ſic non vivimus hodie, & ſimpliciſſimâ voluptate Naturam matrem agnoſcimus, quam Aſiatico nunc ubique morbo fecimus novercam? Sed quę frugalitas tamen, ſi corneum corticem ſplendentis metalli fuco pellimus? ſi ambitio terram lutumque invênit, quo laſciviat? ſi non Sabinis tantùm, ſed Indicis paſſim diotis Ebrietati litetur, præ quibus vile, ſi Diis placet, aurum? Menſæ, vaſa, lances, epularum ſumptus ſuperant: parum, haurire uno convivio dena millia æris, pari niſi pretio miniſtres.

--- *Mero committere gemmas,*
Atque aurum violare cibis,

Plebeium eſt: opes prodigalitate æſtimantur. Inter haſce cogitationes greſſum porrò rectà ad me profert Androgynus,

gynus, & ut ſpernere divitias videretur, ſparſa in anteceſſum gemmarum miſſilia pedibus calcat. Dubitare cœpi, an in tam ornato corpore mens Philoſophi habitaret: veſtitam olim purpurâ Sapientiam, & pleroſque è Barbatis illis non ſpreviſſe tantùm lautiſſimas opes, ſed abjeciſſe. Ponè puer ſequebatur, qui florido vultu, & ſuperbo ornatu LUXUM referebat. Puella etiam, ne & ſequior ſine miniſterio ſexus eſſet, ſed infra ſexum mollis, variegatum auro crotalum ſiſtrumque gerens, & quidquid ad LASCIVIAM priſca Muſa, aut Voluptas invênit. Hi nutum veſtigiumque Heri obſervabant; & medium mox, accepto ſigno, cingentes, cantillare, tamquam ad Mydæ tribunal cœperunt. Me inſolitum ac planè divinum melos totum hauſerat: & victus dulcedine, jam nutabam in ſomnum; cùm ecce Androgynus concuſſam luminibus meis facem admovit, omnemque ſoporis nebulam diſſipavit. Tum verò ſtrictis oculorum radiis me intuens, An tu neſcis, inquit, Sacris meis pervigilium deberi? Necdum Solis occaſus eſt, & ſomnum ordiris? Si numen meum neſcis, inter mortales immortalis ago, Nocturni genus, Amoris Lætitiæque Genius, Δάιμων ὁ Κῶμος, παρ' ὃ

τὸ

BIBLIOTECA NA… ROMA

τὸ κωμάζειν τοῖς Ἀνθρώποις. COMUS *Deus, à quo mortalibus Comeſſari eſt.* Longè latéque imperium meum provexi, & ex quo Sybaritæ toto orbe vivere cœperunt, ubique gentium color. Jam Sacra mea, PHAGESIA, ſive PHAGESIPOSIA ſunt, Scriptoribus nominata, & Luxu Laſciviaque peraguntur. Paucis: totum Voluptatis regnum meum eſt; nec felix quiſquam, niſi, qui meus. An & ornatum adſpicis? hic me decet, & ſexus utriusque fœcunditatem adeptus ſum, ut dare me delicias poſſe cenſeas, & accipere. Deum me viri, Deam mulieres, ſed eumdem Genium venerantur. neque id à numinis ratione alienum. Veneris ſignum (ut de aliis taceam,) in Cypro olim *barbatum corpore, ſed veſte muliebri cum ſceptro ac ſtaturâ virili*; ut mas ac femina videretur. quam eâdem de cauſſâ Ἀφρόδιτον Ariſtophanes appellavit. Atque ego ex hac natus, referre matrem non poſſum, niſi ſexu utroque polleam. Quid verbis opus? & Venerem, & Mercurium, ſi is pater, ego dabo. Ergò pueri & puellæ adſint, viri & matronæ adſint, & ab uno ſuum quiſque ſexum numine fœcundent, ætatem oblectent. Quę mortalium ſine voluptate vita? pœna eſt. Hanc, ſi ſapere conſtituiſti, fuge, illam

illam carpe, & quem in finem benigna te Natura produxerit cogita: non ut miſerum durâ virtute crucies animum, & è felicitatis contubernio proturbes; ſed ut mollitie bees, ut ſuavitatibus lubentiisque omnibus irriges foveasque, velut tenerrimam brevis vitæ flammam. Itaque mortalis,

Immortalia ne ſperes, monet annus & almum
Quæ rapit hora diem.

Ego tam profani ſermonis audaciam nullâ patientiâ digerens, infauſtum numen, velut portentum deteſtabar. Itaque fuga in mente erat, ſed alæ in votis; cùm ecce denſiſſimâ nube repente ſeptus, ſublatuſque, adſpirante & impellente, neſcio, quâ aurâ, deferor, Zephyri, an ſomni? Pſychen putares in ipſam Cupidinis regiam vehi. Sic ergò denſato aëris rore ſepultus, momento temporis in noctis regionem, & ignotum mihi orbem veni.

Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν,
Οὐδ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
Οὔθ' ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται.
Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Hîc

Hîc populus, latebroſa hîc mœnia Cimmeriorum,
Quos premit æternâ denſus caligine fumus
Aëris impuri; & quorum Sol exul in orbe eſt,
Seu quando exoritur, naſcenti lumine cælum
Complens, ſeu terræ refugum cùm ſubtrahit ignem:
Nox miſeros urget, longis nox cæca tenebris.

Vix pedibus udam terram tetigeram, &
--- circumfuſa repente,
Scindit ſe nubes.

partimque frondoſo vicini ſupercilio amnis, tamquam itinere feſſa incubuit; partim obſeſſum caligine cælum novo noctis fomento denſavit. Cœpi circumferre oculos, & in reductâ valle ſtructuræ quoddam miraculum video,

Tectum auguſtum, ingens, non centum inſigne columnis,
Sed quanta Superos cælúmque, Atlante remiſſo,
Suſtentare queant.

Limen laura & lucernis illuſtre, Regiam eſſe COMI inſano pænè titulo indicabat. Jam primis veſtibuli gradibus imminebam, cum à tergo veſtigia mea, neſcio, quis preſſit. Reſpexi ad ſonum, & ecce adhærentem video amiciſſimum meum

meum ADERBAM, tamquam ab eodem numine deductum. Salutavi, &c. Hoc noctis, inquam, imò hoc loci, divina virgula nos junxit. Fortunæ meæ teſtem & conſortem exoptabam: nec te quiſquam potuit magis opportunè. At ille me complexus arctiſſimè, In ſermonem meum PUTEANE migras inquit. Nam te cogitabam in his tenebris, quæ aut Cimmeriæ, aut Cimmerias vincunt. Horroris iſte locus, velut lucus eſt, & lemures, ipſumque dare Acherontem poſſit, imò verò animum planè intrepidum percellere. Ego in numeros reſponſionem acuens, fortiori coactæ ſententiæ ſpiritu diſpellere inanem metum conatus ſum.

Quid innocentis ergò candor pectoris,
Quid Puritas beata, quid Virtus poteſt,
Viraginiſque dogmata Sapientiæ;
Servam nigra ſi noctis aura obnubilat
Mentem, quatitque umbratili pectus metu?
Audebo fari: noctis aura quid nigra
Poteſt, quid umbris obſita formidines;
Si liberam potente virtus aſſerit
Mentem manu, ſi Candor atque puritas,
Viraginiſque dogmata Sapientiæ?
Animo pavor; caligo tedâ ſternitur.
Non pugna turpis, aut periculum; fuga eſt:
Non, qui timet, ſed, qui timore vincitur.

 Ergò

Ergò robur colligamus, & quò communis ducit Mercurius, porrò eamus. Superbiſſimam iſtam, & dignam COMO Regiam vides? penetremus. aut me Genius fallit, aut cum fructu, imò voluptate audacia noſtra erit. Dixeram, & jam promovebam pedem, cùm è proximâ caveâ, ac planè Diogenis domo, ater procurrens canis, impetum in nos fecit: rigebat auribus, hiabat naribus, & ore minabatur. Latratus verò, tergeminæ imaginis mendaciſſimo ludibrio redditus, novum nobis terrorem incuſſerat. Cerberum eſſe, pronum erat ſuſpicari. Itaque converſus ad Aderbam, An vivere deſiimus? inquam; Orci iſta aula eſt, & trifauci rabie munitur. At ille ſollerti ingenio ſcænam hanc explorans, Nimirum hoc tenebris, ait, deerat; fabulis, mendaciiſque terreri quoque debuimus, & Cerbereo latratu. ſed heus tu, vigila; imò dormi. ludo fallimur, & præter vocem nihil hîc, quod lædat. Pandum illum latrantis rictum obſerva: dices. Ubi oſſeus in ore candor, ubi dentium excubiæ ſunt? Mollis enerviſque ſonus omnis; nec torquetur, ſed cadit. Ego excepi, &, Hercules, aio, aliquis furorem compeſcuit, miſellúmque edentavit? Vivit monſtrum, integræ

&

& illæſæ fauces ſunt; & hoc agendum, ne latratu mordeat: quia catenis liberum, ſilentio alligandum eſt. Tu Sibyllam age, &

Melle ſoporatam & medicatis frugibus offam
Objice:

ego mox: *custode ſepulto*, aditum occupabo. Riſit præpoſterum jocum meum Aderba: nec moratus, lapidem humo ſuſtulit, gravique ictu frontem Moloſſam percuſſit. Canis incondîto ululatu dolorem vulneris teſtatus, titubante gradu in vindictam ruebat, & in umbras noſtras ſæviit. Sed rabiem iterato jactu Aderba repreſſit, brutumque ſtravit. diceres lethæâ totum nebulâ inundatum. Dum jacentis habitum contemplor, notavi formam & formidinem inſolenti modo fucatam: roſtrum perſonâ velatum, reliquum neſcio quibus exuviis corpus. Collum armilla cingebat aurea, ferreis diſtincta clavis, in cujus limbo hic titulus.

LYCUS CANIS, FRATER CERBERI, DELICIUM COMI, CUSTODIA REGIÆ. SIQUIS AUT LAPIDE ME ICERIT, AUT FUSTE PERCUSSERIT, LÆSUM NUMEN SCIAT, ET FATUM EXSPECTET HECUBÆ, ÆTERNUM CUM LARVIS LUCTATURUS.

 Cùm

Cùm legiſſem, directis in Aderbam oculis, Periimus mi frater, inquam, ac planè barathrum nos habet, niſi repentinum ſalutis iter Fortuna oſtendit. Facinus admiſimus, Deorum hominúmque omnium iris (hujuſmodi hæ minæ ſunt) plectendum. Dubius conſilii adſtabat Aderba, periculi metum ſilentio digerens; cùm repentino clamore ac tumultu Regia perſonuit. Ego jam metamorphoſin noſtram exſpectabam: & ecce longum Bacchantium agmen ſe explicuit digeſſitque, obviam Regi ſuo iturum jam advenienti. Tum Lycus ille humi fuſus, & mortuo ſimilis, ſive luce (nam faces præferebantur) ſive clamore experrectus, in pedes velut è ſomno exſiluit; & totus ad blanditiem compoſitus, tamquam delicias Hero faceret, geſtientem agitabat caudam. Aderba bonum factum putavit, tam bellâ uti occaſione; &, In hanc turbam, dum licet, nos mergamus, ait; æſtus ipſe in ſecuritatis aliquem portum feret. Interea COMUS Luxu Laſciviáque ſtipatus ingreditur. Horæ ſuaviſſimos Veris odores, omnemque florum purpuram ſpargebant. Amorem Gratiæ, Deliciæ, Lepores, ceteræque Hilaritatis illices ſequebantur: Voluptatem Riſus, Iocúſque.

Cum

Cum Saturitate ſoror Ebrietas erat, crine fluxo, rubentis Auroræ vultu: manu thyrſum quatiebat, ac breviter, totum Bacchum expreſſerat. Iuxtà, Inſania, Furor, Rixæ, Iurgia, Pugnæ: tum Vomitus, Cruditas, Morbi,

Et ſubitæ mortes, atque inteſtata ſenectus.

Sed inter haſce maculas aliqui cum dignitate relucebant, Septemviri Epulones, Tribuni Voluptatum. In extremo agmine Lurcones, Comedones, Ventres, & Nepotum, Apiciorumque turba. Erat etiam, qui Sardanapalum, qui Lucullum, qui Heliogabalum referebat, & ne Philoſophus deeſſet, qui Epicurum. Pulchrum ſcilicet, in Sapientiæ ſinu Luxuriam abſcondere, & à blando nomine patrocinium vitiis quærere, & quoddam velut velamentum. Senecæ, quidem iſta ſententia eſt, *Sancta Epicurum & recta præcipere, &, ſi propiùs acceſſeris, triſtia: voluptas enim illa ad parvum & exile revocatur; &, quam nos Virtuti legem dicimus, eam ille voluptati: Iubet illam parere naturæ: parum eſt autem luxuriæ, quod naturæ ſatis. Quid ergò eſt? ille, qui deſidioſum otium, & gulæ & libidinis vices felicitatem vocat, bonum malæ rei quærit auctorem; & dum illò venit, blando nomine inductus ſequitur voluptatem,*

tem, non quam audit, ſed quam attulit: Sic vitiorum infamiam à Sectatoribus Magiſter capit, & in COMI contubernio Epicurus, quia Epicuréi. Porrò ſequebantur, & totius pompæ veſtigia premebant cæcâ caligine Nox, Tenebræ; Somnus, Silentium, Torpor, Terror, Horror, qui in limine, aut primo ſtatim atrio, tedarum, & refulgentis undique metalli ſplendore diſſipati, evanuerunt. Umbræ tamen audaces quædam, olimque menſarum aſſeclæ, irrèpere & penetrare mihi viſæ, quibus & ipſe COMUS familiaris dicebatur. Interea.

--- vario ſtrepit icta tumultu
Regia, pars oſtro tenues, auróque ſonantes
Emunire toros, altóſque inferre tapetas:
Pars teretes levare manu ac diſponere menſas.

Lætiſſimo obſequio tota fervebat domus. Tot coqui, ut in unam coquinam migraſſe forum Romanum videretur: tot famuli, ut exercitum diceres.

His labor inſerto torrere exſanguia ferro
Viſcera cæſarum pecudum: his cumulare canistris
Perdomitam ſaxo Cererem.

Admiratione defixus hærebat Aderba, & ego manum ejus premens, Vigila, vi-

la, vigila inquam, niſi imago me numinis fefellit & oratio, ſolènnia iſta COMI ſacra ſunt, &, ut ſpectentur, fiunt. Oculos para & applauſum, poteris inter Myſtas eſſe. Ille adversùm intuens, De Myſtis parce, inquit, ad iſtas aras profanus eſſe nil moror: ſpectare tamen ſi me voles, Argus ero, non Aderba, & ridendam animo ſcænam imprimam. Quin etiam, dum fervet hic undantis & indigeſtæ turbæ æſtus, penetralia inimus domus, & furtivi ſpectaculi promulſide naſcentem curioſitatem excitamus? Annuo, ſimulque per confertam hominum frequentiam tranſverſo niſu viam aperio. Sequebatur Aderba, &, cùm vultus quorundam impudentiâ ſtolidos, pleroſque perſonatos videret, Quid iſtud? ait, in aurem mihi ſuſurrans; an membra jam laſciviæ deſunt, & veſtire faciem mortales incipiunt, cum pudoris damno? Etenim plus hic larvarum eſt, quàm hominum. Ego ſubrexi oculos, & rei novitate commotus, ſeniculi adſtantis laciniam duxi. Dic pater, inquam, an his obſcœna facies, & velari debet? Ille ridens, oreas vides, aït, & his vinclis oris dentiumque feritas coërcetur. quos homines putas, lupi ſunt, & è Dauniâ Gætuliáve monſtra morſu

 infeſta.

inſeſta. An dicam etiam? Sub perſonâ vivere pulchrum eſt; frontem fingere, ut animus lateat; ſimulationem induere, ut mores commendentur. Tamen ejuſmodi infulis Sacerdotes ſuos COMUS inſignivit, perpetuáſq; in Regiâ ſuâ voluit eſſe Quinquatrus. Hoc ſermone non illepido excepti, ad fauces adverſi liminis pergimus. Hîc adoleſcens cum amphorâ & cyatho ſtabat, & intrantibus propinabat vinum. Is cùm meraco & nectareo ructu utrumque ſalutaſſet, Si fortè ſicci, inquit, aut ſobrii, iſto rore palatum imbuite: tam ſacer hic locus, ut jejuno etiam ſpiritu inquinetur. Hauſit prior Aderba tam religioſam fragrantiam, & converſus ad me, Liba, inquit, & æternitatis deſiderio animum accende. Reliquiſſe mortales videor,

--- & Iliacâ porrectum ſumere dextrâ
Immortale merum. Steriles tranſmiſimus annos,
Hæc ævi mihi prima dies, hæc limina vitæ.

Dixerat, & ego, ut riſum jam ebullientem poculo reprimerem, eâdem pectus ambroſiâ prolui. Tum converſus ad Pocillatorem, Iſti quidem latices, inquam, tam divini, ſitim apud ſaturos inveniant, & in ſympoſii calce. Imò ait, ut delicias ſcias noſtri Laris, hunc liquorem

quorem vernulæ profundunt: potentis Bacchi pretium norunt, qui cum COMO cœnant: & cum dicto in Sacrarium tranſire nos juſſit. Vidimus in fronte nudæ Veneris ſtatuam è pario marmore, tamquam è rore ſpumantium fluctuum educatam. Quid attinet cum formæ detrimento formam adumbrare? in Venere Venus, & in toto lapide Voluptas ſpirabat. Cupido puer laſcivo geſtu matris æmulus, pinnis, arcu, & flammis armatus, cæco impetu amoris telum vibrabat. Ad dexterum parietem Bacchi ſignum erat, Autumni maturo ornatu muſtulentum. Thyrſus pugnum implebat, hujuſque mucronem lambentis hederæ nexus exarmaverat: diceres ebriâ quaſſatione ipſa non tantùm motu folia, ſed ſuſurro animata. Siniſtrum latus Ceres occupabat ſpiceis ſertis caput cincta, & qualis in Eleuſiniis ſacris colitur, benigno cornu beatiſſimos ruris honores fundens, aureámque ubertatem. Cultores ſuos hæc numina invenerant, & jam genua laborabant ceratis deliciis votorum. Legebam dapes, merum, formam, & quidquid Gula aut libido poſcit. Murmur verò totum locum impleverat; &, ne priſcus libidinis geſtus deeſſet, dexteram plerique, primore digito in erectum

 pollicem

pollicem reſidente, ori admovebant, bonæ Veneri ſupplices. Quin hîc quoque Nuptiarum, neſcio quæ, ſolennia; & ſacrum jugum viri mulieréſque ſubibant; uſu, farre, coëmptione jungebantur. Ergò in thalamum nos veniſſe COMI intellexi. Nam & virgines quædam flammeo nuptæ incedebant, quæ laneis vittis poſtes ornaverant, oleóque unxerant, aquâ adſperſæ, & pronubo annulo oppigneratæ: aliæ è gremio matrum rapi, Sabinarum in morem. ac interim Talaſſio, Talaſſio audiebatur. Dum miramur tam inſolitos ritus, ecce ſimulacra pluſcula proferuntur. Aderba ſcire avidus, quibus numinibus bajulantium brachia laſſarentur, à puero prætextato, qui ſpinam albam accenderat, & pars quoque pompæ videbatur, nomenclaturam extorſit. Ille non invenuſtè, verborum compendium quærens, digitum extendit, &, Quem primum vides, inquit, hortorum Deum appellamus, hæc ſecunda Virginenſis eſt, iſte Subjugus, tum Prema, & Pertunda: obſcœnam religionem, quid exponam? ſcire, non revelare hæc ſacra licet, nec ætatem meam urge. ac ſimul vultum ſermonemque avertit. Ego Aderbani compellans, Hem, ingenium pueri! inquam; ad malitiam ſapit.

ſapit. Nos autem, quid hæremus? Hîc ad nuces, & Feſcenina ibitur: caſtæ aures ſubducendæ ſunt. Sic ergò, perluſtrato ſacerrimo loco, greſſus retulimus, & in ſpatioſam illuſtremque tedis porticum delapſi, novo ſplendore oculos paſcebamus. Hîc Zeuxis, Parrhaſius, Apelles, & ſiqui iſtius notę, Naturæ opera coloribus vicerant; hîc Lyſippus, Phidias, Praxiteles, & magni illi imaginum Promethei ſudarant. Maturæ artis mera miracula cerneres, partim penicillo adumbrata, partim celte & ſcalpello effigiata. Imago tamen COMI inſigni & pervetuſtâ picturâ eminebat, quam ipſam Philoſtratus olim deſcripſiſſe fertur. Ego Latinè breviterque repræſento.

COMUS DEUS, *à quo mortalibus Comeſſari, in thalami foribus adſtat aureis, hinc lumine, iſtinc tenebris circumfuſus; tamquam in pugnâ noctis ac tedarum. Quid mirum, contemplantis oculos caligare? non corpore, ſed tempore nox adumbratur. tempus pingi difficile eſt. E veſtibulo feliciſſimos in thalamo cubare ſponſos facilè conjicias. Ad hos* COMUS *juvenis juvenes rectà ferre greſſum videtur, geſtu mollis, facie præ vino rubicundus, ac bellè potus, face in Somnum pugnans. Sanè tedis flos ætatis ac formæ à pictoribus illuſtrandus*

dus eſt, & ſine tedis cæcutiunt picturæ. COMI *tamen adſpectus pauxillulum nutat, umbramque à capite & corollâ trahit. ceteræ corporis partes clariſſimè efficta, & à faculâ relucent. Fragrantes autem roſæ tempora cingunt, tam ſanguinei vernantiſque floris, ut ipſos quoque putes odores pictos eſſe. Viliſſimum hîc quidem artis pretium, color. Quid reliquum* COMI? οἱ κωμάζοντες, *ſive Luxus Laſciviáque. Crotala, ſiſtra, tympana, vides: imò ſtrepitum vocéſq; ab ipsâ picturâ audis. Lampades ſublucent quoque, unde & videre, & videri Laſcivientium ille chorus poteſt. Promiſcua verò turba hominum petulanter exſilit, mulierculæ cum viris incedunt, & communes ſoleas habent, prætérque morem cinguntur. Nam & mulieri* COMUS *indulget virum agere, & viro ſtolam induere muliebrem, muliebritérque incedere. Sed coronæ his non ampliùs floridæ, hilaritate per luxum laſciviámque imminutâ. Florum enim libertas manum averſatur, omniſque contrectatione hilaritas flacceſcit. Planſum etiam quemdam pictura imitatur, cujus maximè indiget* COMUS. *Siniſtram enim ſoror ejus dextera ita ad cavum plectit ſtringitque, ut cymbalorum inſtar percuſſi articuli conſonent.*

Totus in hac tabulâ hærebat meus

Aderba, & ingenioſos colores non imperitis oculis ſcrutabatur. Ego autem lentis paullatim veſtigiis aberrans, cùm totum parietem perſequerer, video in extremâ porticu, neſcio quem, cum libro & ſtilo, hominem novum. Tranſcribere è confuſis ſchedis, moroſo labore, verborum ſententiarúmq; Atticas quaſdam λεκύθυς videbatur, ac planiſſimè lucubrare. Facilè divinabam à ſtultiſſimâ Famæ ſiti æſtuantis hunc animi cruciatum naſci. Itaque, fronte animatâ, acceſſi, &, Niſi impedio, inquam, dic obſecro: an & Litteræ hîc habitant? Ille tamquam è profundâ cogitatione emergens, De Litteris rogas? aït. ita, ita, hîc habitant; nec opus tamen aut utile,

Pallere, & vinum toto neſcire Decembri.

Apud Cimmerios tam locuples ingenii doctrinæque cenſus, ut etiam ebrii ſapiant. Tu tamen ſiquid habes, promas licet: non ſcire tantùm, ſed æſtimare litteras noſtrum eſt. Ac meherclè nomen ſi juvat, ſummum ingenii pretium; occaſione utere: nuſquam majores plauſus, quàm in hac ſcænâ. Liber frontem & facundiam donat, & ut ſcias in porticum te veniſſe, mellitos verborum globulos exſpecta, & omnia dicta factáque quaſi papavere ſparſa. Orat, quiſquis loqui

diſſerentiumque frequentia dilabitur, ac mox tanta ſolitudo, ut videretur non hominibus tantùm, ſed ipſis quoque Litteris porticus exhauſta. Ergò manum mihi injiciens Aderba, Quid ſtamus? inquit: ſine periculo tam multorum veſtigia ſunt. ſaltem, ſtomachus tibi ſi nauſeat, ludos iterum oculis demus, & ipſam PHAGESIPOSIORUM (hæc celebrari audio) pompam arbitremur. Non recuſo, inquam: duc & ſequor. & cum dicto, ceu relliquias turbæ, nos quoque ingens cœnaculum admiſit. Seorſim, pluſquam Aſiatico circumfuſus luxu, accubuerat COMUS. Numen aliquod eſſe apparatus indicabat. Reliquas deinde menſas longo conſeſſu omnis ordo, ætas, ſexus ſtipaverat.

Ipſa ſinus accincta Ceres, Bacchúſque laborant
Sufficere.

Quid attinet ſuperbiſſimas delicias diſpari verborum conatu referre? Pro majeſtate domus epulæ quoque erant. Etſi enim pavimenta marmore cæſim diminuto in varia emblemata cogebantur, etſi laquearia laborioſâ auri picturâ coruſca: tamen arte, pretio, & ambitione, dapes ſuperabant. Nequid etiam ſtrepitus deſit furori provocando,

-- gemina

--- gemina æra ſonant, Idæáque terga,
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.

Jam antecœnia ad illicium gulæ deflorata, jam fercula robuſtiora moroſâ fame imminuta, jam menſæ ipſæ poculorum quodam flumine inundatæ, effuſam hilaritatis procellam concitarant; cùm, ut aliquid ſui numinis ſpectatoribus COMUS impertiret, buccearum exquiſitiſſimas lautitias in mediam turbam miſit. Hinc ſtrepitus, & tamquam mare impulſum Africo, totum triclinium æſtuabat. Nos unda quoque hauſerat, & reciproco deinde motu in extremam columnam, velut ſcopulum, pænè illiſit. Ergò parietem, ceu litus legimus: & ecce ſenem video floridi adhuc oris, quem intuens, Téne video inquam, optime & amiciſſime mi TABUTI? an me ludunt oculi in hac imagine rerum? Ille effuſus, Ita, me, inquit, annis conſitum, ab ipſis huc Inſubribus poſtliminiò delatum. Ego iterum: An tantum ætatis ſuis etiam alis Somnus vehit? Ita ait Tabutius; & quaſi non locum dicam, ſed ætatem mutaverim, primæ juventæ imaginem, ſeverâ nunc cogitation: uſurpo. Acceſſerat intereà Aderba, & in loquentis collum brachia expandens, tenerrimo amplexu ſalutis

oſculum

oſculum libavit. Tum verò Tabutius ſub extremam triclinii fornicati teſtudinem nos ducens, fari ſic cœpit. Non mihi novus Cimmerius hic COMUS: in meo quoque corpore ſanguis olim caluit: aliquid etiam ætatis ludo & lubentiæ dedi. non ſine floribus Ver habemus: nec florere omni Horâ datum eſt. Itaque miſſis nugis, ad ſeria, ad quietem, ad Sapientiam me compoſui: anni animum confirmarunt. Hunc ſpecto ſolutæ corruptæque vitæ typum, ut damnem atque irrideam. Ulyſſem me putate; nihil in robuſtam Sapientiâ mentem Sirenes omnes poſſe. imò Democritum me putate, & tacitâ ſaltem cachinni cenſurâ molliſſimos proſcribere ſeculi mores. Vos autem alienos eſſe ab his Sacris, ab his locis maximè decet, & ne cogitatione quidem frequentare. COMUS iſte bonæ ætatis tyrannus eſt; deliciis capit animos, ut enervet. Quem videtis Luxum Laſciviámque, ſervitus eſt, & quidquid in homine ingenui, extinguit. Quid reliqua illa & mollitiæ diffluens turba? noxia, & per Autumnum ſæviens aura, quam ſine morbo, aut periculo morbi non haurias. Ne blanditiæ imponant: fraudes aut corruptelæ ſunt. non amor hîc, ſed fucus

eſt;

eſt; non amici, ſed domini. Vultus iſtos cernitis, riſu & pellaciâ amœnos? livorem & malignitatem tegunt. In alieno hîc orbe & extra homines agitis: incautos ficta humanitas deludat. Etiam dico? Erit, qui domum, qui hoſpitium longis promiſſis adornabit; ſed dicis aut moris, non amoris cauſſâ. Admittere ſine damno beneficium non licet. Exulare Candorem & ingenuitatem COMUS voluit; Fucum & Fallaciam civitate ſuâ donavit. Itaque adfectu qui caret, quidquid ſumit aut inſumit, imputat; hactenus blandus, ut obligaſſe videatur. Tunc frontem & imperium ſumit, & niſi ad arbitrium Amicum habet, odiſſe incipit: cùm habet, ſatis ſuperque amoris eſt, non deſpexiſſe. Hem! non hoc præſtare beneficium; eſt vendere. Tam ſuave lucri compendium, ut in quæſtum Teſſera veniat. Sed ſi ex vero loquendum, has maculas ambitio induxit, & poſtquam promptiſſimum humanitatis officium luxu inquinatum, omnis menſæ & ſimul amicitiæ uſus periit. Exemplo malim, quàm verbis loqui; & vos ipſi, Amorem & Frugalitatem jungi poſſe ſcitis. In domo & convivio nitor amandus, ſed ingenuus, & quem modeſtia ipſa præſcribit. Videri ipſe hilaris, quàm ſollicitus

malis,

malis, & videre talem, quem excipis, ne apparatu percellatur. Pompæ & portenta luxuriæ quem delectant, Sapiens arcet: Fortunæ ſuæ vires ſumptu non oſtentat. Vitæ placeat regula, quæ oculos amici teſtes ſuſtinet, amátque publicari. Delicias mentiri, ut pro Genio vulgi ſapias, ſtultum eſt. Laudo hoſpitium, in quo nihil hoſpite melius eſt: in quo nec ſuppellex luxuriat, nec κυλικεῖον ſuperbit, nec tori ornantur, nec parietes veſtiuntur, ut fucum faciant. Epicteti præceptum eſt: *Noli tabulis & picturis ædes tuas occupare; ſed modeſtiâ, ſobrietate, temperantiâ depingito. Quod enim aliunde accedit, impoſturâ quadam ad paſcendos oculos adhibetur. Modeſtia verò eſt innatum, & indelebile, & perenne domus ornamentum.* Inſpici vita cujuſque & mores debent, & ab unâ aliquâ cœnâ tota victus ratio cenſeri. Ita quidem ſine moleſtiâ hoſpitium, conviviumque paratum; etiam cùm imparatum eſt; nec, qui ex improviſo venit, opprimit. An quis velet, ut adventum ſuum macellum ſentiat? ut *culinæ fumus* (Senecæ formula eſt) *vigiles terreat?* ut vicini omnes ſciant, hoſpitem, aut convivam adveniſſe? Malus, qui amici adfectum ſumptu ponderat: ſed ſtultus & reprehenſione

henſione dignus, qui in alienum honorem intemperans, facit ſumptus, ut æſtimet; qui ſi quid debet, demenſo menſæ pretio pariat; qui vocat, quem venire nolit; qui excipit, ut arceat. Miſerum beneficium, cùm in gratiam menſa cedit, & pro hoſtimento fercla ſunt ac numerantur. Ut vivit Sapiens, ita & amicum curat. nec minùs exemplo, quàm ſermone ad ſobrietatem ſe componit. Quorſum in Luxum ſevera oratio, ſi menſa diſcrepat? & Curios præcipiam, Luxuriam ſi amplectar? Odi homines, quibus in ore ſententiæ natant, in animo nutant, qui paucis litteris immane ſapiunt, ſed vanitate & ambitione occupantur. Hoc age, ne à ſtudiis mores diſcrepent, ut dicendo pariter ac vivendo bonus ſis, & adfectus tuos regas. Oppugnare verbis Fucum Luxumque poteſt, qui Moribus cœpit: & oppugnare ego audeo, quaſi cœperim: apud vos certè, qui mores, pro ingenio bonos, amatis. Tales autem amicos præſentes, quidni cupiam? cur Larem non pandam, quibus animus patet? non invitem, qui excipi ſine apparatu gaudent? Vos volo, imò voco; ſed fucatum hoſpitem, & *--- ſuperbum*

Convivam caveo, qui me ſibi comparat, & res

Deſpicit

Deſpicit exiguas.
Mihi nec lubet, nec licet etiam ad exemplum ſumptuoſo eſſe, aut ad polluctum quemquam vocare: nec vobis lubeat. Ita cibum amicis parate, convivium inſtruite, tamquam ſoli cœnaturi: nec oſtendere frugalitatem veſtram pudor ſit, quâ nemo niſi intemperans offendatur. De me ſi quæritis,
Plebeios calices, & paucis aſſibus emptos
Porrigo:
tum lances patináſque, in quibus præter cibum nihil æſtimetis; imò ne cibum quidem, Apicii ſi veniſtis. *Placet cibus* (ut cum philoſopho dicam, libro de Tranquillitate) *quem nec parent familiæ nec ſpectent: non antè multos paratus dies, nec multorum manibus miniſtratus; ſed parabilis faciliſque, nihil habens accerſiti pretioſive, ubilibet non defuturus, nec patrimonio gravis nec corpori, nec rediturus, quà intraverat.* Et, quid opus arte nidorem quærere, & unam aliquam cœnam plurium dierum expenſis onerare? Citra luxum hilaritatem inveniam, & delicias honeſtæ voluptatis. O ſuavem illam menſam, quæ famem ſedat, ſed ut provocet! quæ vigorem alit mentis, non obruit! quæ paſcit, non ſaginat. Sic dimittendus conviva, ut qualis venerat, redire

redite poſtridie poſſit. Maximo damno cœnat, quiſquis valetudinem impendit: ſed nimium quoque pro ſumptu præmium exigit, qui imperio utitur, & cibo potuq́ue ad morbum compellit.

Dixerat Tabutius, & ſimul decumano epulantium plauſu ad novam convivii faciem converſi ſumus. COMUS, ut novis illecebris vergentes ad inſaniam ſtimularet, ſubſtructis in tumulum ſtragulis, truncum corporis erexit, & geſticulantes explicuit manus, ad cytharam canturus. Jam dextrâ ſilentium popoſcerat, omnemq́ue illum clamorem ſedaverat, & impellere ſollerti digitorum ingenio nervos cœpit; imò jugi ac planè molli carmine chordarum melos animavit.

Limen süavioris
Qui læve pulſat ævi,
Nomen bonis daturus
Satris PHAGESIORUM;
Condiſcat ille molli
Ditare melle guttur,
Dotare pectus udo
Mitis lepôre Bacchi:
Condiſcat ille fracto
Terram gradu pavire,
Fulvæ vigil lucernæ,
Et ebriæ lucernæ

Cultor,

Cultor, novúſque Myſta
Noctis, Meríque Myſta.
Nil turpe, nílque factu
Fœdum putet: latere
Caliginis ſub atræ
Velo poteſt opaco,
Quod turpe, quodque fœdum.
Quid ergò? quid moramur?
Cur non ſacro gemella
Luſu furit Voluptas
Dulciſſimi Lyæi,
Dulciſſimæ Diones?
Veni, veni Lyæe,
Te COMUS, *atque* COMI
Florens rogat caterva:
Veni, madere ſuave eſt:
Veni, perire ſuave eſt.
Pleno vetuſtioris
Florem cado Falerni
Carpamus ô Sodales.
Trullis, ſcyphis, diotis,
Carcheſiis, culignis
Delere fas ſeveræ
Nævos notáſque frontis,
Nævos notáſque mentis.
Et tu veni Dione,
Veni, veni Dione,
Riſum, Iocúmque prome
Vrentis & furentis
Duces ſatellitéſque

Cupidinis

Cupidinis procaces.
Veni, ſinúque prono
Nectar ſalax, favóſque
Largire, lacteúmque
Rorem Süavitatum.
Triſtes abite curæ:
Tranquillitatis almæ
Hæc ſacra ſunt, perire.
Hîc Gratiæ decoræ,
Hîc Illices Amorum,
Laſcivientiúmque
Libidinantiúmque
Hîc lucta baſiorum,
Compreſſiuncularum,
Et morſiuncularum,
Iam puberis puelli,
Iam nubilis puellæ.
Hîc Fervor, & Iuventas,
Lubentiæque ſunt hîc.
Hîc ipſe COMUS, *ipſe*
Adſum pater Lepôrum,
Adſum pater choreæ,
Et arbiter Iocorum,
Et Elegantiarum
Nocturnus, ille veſter,
Mortaliúmque molle
Numen. Perire veſtrum eſt,
Sed molliter perire,
Perire non perire.
Quem non juvet virenti

Bacchique

Bacchique, Cypridiſque
Vmbrare fronde frontem?
Licebit & venuſto
Rorantium impedire
Serto caput roſarum,
Micantiúmque florum.
Ergò juvet perire;
Madere, non perire;
Prurire, non perire:
Pictámque mollicellis
Signare humum choreis,
Et igneis ocellis,
Et uvidis labellis,
Et ebriis medullis
Libare blandioris
Vernantem Amoris auram,
Catullientis auram.
Hoc puberes puelli,
Hoc nubiles puellæ,
Hoc omnis ordo & ætas
Agat: perire ſuave eſt,
Sed ſuaviter perire,
Perire non perire.

Cœnaclûm totum ad pſallentis motum arbitriumq́ue videbatur flecti: Convivæ attoniti, & velut extra ſe poſiti, fugientem in auras harmoniam ſenſu errabundo ſequi: menſæ, dapes, cyathi, atque ipſæ circumquaque imagines ſtatuęq́ue, hominum inſtar, vivere & geſtire: faces

 & lu-

& lucernæ, criſpati ſoni aëriſque gyris percuſſæ, tremulis flammulis laſcivire. Ridebat interim inſolentis ſtultitiæ miraculum Aderba, cùm neſcio, quo infortunio, abacus omniſque ille liventis auri argentique congeries cecidit. Ego ſuſpicatus vaſa quoq; vivere & ſaltare ebria, magno ſplenis pruritu laborare cœpi, nec jam amplius impetum compeſcens, in liberrimos cachinnos erupi. Sed ô meum infortunium! Lychnus Apollinis fronde cinctus ornatuſque, qui è laqueari capitibus noſtris impendebat ſerico demiſſus fune, tamquam riſu meo commotus & æſtuans, ſtillas aliquot fervantis olei in veſtem meam extremam cum ſtridore evomuit, lanæque nativum candorem, nec fullonis adhuc operam expertum, pingui maculâ infecit. Aderba non ſine ſtomacho ſuſpiciens, Ergò, inquit, injuriarum nos quędam hîc mancipia ſumus, & peſſimis inſontes modis urgemur? Nunc latratu umbræ lacerantur, nunc ardenti humore veſtes conſpurcantur, & à cane in lucernam rabies migravit. Sed ille quidem dexteræ meæ vim irámque ſenſit: & tu fuſci luridique luminis impuriſſima anima ſpiras etiam, & exultas? Simulque in vacuam, quæ aſtabat, ſellam evadens,

valido

validoſ pulmonis niſu flammam nequicquam reluctantem diſſlavit in nebulam, penituſque exſtinxit. Sic igitur denſo fumo quidquid erat luminis ſepultum eſt; cumque fœdiſſimo nidore vindicare Mortalitatis ſuæ fatum videretur, nos in proximum conclave Tabutium præeuntem ſecuti ſumus. Hic quies erat, & præter morem Regiæ, alcidonia quædam noctis. Etenim languebant tedæ, & lucernæ pænè aridæ tenue & extremum lumen ſpargebant. Somnus etiam, perfractis feneſtris, illapſus, diffundebat papaver ſuum. Sed jam antè vinum quoſdam vicerat; aliique non tam corpore, quàm ſopore, ſedilia impleverant; alii in ipſo pavimento conjunctis marcebant capitibus, cirneas adhuc complexi. Ego delectatus tam ſuavi ſchemate, Quid, inquio, an & hi Poëtæ fiunt, & in porticu recitabunt? Scilicet, Muſarum hic Apollo, ait Aderba, COMUS eſt: in pænam iſti dormiunt,

--- frangent ſubſellia verſu,
Et tamen eſurient.

Tum Tabutius toto Sapientiæ habitu frontem induit, &, Quæ videtis, ait, imò quæ vidiſtis, nova, lubrica, noxia ſunt; & his tamen mens perversâ conſuetudine corrupta delectatur. Vos hic

ſedete, & audite: mihi loqui lubet, &, quia ſine arbitris ſumus, in ſilentii hoc ſecreto ſtultiſſimos PHAGESIPOSIORUM ritus enarrare.

SAPERE quidem bono ſi exemplo decreviſtis, alius ævi mores inſpiciendi ſunt, cùm voluptatis jugum ferre mortales nondum didicerant. Nunc enim tenebris circumfuſi, & plus quàm Cimmeriis, omnem liberi pectoris majeſtatem protrivimus, &, quod extremum infelicitatis genus, quiſquè ſibi ſervit. Animos erigite, quidquid impoſturâ allubeſcit, ſpernite: in ſolâ Sapientiâ libertas eſt, in ſolâ Virtute gloria.

Virtus eſt vitium fugere, & Sapientia prima
Stultitiâ caruiſſe.

Anne ſapere vobis videntur, qui Luxu Laſciviáque magni ſunt, qui ferculis vinóque ſtrenui, & ſumma Sacra, COMI habent? In quâ Regiâ ſimus, quâ dominatione premamur, minimè vos fugit. Libertatem tamen animo ſi concipitis, ab iſtâ palæſtrâ alieni eritis, in quâ pro oleo merum eſt, & poculis patiniſque cernitur. Rideat, ringat, quidquid uſpiam naris eſt; turbet, ſæviat, quidquid uſpiam bilis: ſobrii eſte, mentem & valetudinem omni imperio laſcivientis

tis ævi majorem habete. Sedere, madere, garrire Conviviorum ſolennia ſunt: mille naturæ injuriis ſobrietas expugnatur. Iſtam ſi audimus, quidquid ultra famem ſitimque, grave & pro nauſeâ ſit. Ac ſanè, diurnare in Convivio, aut pernoctare, annon Herculeus labor? Non perſeverare, cùm adſederis, turpe, imò ignominioſum eſt. Ut qui navem conſcendit in poteſtate naûcleri & maris eſt: ita, qui PHAGESIPOSIORUM undis ſe commiſit. Blandas fallaceſque invitantium voces, quid refero? Sedebis, inquiunt, quantillum voles, edes bibeſque quantillum voles, liber & immunis poculorum eris, & in tuo velut lare. Sed quid fit? Vix antecœnii florem prima hilaritas fregit, & alia prorſùs oratio eſt.

Es, bibe, animo obſequere mecum, atque
onera te hilaritudine:

è melioribus diem iſtum habe, Genio & amicis paucas aliquas horas vive. Εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα. *In craſtinum ſeria.* An tu id agis, ut triſtitiæ velut nebulis animi vigorem obruas? Remiſſione interdum opus: *Meliores acrioréſque requieti ſurgunt.* Quippe in hunc finem Convivia inſtituta, ut vegetè quodam hilaritatis rore laſſam curis mentem imbuant erigántque.

Narratur & priſci Catonis
Sæpè mero caluiſſe virtus.

Imitare, & triſtem paulliſper ſeveritatem remove, ad curas rugáſque mox relapſurus. Mos igitur gerendus, atque etiam ingratiis. Alius lancem porrigit, alius cyathum; nemo non urget, ut amare videatur. Sic damnoſus adfectus eſt, &, quod miſerrimum, eo imprimis officiorum genere obligamur, quo lædimur. Intereà verò laſcivia gliſcit, & longo ad vaniſſimam pompam ordine, lenocinia menſę cumulantur, non guſtanda solùm, ſed ſpectanda. Minimum eſt, quod edimus: quaſi totam crapulam gula non capiat, etiam oculis cœnamus; in ipſis oculis gula eſt. An ad veterem morbum? *Non ſunt ad popinam*, ait Seneca lib. III. Naturalium Quæſtionum, *dentibus & ventre & ore contenti; oculis quoque guloſi ſunt.* O fatuam neceſſitatem! ad fercula, imò ad pocula damnatur quiſquis accubuit: Cereris Liberique hi vigiles quidam labores ſunt, & tunc breviſſimi, cùm maximè exantlantur. Depyges olim Athenienſes dicti, quia rei nauticæ ſtudioſi, & in tranſtris ſedentarii, nates deplanarent: nos ſumus, ſed in conviviis, & longâ ſeſſione pertinacem Socratis ſtatum vincamus.

Omnes

Omnes epulæ luxu conſtant, & quaſi deliciis parum molles, morâ effeminantur. In noctem prandium ducitur, in diem cœna; quietem cibi non inveniunt, ut concoquantur. priùs ſomno quàm inſaniâ occupari, turpe: ebrios lectulus exſpectat, dimittit ebrios; nec tantùm ſpatii popina indulget, ut edormire crapulam liceat, aut vini furorem edomare. Videte, ſultis, ipſam cœnæ & PHAGESIPOSIORUM ſcænam: *Dapes*, & ſimul *Convivas*.

Ad pompam & oſtentationem DAPES ſunt; nec Dapes, niſi aut voluptate morentur conſidentium oculos, aut invidiâ accendant. Ordinem ipſum quomodò explicem? Confudit fercula cupediarum indagine defeſſa luxuria; & cùm deſint, quæ addantur, miſcere lautitias cœpit, ciborumque & condimentorum velut adulteriis nova menſæ monſtra dare. Cuncta luſtrate: ab omni Miſſu auſpicium eſt. Etiam quaſi pigeat eſſe ſingula, coguntur in unum ſapores. *In cœna fit* (cenſuram Latini Stoici auditis, epiſtolâ XCV.) *quod fieri deberet ſaturo in ventre. Exſpecto jam ut manducata ponantur.* Si auguria placent; cum pennis aliſque altilia inferuntur, ſpecie & nidore magnifica; &, tamquam ignis

ſatis non utat, aromate excocta. Tamen vivere dicas: non ut edantur, ſed ut edant, in menſam involaſſe. Turdi, coturnices, perdices, infauſtæ aves ſunt; nec niſi vilioris gulæ. Pavus ipſe, olim Samius, nunc Cimmerius, omnis Convivii verna eſt; & vix jam, floridam illam pictámque tot oculis caudam pandens, oculos mulcet. Pandit tamen, ut inter tot faces, quæ lucent, nubem aliquam verſicolorem videre liceat, & in umbrâ epulari, imò præliari. Nam quædam velut pugna ipſa cœna: milites & caſtra cibi ſunt, imagines lurcamur, arces & urbes expugnamus ac diruimus: toto Convivio Bellaria ſunt, tamquam à bello dicta. Lepidè, & ad rem Manilius:

Luxuriæ quoque militia eſt vigil, atque ruinis
Venter.

Summa, quidquid rarum aut difficile paratu, ſaporem dumtaxat habet: & hæc jam delicatæ eſuritionis ambitio eſt, ut non poſſit niſi pretioſis cibis ſedari, ſi tamen ſedari.

--- Numidarum paſcimur oris,
Phaſidos & damnis: arceſſitur inde macellum,
Vnde aurata novo convecta eſt æquore pellis.

Satyricè,

Satyricè, & tamquam Arbiter dicam:
Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afra volucres placent palato;
Quòd non ſunt faciles: at albus anſer,
Et pictis anas enovata pennis,
Plebeium ſapit. ultimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis
Siquid naufragio dedit, probatur.
Quidquid quæritur, optimum videtur.

Imò ignorari debent, quæ ponuntur. At ne ſic quidem palatum, deliciis languidum, invenit, quo excitetur. E culinâ quidquid promitur, aut origine, aut fuco peregrinum eſt, aut utroque: adeò, ut ſi quærere pudor, quid comedas, quomodò comedas, cogaris. In tanto & tam vario Luxu, etiam colores gula poſcit, ſordentque cibi, niſi auro, argento, minio maculentur. Facit COMUS, quæ nec Lucullus, nec Trimalcio cogitavit, utroque antiquior. Sed Dii boni! quid curâ aut ſumptu opus? *Quid opus eſt* (Senecæ verbis utar, Conſolatione ad Helviam) *tot artibus ventri ſervientibus? quid mercaturis? quid vaſtatione ſilvarum? quid profundi perſcrutatione? paſſim jacent alimenta, quæ rerum Natura omnibus locis diſpoſuit. Sed hæc velut cæci tranſeunt, & omnes regiones pervagantur, maria trajiciunt, & cùm famem exiguo*

poſſint ſedare, magno irritant. O vanos! ô perverſos! Nam iſta omnia tam ſumptuosè quæſita, tam curiosè ſtructa, quid ſimplici ferculo melius habent? Ventrem, ceu cloacam ſubeunt, & comeſta eâdem fœditate occupantur. *Vis ciborum voluptatem contemnere? exitum ſpecta.* Imò vis ciborum ambitionem contemnere?

CONVIVAS ſpecta, & ridiculum auſpicium Canopiſmi. *Mollibus* (Sapientis noſtri vox eſt, libro de Beatâ vitâ) *lenibúſque fomentis totum laceſſitur eorum corpus; & ne nares interim ceſſent, odoribus variis inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ parentatur.* Ergò nec ſine mollitie Lavatio eſt, & ut ſciatis ſordes æſtimari, meliorem aquâ (quam optimam tamen Pindarus vocat) ſuccum invênit COMUS; floribuſque rorem expreſſit, quo abluantur. Viles, quia ſine fragantia, fontes ſunt; & quibus, ſaluberrimo naturę inſtinctu, pellere ſitim olim mortales ſolent, nunc vel fuliginem dedignantur. Ite Cimmerii, & Victuæ, Potuæque aram ornate: ſic ad COMI formulam vivitur. Prima verò & moleſtiſſima de ſeſſione herciſcunda velitatio eſt. Locum quiſque fugit, ut occupet; modeſtè, graviter, officiosè adſidet, ut

quàm

quàm diſſimillimus ſurgat. Etiam Sciſſoris munus controverſiam facit, quæriturque, qui cœnam virginem non ſine venere violet. Ex more ſcilicet, ne quæ ſuperbè parata, ſine pompâ deſtruantur.

-- Nec minimo ſanè diſcrimine refert,
Quo geſtu lepores, aut quo gallina ſecetur.

Arte igitur opus, & eruditâ quadam manu: quam ut promptam alii cum oſtentatione habent: ſic moroſam alii, ne peccent; ut etiam non guſtare malint, quàm ſecare. Sic verò intacti aliqui cibi remanent, & vulnus effugiunt, mox famulorum manibus lacerandi. Hi mores ſunt; ſed quos divitiis ſuis fovet, quiſquis vitiis elegans, omnemque in Luxu felicitatem vitæ, atque famæ ponit.

Vocem hîc contraxit Tabutius, & velut ſermonis materiem colligens, ſeriâ hæc mente, quæ dixerat digerere nos juſſit, atque paullulum etiam, ſi juberet, inambulare. Surrexit ipſe, & utrumque ſedato paſſu ducens, longiorem orationis ſeriem promiſit. Jam repetitis ſpatiis, aliquoties conclave emenſi eramus, cùm experrectus ex iis unus, qui ſtertebant, & deliquio lucernarum perturbatus, accurrit, flammáſque fugientes infuſo oleo revocavit. Sic momento re-

pulſa nox fuit. ille verò, quaſi minimum etiam guſtum hauſiſſet ſomni, non perfunctoriè dormire iterum cœpit. Itaque cum novo lumine nova diſſerendi occaſio nata: ſed dum aures animumque arrigimus, & dicturientis auſpicium officiosè veneramur; ecce è triclinio, pallium trahens, EUPANTUS advolat, communis ille noſter, non amicus tantùm, ſed Genius; purpureo virtutis colore venuſtiſſimè perfuſus. Loqui parabat: ſed Tabutius prævertens, Hem, inquit, an ſic delicias COMI deſeris, & hilaritatem? Ubi corolla? & cur non faciem iſtam obumbras, ſic multo Rubore & Igni læſam? Imò, ait Eupantus, multo pudore: & irâ dicerem, tu iſtum mihi ſi adfectum indulgeres. Per ludum cruciari, ſæviſſimum eſt: non COMUM (quis duxerit, noſti) ſed ludibrium, imò convicium invêni: temulentum virus ridens Calumnia effudit. Quot linguæ, tot plagæ; voces, vibices quædam erant, vix etiam Cynico animo concoquendæ. Hac pænarum adventitiâ exceptus ſum (Corybanti Lareno gratiam) etiam cùm peccaſſe me neſcirem. Itaque interrogavi crimen meum: & menſæ Genium geminâ ſum dictus impietate violaſſe. Tabutius, velut urgens, Et quâ impietate? inquit,

inquit. Illâ ipſâ ait Eupantus, quâ tu, ô veræ Sapientiæ & Virtutis germen, religioſum me eſſe docuſti: Sobrietate, & Silentio. Me miſerum! Parcus cibi, & ſermonis fui, & offendi, contracto ſermonis peculio, σιώπηλος ſedi, & tamquam Pythagoricæ ſeveritatis alumnus reprehenſus, & petulantiſſimis garrulitatis ſpiculis confoſſus ſum. Excipiens Tabutius, Hoc miſerum profectò, inquit, peccare, quia non pecces: calumniæ ſtigmate dignum cenſeri, quòd opportuno freno linguam coërceas, *verbáque* (cum Appuleio dicam) *quæ volantia Poëtæ appellant, ea verba, detractis pinnis, intra murum candentium dentium premas.* Sed inter garrulos tacuiſſe ne nunc quidem te pudeat aut pæniteat. Philoſophum agit, qui ſuo ſilentio alienam ἀδολεσχίαν reprehendit.

Δεῖ δὲ σιωπῆς πικρόν τι ἔχει κατηγορεῖ.
Silentio accuſare licet acerbiùs.

Addidit Eupantus, à ſuperbiſſimo Lareno, tamquam furioſo Tribuno, exilium ſibi paratum: ideóque præverti velle, & eâdem nocte proficiſci; ut ire, non expelli videretur. Non ſine ſervitute voluptatis apud Cimmerios vitam eſſe; imò ne vitam eſſe, æternâ caligine obſeſſam. Hæc cùm dixiſſet, de GAIO VIRIO

VIRIO amico ſuo quæſivit: &, Vidiſtin', inquit, ô Tabuti? Nam in hac Noctis aulâ oberrare dicitur; ſed infortunium inventurus, niſi caverit, ac planè abierit in regionem almæ Lucis. De Virio, inquit Tabutius, pone metum: cavit, abiit. ac nos quidem idem illud iter molimur. Tu cum bono Mercurio euangelia præfer: ſubſequemur. Nec mora; ille, vale dicto, per poſticum aulæ diſceſſit. Tum verò Tabutius, inter ambulandum Eupanti caſum revolvens, diſſerere ſic iterum cœpit.

Inter præcipuas Comeſſationum maculas, cum maximo veræ & honeſtæ hilaritatis damno Garrulitas eſt: ſed eò inverecundię proceſſit, ut etiam pro virtute habeatur. Loquentia eloquentiam oppreſſit. Si examinamus, madent vino PHAGESIPOSIA, garrulitate diffluunt, linguæ morbum mero accendunt Cimmerii; ſobrietatem pellunt, ut loquantur. At ô Sermones! Nihil ſerii, ſani, egregii, & turbatâ mente, imprudentiâ ac ſimul impudentiâ præcipiti verba ore devolvunt. Hoc vitium vini eſt, non meditari quæ dicas; effutire, quæ in ore nata. Τὸ γὰρ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης ἐστὶ τοῦ μεθύοντος. *Quod enim in corde ſobrii, hoc ipſum in linguâ ebrii.* Verborum

igitur

igitur fertilis lingua, quæ madet, & ſimul prodiga verborum, ſed futilium, anilium, inutilium, quæ aures ſobriæ, ſeriæque non ſuſtineant. Quid mirum? ut à nimbo præcipites ac lutulenti rivuli, & ſordes unà vehunt: ita ſermo à vino. Qualis cujuſque animus, talis oratio; ſed temulentiæ illo igni evaporat. Alius merces, lites, divitias crepat; alius voluptates, & libidines; alius faſtum & inflati pectoris bullas. Modeſtia, ſimplicitas, paupertas vapulant, & Sapientia vitiis infeſta. Quæ quiſque fecit, dixit, cogitavit, in Convivio, tamquam tribunali, ventilantur; & temulenti cenſores, cùm oſſibus abſtinent, rodunt tamen alienam famam; qui ſuis ipſi in rationibus hallucinantur, alienas diſpungunt. Quanti vivat quiſque, quanti ſapiat, curioſis calculis plebeia illa πολυπραγμοσύνη putat; ut, qui bonam mentem amat, videatur infra pecuniam poſitus, & communi litterarum fato, à ditioribus pendere. Sunt profectò, qui, cùm præter aurum nihil æſtiment, præter ſe neminem; honeſtam omnem doctrinam, tamquam ſordes umbratiles faſtidiunt; tam eruditi ſcilicet, ut eruditionem poſſint contemnere. Et tamen

Suarum opum nos volunt eſſe indigentes,

Noſtrâ

Noſtrâ copiâ nihil volunt nos poteſſe,
Suique omnium rerum nos indigere,
Vt ſibi ſimus ſupplices.

Sed nec morſum labores ingenii effugiunt. Epiſtolam ſcribis? Oratio poſcitur; hanc pangis? ad Hiſtoriam vocaris: iſtam complexus es? frigidum, aut detortum elogium eſt. Qui ipſi nihil, aut parum ſcriptitant, cenſoriâ virgulâ volumina exigunt, πανδέκτας, βιβλιοθήκην.

Non quanta, ſed quæ quiſque ſcribat, penſita.
Moles, laboris; pondus eſt ſignum ingenI:
Et vilior laboris eſt laus, quàm ingenI.

Ego ſubjiciens, Rectè tu quidem, mi Tabuti. ac Philotheſiis meis nuper hæc inprimis nota impreſſa eſt, & parvitas objecta: quem ego tamen librum argumento magnum puto, & brevitatis, acuminis, imò novitatis cauſſâ (liceat dicere) applauſu aliquo dignum. Etenim: adſtricto ſermone pergam loqui:

Quid majus eſt Amore, quid majus Fide?
Scripſi Viros Amore magnos & Fide:
Sollertis alma quos manus Promethei
Luto creavit optimo, quos præmium
Famæ manet beatioris, NON MORI.
Pubémque ſcripſi Amore floridam & Fide:
Pubem, bonæ quam Mentis ardor nobilem
Facit, Virûmq; in numerum adoptat nobilem.

Quid

Quid tamen eſt? mole & numero librorum ſi dirigi ad optima Juventus poſſit, & fortaſſis mihi vires. Siquid Ingenii, ſtili, aut eruditionis habeo, colligam, ut impendam. Multum profecero, ſiqui meo ductu. Et, quo tendo? ad ſeria, ad ſolida, ad Sapientiam ipſam, & Virtutem; Sed tuo exemplo ductuque. Ita, ita, ait Tabutius; ut ibi magnus ſis, ubi nemo parvus. Præclarum doctrinę opus, cùm quis vitam moréſque in exemplum profert: cùm non quæ ſcribit leguntur, ſed, quæ agit. Bonum eſſe, quàm doctum laudabilius eſt: ſic animum, quàm ingenium polire. Nemo flore contentus eſt, fructum quærit: florem Eruditio, fructum Sapientia habet, &

Ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφὸς:

Qui fructuoſa, non qui multa ſcit, ſapit.

Imò, qui docet, qui ſcribit. Sed nos plerumque fuco inutilium ſtudiorum decepti, ſplendorem in umbrâ quærimus, herbam in ſaxo; &, ut vivamus, vitæ dumtaxat inſtrumentis occupamur. Quid litteræ, ſi tantùm litteræ ſunt? quid procera & frondibus opaca arbor, ſi infœcunda? Quidquid ſolam habet voluptatem, aut inutile, aut damnoſum eſt.

Sed nunc ſatis ambulationis: ad ſedilia,

lia, & ſimul ad ſermonem abruptum redeamus. Poſtquam ſedimus, Convivium, ait Tabutius, Calumniæ irriguum ſeminarium eſt: in quo ſontes & rei trahuntur mores, boni cujuſque ac mali. Hic foro ceſſit, ille patrimonium prodegit, iſte pudorem proſtituit. Aliena vitia fingit quiſque, aut denudat; ſed novo vitio, & ſimul convicio. Siquis dives, ſcelere & avaritiâ factus; ſiquis magnus, ambitu. Ne paupertas quidem humilitáſque ſine ſtigmate aut vulnere. Putes ſolos bonos, ſolos ſupra notam omnem eſſe, qui tam acriter cenſent. Atque utinam diſtinctæ ſaltem voces ſint, ac judiciorum vices! Nunc clamant, miſcent, turbant, cum litigio ferè aut rixâ.

Fit ſtrepitus tectis, vocémque per ampla volutant
Atria.

Minimum in garrulitate vitium, loqui. Etiam mulier blaterat, aut puer; pluriumque ſermones velut decuſſatim prȩliantur. Scilicet, ut pertinaci vento concuſſæ arbores confuſum tot ramorum frondiumq́ue ſuſurrum edunt: ſic in convivio quiſquis vini aurâ adflatus. Qui ipſe non ſanus, quî ſani coloris ſermonem ullum efformet? Etenim ut cùm plures lychni lucent, umbræ rerum

languent

languent atque expalleſcunt: ſic orationis fructus, cùm plures loquuntur. De me ſi quæritis, jure mihi hanc laudem cum Plautino Periplectomene adſciſco:

... Neque ego oblocutor ſum alteri in
convivio.
Incommoditate abſtinere me apud convivas commodè
Commemini, & meæ orationis juſtam partem perſequi;
Et meam partem itidem tacere, cùm aliena oratio eſt.

Quâ quidem moderatione videor à bonis arbitris (Appuleium in Floridis audiitis) *haut minùs opportuni ſilentii laudem, quàm tempeſtivæ vocis teſtimonium conſecutus.* Homerus (cum Plutarcho dicam, de Garrulitate) τὸν λογιώτατον Ὀδυσσέα, σιωπηλότατον πεποίηκε. *Ulyſſi facundiſſimo homini ſummam adſcripſit taciturnitatem:* quid niſi ut oſtenderet, ipſam eloquii Suadam vocis interdum exilio coërcendam? Itaque odi Convivium, ubi cùm loqui ineptum, ſine reprehenſione tacere non poſſis. Ineptum autem loqui velle, cùm nemo ſilet. Ut, qui ad aquæ cataracten citharam pulſet, laborem omnem & harmoniam ſepeliat: ita quiſquis in garrulitatis contubernio aptum & dignum auribus ſermonem ordiatur.

Inter

Inter fritinnientes hirundines luſciniæ melos mutum, aut quaſi nullum: inter garrulos Sapientiæ ac Facundiæ vigor. ubi iſti, optimè loquitur quiſquis tacet. Hoc igitur crimen Eupanti fuit, TACUIT, id eſt, ſi preſſiùs examines, Sobrius, imò Suus in Convivio fuit, nec vini gurgite mentem de ſede pepulit. Quod Sapiens laudi vertat, id mores Cimmerii vitio. Jam dixi, ab Ebrietate Garrulitatem manare; ac quorundam etiam linguæ mero imbuendæ, prius quam ſcaturiant. haut aliter, quàm organa pneumatica vento implenda, ſeu ſpiritu animanda, ut perſtrepant. Sic nimirum diſerti, reverà loquaces & rimoſi ſunt, ceu pertuſa vaſa. Pulchrè Bias, cui cùm in ſympoſio ſtoliditas tacenti objecta eſſet, Καὶ τίς ἂν, inquit, δύναιτο μωρὸς ὢν ἐν οἴνῳ σιωπᾷν. *Et quis ſtultus inter pocula tacere poteſt?* Zenonis reſponſum jungo (etſi & prius illud ad Zenonem alii referant) jungo inquam, velut magnum ſilentii præſidium elogiúmque, à Plutarcho expreſſum. Athenis quidam legatos regios convivio excipiens, Philoſophos ſimul adhibuit. Ibi ſermone jam fervente, cùm quiſque è Sapientiæ penu aurium velut tragemata promeret, diſſererétque; unus Zeno ἡσύχιος eſſe, ac tacere.

tacere. Legati ſilentium admirati, comiter adfari hominem, & propinato poculo, Περὶ σοῦ δὲ τί χρὴ λέγειν, inquiunt, ὦ Ζήνων, τῷ βασιλεῖ; *De te verò ô Zeno, quid dicemus Regi?* At ille, Ἄλλο μηθὲν, ἢ ὅτι πρεσβύτης ἐστὶν ἐν Ἀθήναις παρὰ πότον σιωπᾶν δυνάμενος. *Aliud nihil, quàm ſenem Athenis eſſe, qui inter pocula tacere ſciat.* O laudabilem vocem! ô facundum ſilentium! Imitemur. Sed madidos iſtos, lingulacas, ſtolidos, quibus moroſum Stoïci, id eſt, ſilentis nomen, ſpernamus. Etenim SILENTIUM (contraham ex Plutarcho) *tamquàm profundum quiddam, arcanum, ſobriúmque: at ebrietas loquax, quippe ſine conſilio aut prudentiâ, ideóque vocalis. Philoſophi autem Ebrietatem* Vaniloquentiam in vino *definiunt. quâ ratione potatio extra reprehenſionem, ſi cum ſilentio. Sed ſtultiloquium vinolentiæ jungit ebrietatem. Enimverò ebrius inter pocula nugatur; garrulus ubique, in foro, in theatro, in ambulatione, interdiu, internoctu; ægrotum curans ipſo morbo moleſtior, unà navigans nauſeâ, laudans reprehendente.* Quam ſanctum, imò, quàm neceſſarium ſilentium, videtis, ſiquis inter tot conviviorum ineptias illæſam velit mentis majeſtatem ſervare. Eupantus ſervavit. Ac ſanè inter tam multos loquentes, eſſe quoque debet,

qui

pulſa nox fuit. ille verò, quaſi minimum etiam guſtum hauſiſſet ſomni, non perfunctoriè dormire iterum cœpit. Itaque cum novo lumine nova diſſerendi occaſio nata: ſed dum aures animumque arrigimus, & dicturientis auſpicium officiosè veneramur; ecce è triclinio, pallium trahens, Eupantus advolat, communis ille noſter, non amicus tantùm, ſed Genius; purpureo virtutis colore venuſtiſſimè perfuſus. Loqui parabat: ſed Tabutius prævertens, Hem, inquit, an ſic delicias Comi deſeris, & hilaritatem? Ubi corolla? & cur non faciem iſtam obumbras, ſic multo Rubore & Igni læſam? Imò, ait Eupantus, multo pudore: & itâ dicerem, tu iſtum mihi ſi adfectum indulgeres. Per ludum cruciari, ſæviſſimum eſt: non Comum (quis duxerit, noſti) ſed ludibrium, imò convicium invêni: temulentum virus ridens Calumnia effudit. Quot linguæ, tot plagæ; voces, vibices quædam erant, vix etiam Cynico animo concoquendæ. Hac pœnarum adventitiâ exceptus ſum (Corybanti Lareno gratiam) etiam cùm peccaſſe me neſcirem. Itaque interrogavi crimen meum: & menſæ Genium geminâ ſum dictus impietate violaſſe. Tabutius, velut urgens, Et quâ impietate? inquit,

inquit. Illâ ipſâ ait Eupantus, quâ tu, ô veræ Sapientiæ & Virtutis germen, religioſum me eſſe docuſti: Sobrietate, & Silentio. Me miſerum! Parcus cibi, & ſermonis fui, & offendi, contracto ſermonis peculio, σιώπηλος ſedi, & tamquam Pythagoricæ ſeveritatis alumnus reprehenſus, & petulantiſſimis garrulitatis ſpiculis confoſſus ſum. Excipiens Tabutius, Hoc miſerum profectò, inquit, peccare, quia non pecces: calumniæ ſtigmate dignum cenſeri, quòd opportuno freno linguam coërceas, *verbáque* (cum Appuleio dicam) *quæ volantia Poëtæ appellant, ea verba, detractis pinnis, intra murum candentium dentium premas.* Sed inter garrulos tacuiſſe ne nunc quidem te pudeat aut pæniteat. Philoſophum agit, qui ſuo ſilentio alienam ἀδολεσχίαν reprehendit.

Διὰ δὲ σιωπῆς πικρῶς τινι κατηγορεῖ.
Silentio accuſare licet acerbiùs.

Addidit Eupantus, à ſuperbiſſimo Lareno, tamquam furioſo Tribuno, exilium ſibi paratum: ideóque præverti velle, & eâdem nocte proficiſci; ut ire, non expelli videretur. Non ſine ſervitute voluptatis apud Cimmerios vitam eſſe; imò ne vitam eſſe, æternâ caligine obſeſſam. Hæc cùm dixiſſet, de GAIO

VIRIO

VIRIO amico ſuo quæſivit: &, Vidiſtin', inquit, ô Tabuti? Nam in hac Noctis aulâ oberrare dicitur; ſed infortunium inventurus, niſi caverit, ac planè abierit in regionem almæ Lucis. De Virio, inquit Tabutius, pone metum: cavit, abiit. ac nos quidem idem illud iter molimur. Tu cum bono Mercurio euangelia præfer: ſubſequemur. Nec mora; ille, vale dicto, per poſticum aulæ diſceſſit. Tum verò Tabutius, inter ambulandum Eupanti caſum revolvens, diſſerere ſic iterum cœpit.

Inter præcipuas Comeſſationum maculas, cum maximo veræ & honeſtæ hilaritatis damno Garrulitas eſt: ſed eò inverecundię proceſſit, ut etiam pro virtute habeatur. Loquentia eloquentiam oppreſſit. Si examinamus, madent vino PHAGESIPOSIA, garrulitate diffluunt, linguæ morbum mero accendunt Cimmerii; ſobrietatem pellunt, ut loquantur. At ô Sermones! Nihil ſerii, ſani, egregii, & turbatâ mente, imprudentiâ ac ſimul impudentiâ præcipiti verba ore devolvunt. Hoc vitium vini eſt, non meditari quæ dicas; effutire, quæ in ore nata. Τὸ γὰρ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης ἐστὶ τοῦ μεθύοντος. *Quod enim in corde ſobrii, hoc ipſum in linguâ ebrii.* Verborum

igitur

igitur fertilis lingua, quæ madet, & ſimul prodiga verborum, ſed futilium, anilium, inutilium, quæ aures ſobriæ, ſeriæque non ſuſtineant. Quid mirum? ut à nimbo præcipites ac lutulenti rivuli, & ſordes unà vehunt: ita ſermo à vino. Qualis cujuſque animus, talis oratio; ſed temulentiæ illo igni evaporat. Alius merces, lites, divitias crepat; alius voluptates, & libidines; alius faſtum & inflati pectoris bullas. Modeſtia, ſimplicitas, paupertas vapulant, & Sapientia vitiis infeſta. Quæ quiſque fecit, dixit, cogitavit, in Convivio, tamquam tribunali, ventilantur; & temulenti cenſores, cùm oſſibus abſtinent, rodunt tamen alienam famam; qui ſuis ipſi in rationibus hallucinantur, alienas diſpungunt. Quanti vivat quiſque, quanti ſapiat, curioſis calculis plebeia illa πολυπραγμοσύνη putat; ut, qui bonam mentem amat, videatur infra pecuniam poſitus, & communi litterarum fato, à ditioribus pendere. Sunt profectò, qui, cùm præter aurum nihil æſtiment, præter ſe neminem; honeſtam omnem doctrinam, tamquam ſordes umbratiles faſtidiunt; tam eruditi ſcilicet, ut eruditionem poſſint contemnere. Et tamen

Suarum opum nos volunt eſſe indigentes,

Noſtrâ copiâ nihil volunt nos poteſſe,
Suique omnium rerum nos indigere,
Vt ſibi ſimus ſupplices.

Sed nec morſum labores ingenii effugiunt. Epiſtolam ſcribis? Oratio poſcitur; hanc pangis? ad Hiſtoriam vocaris: iſtam complexus es? frigidum, aut detortum elogium eſt. Qui ipſi nihil, aut parum ſcriptitant, cenſoriâ virgulâ volumina exigunt, πανδέκτας, βιβλιοθήκην.

Non quanta, ſed quæ quiſque ſcribat, penſita.
Moles, laboris; pondus eſt ſignum ingenI:
Et vilior laboris eſt laus, quàm ingenI.

Ego ſubjiciens, Rectè tu quidem, mi Tabuti. ac Philotheſiis meis nuper hæc inprimis nota impreſſa eſt, & parvitas objecta: quem ego tamen librum argumento magnum puto, & brevitatis, acuminis, imò novitatis cauſſâ (liceat dicere) applauſu aliquo dignum. Etenim: adſtricto ſermone pergam loqui:

Quid majus eſt Amore, quid majus Fide?
Scripſi Viros Amore magnos & Fide:
Sollertis alma quos manus Promethei
Luto creavit optimo, quos præmium
Famæ manet beatioris, NON MORI.
Pubémque ſcripſi Amore floridam & Fide:
Pubem, bonæ quam Mentis ardor nobilem
Facit, Virûmq; in numerum adoptat nobilem.

Quid

Quid tamen eſt? mole & numero librorum ſi dirigi ad optima Juventus poſſit, & fortaſſis mihi vires. Siquid Ingenii, ſtili, aut eruditionis habeo, colligam, ut impendam. Multum profecero, ſiqui meo ductu. Et, quo tendo? ad ſeria, ad ſolida, ad Sapientiam ipſam, & Virtutem; Sed tuo exemplo ductuque. Ita, ita, ait Tabutius; ut ibi magnus ſis, ubi nemo parvus. Præclarum doctrinę opus, cùm quis vitam moréſque in exemplum profert: cùm non quæ ſcribit leguntur, ſed, quæ agit. Bonum eſſe, quàm doctum laudabilius eſt: ſic animum, quàm ingenium polire. Nemo flore contentus eſt, fructum quærit: florem Eruditio, fructum Sapientia habet, &

Ο' χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ ὁ πολλ' εἰδὼς, σοφός:

Qui fructuoſa, non qui multa ſcit, ſapit.

Imò, qui docet, qui ſcribit. Sed nos plerumque fuco inutilium ſtudiorum decepti, ſplendorem in umbrâ quærimus, herbam in ſaxo; &, ut vivamus, vitæ dumtaxat inſtrumentis occupamur. Quid litteræ, ſi tantùm litteræ ſunt? quid procera & frondibus opaca arbor, ſi infœcunda? Quidquid ſolam habet voluptatem, aut inutile, aut damnoſum eſt.

Sed nunc ſatis ambulationis: ad ſedilia,

lia, & ſimul ad ſermonem abruptum redeamus. Poſtquam ſedimus, Convivium, ait Tabutius, Calumniæ irriguum ſeminarium eſt: in quo ſontes & rei trahuntur mores, boni cujuſque ac mali. Hic foro ceſſit, ille patrimonium prodegit, iſte pudorem proſtituit. Aliena vitia fingit quiſque, aut denudat; ſed novo vitio, & ſimul convicio. Siquis dives, ſcelere & avaritiâ factus; ſiquis magnus, ambitu. Ne paupertas quidem humilitáſque ſine ſtigmate aut vulnere. Putes ſolos bonos, ſolos ſupra notam omnem eſſe, qui tam acriter cenſent. Atque utinam diſtinctæ ſaltem voces ſint, ac judiciorum vices! Nunc clamant, miſcent, turbant, cum litigio ferè aut rixâ.

Fit ſtrepitus tectis, vocémque per ampla volutant
Atria.

Minimum in garrulitate vitium, loqui. Etiam mulier blaterat, aut puer; pluriumque ſermones velut decuſſatim prœliantur. Scilicet, ut pertinaci vento concuſſæ arbores confuſum tot ramorum frondiumque ſuſurrum edunt: ſic in convivio quiſquis vini aurâ adflatus. Qui ipſe non ſanus, quî ſani coloris ſermonem ullum efformet? Etenim ut cùm plures lychni lucent, umbræ rerum

languent

languent atque expalleſcunt: ſic orationis fructus, cùm plures loquuntur. De me ſi quæritis, jure mihi hanc laudem cum Plautino Periplectomene adſciſco:

... Neque ego oblocutor ſum alteri in convivio.
Incommoditate abſtinere me apud convivas commodè
Commemini, & meæ orationis juſtam partem perſequi;
Et meam partem itidem tacere, cùm aliena oratio eſt.

Quâ quidem moderatione videor à bonis arbitris (Appuleium in Floridis auditis) *haut minùs opportuni ſilentii laudem, quàm tempeſtivæ vocis teſtimonium conſecutus.* Homerus (cum Plutarcho dicam, de Garrulitate) τὸν λογιώτατον Ὀδυσσέα, σιωπηλότατον πεποίηκε. *Vlyſſi facundiſſimo homini ſummam adſcripſit taciturnitatem:* quid niſi ut oſtenderet, ipſam eloquii Suadam vocis interdum exilio coërcendam? Itaque odi Convivium, ubi cùm loqui ineptùm, ſine reprehenſione tacere non poſſis. Ineptum autem loqui velle, cùm nemo ſilet. Ut, qui ad aquæ catarracten citharam pulſet, laborem omnem & harmoniam ſepeliat: ita quiſquis in garrulitatis contubernio aptum & dignum auribus ſermonem ordiatur.

tacere. Legati ſilentium admirati, comiter adfari hominem, & propinato poculo, Περὶ σοῦ δὲ τί χρὴ λέγειν, inquiunt, ὦ Ζήνων, τῷ βασιλεῖ; *De te verò ô Zeno, quid dicemus Regi?* At ille, Ἄλλο μηδὲν, ἢ ὅτι πρεσβύτης ἐστὶν ἐν Ἀθήναις παρὰ πότον σιωπᾶν δυνάμενος. *Aliud nihil, quàm ſenem Athenis eſſe, qui inter pocula tacere ſciat.* O laudabilem vocem! ô facundum ſilentium! Imitemur. Sed madidos iſtos, lingulacas, ſtolidos, quibus moroſum Stoïci, id eſt, ſilentis nomen, ſpernamus. Etenim SILENTIUM (contraham ex Plutarcho) *tamquàm profundum quiddam, arcanum, ſobriúmque: at ebrietas loquax, quippe ſine conſilio aut prudentiâ, ideóque vocalis. Philoſophi autem Ebrietatem* Vaniloquentiam in vino *definiunt. quâ ratione potatio extra reprehenſionem, ſi cum ſilentio. Sed ſtultiloquium vinolentiæ jungit ebrietatem. Enimverò ebrius inter pocula nugatur; garrulus ubique, in foro, in theatro, in ambulatione, interdiu, internoctu; ægrotum curans ipſo morbo moleſtior, unà navigans nauſeâ, laudans reprehendente.* Quàm ſanctum, imò, quàm neceſſarium ſilentium, videtis, ſiquis inter tot conviviorum ineptias illæſam velit mentis majeſtatem ſervare. Eupantus ſervavit. Ac ſanè inter tam multos loquentes, eſſe quoque debet, qui

qui audiat: audire autem non poteſt, niſi ſileat. Οἱ δ' ἀδόλεσχοι οὐδενὸς ἀκούουσιν. ἀεὶ γὰρ λαλοῦσιν, καὶ τοῦτο ἔχει πρῶτον κακὸν ἡ ἀσυγησία, τὴν ἀνηκοΐαν. *Garruli autem neminem audiunt. Semper enim loquuntur, primúmque hoc vitium linguæ impotentia habet, nihil audire.* Neque ego tamen elinguem hilaritatis conſeſſum faciam. In menſâ ſuave illud loqui; ſed ſi cum *Sobriis, Paucis, Paribus.* At in PHAGESIPOSIIS Ebrietas, Multitudo, Diſparilitas. Obſecro, inſpicite.

Ac prima illa quidem EBRIETAS niſi adſit, nec lautum, nec lætum ullum triclinium cenſeatur. Scilicet ut inſanire ſine verecundiâ liceat. *Omne vitium* (aurea Senecæ verba ſunt, Epiſtolâ LXXXIII.) *ebrietas & incendit, & detegit; obſtantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quàm bonâ voluntate, prohibitis abſtinent.* Sed ab eodem Sapientiæ ſupercilio plenam cenſuram uſurpemus: *Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit:* imò & facit, & protrahit: *tunc libidinoſus ne cubiculum quidem exſpectat, ſed cupiditatibus ſuis, quantum petierint, ſine dilatione permittit; tunc impudicus morbum profitetur ac publicat; tunc petulans*

lans non linguam, non manum continet; creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſævo, malignitas livido: omne vitium detegitur, & prodit. Satin' petulantis temulentiæ labes expreſſa? Ex more, atque adeò lege ſic vivitur, & poculis, velut gradibus, ad ſtultiſſimum furorem itur. Liberi hęc Sacra ſunt: Convivæ velut Orgiophantæ. Alius ſalutem propinat, alius vitam, alius fortunam, quiſque cyathiſſat: niſi hauris, & numina, & amicos lædis. Qui propinat, exemplo ſuo cogit: nec poculo alienæ favere valetudini potes, niſi tuam mergas. Sic ergò ſtoliditatem & inſaniam quamdam cultores COMI induunt, & ut ſemel merſi vino, ſemper videntur. *Extende in plures dies*, ait Seneca, Epiſtolâ LXXXIII. *illum ebrii habitum, numquid de furore dubitabis? nunc quoque non eſt minor, ſed brevior.* Sanè, ut ejuſdem verbis utar, *ebrietates continuæ efferant animos. Nam cùm ſæpè apud ſe non ſunt, conſuetudo inſaniæ durat, ac vitia vino concepta etiam ſine ipſo valent.* Ita eſt, vino concipiunt vitia, ſed alunt quoque, & pergræcari ſollenne; ut ſobriam corruptæ naturæ inſaniam ebrietas excuſet. A promulſidis auſpicio hoc agitur, nec fami ſedandæ, ſed irritandæ dapes ſunt, ut ad omnem hauſtum

ſitim

ſitim acuas, ſine miſſione bibas. Ne ludus deſit, Cæli imaginem Strategus effingit, æternitatem inculcat. Tot ſcyphi, pateræ, calices, velut radiantes quædam ſtellæ, totâ menſâ ſparſæ, nec in unam aliquam formam. Videas, ut cum Homero dicam,

Πληϊάδας θ', ὑάδας τε, τό τε σθένος ὠρίωνος,
Ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσι.

Pleiadéſque, Hyadéſque, & robuſtum Oriona,
Et glacialem Vrſam, Plauſtri cognomine dictam.

Errones deinde vitrei illi, argentei, aurei, convivali ritu in orbem aguntur, quibus ne Sapiens quidem (da quem vis è Cynicâ ſobrietate) aut Sapientiam profeſſus, reluctetur. Bibendum eſt, & ut bibiſſe dicaris, garriendum eſt. Solutus curis, & jam ſatullus ingeminat, Θέλω, θέλω μανῆναι. *Volo, volo inſanire.* Sed & mihi nunc verſibus utcumque furere liceat, ut temulentam hanc inſaniam adumbrem.

Quæ rerum facies, delira gaudia menſa,
Cùm trahit inſomneis furiis turba ebria noctes!
Strata cubique madent, atque irritatus Eoo
Liber diluitur ſucco: placet ingenioſa
Omnibus Ebrietas, placet exantlanda voluptas

Vini,

Vini, & libata ſpumantia vota ſalutis.
Tende manus: tremulo ſubmittit pocula geſtu
Herculea, & pleno adfectum ructatur ab ore.
Ille tuus; non ille tuus, qui vincla caduca
Nectit amicitiæ, & fucato exæſtuat igne.
Hæc tibi flamma mero conſtat, Cereriſque fovetur
Deliciis, moritura pari, quo Solſtitialis
Defectu herba ſolet. Facili nil ſemine durat.
Tu tamen obſequere, & fugitivo viſcera Amori
Hoſpita tantiſper laxa, dum fervet Iacchus.
Obſequere, & valido niſu ſubmerge profundis
Luctantem cyathis animam: ſic urget Amyſtis.
Projice relliquias frontis, ſine nube loquaris;
Quiſquis non ſapit, ille ſapit: tu prolue pectus;
Sed tumidi ſtillent oculi, ſalsiſque dometur
Aura meri lacrymis. Sitit, & bibit Euchius ipſe,
Et bibitur, laſſas violato rore medullas
Conviva ſubiens, & fracti regna furoris.
Te furere haut ſatis eſt, ſimili niſi vulnere fortem
Ἀντίπαλον ſternas, & læſæ præmia mentis
Suſpendas dubio temulentus Sympoſiarcho.

Etiam ad cantum, & oſcula, imò ad aleam potant Cimmerii; nec ſatis, lege ad ebrietatem cogi, ſorte volunt, & hauſto ad umblicum cyatho, ac verſo, quem caſus tulerit, novo jactu provocare. Jam oſcula, ubi alternam ſexus ſeſſionem facit, cum vino quiſque libat, & à vino ructatur: putes & hæc ipſa ſorbillari. Quid cantus? vilis, niſi viduam vocem choreæ ſocies, & nexâ in orbem tripudii coronâ, tuis ſedendo, omniumque brachiis ſaltes. Planè mentis damno hilaritas conſtat; ac profectò, titubantem gradum à menſâ niſi referas, parum lautè aut amicè videaris acceptus. Quid etiam, niſi adferas? Nam quibuſdam hoc inſitum, à ſtellâ matutinâ potare, qui diem (ſi tamen hîc dies ullus) & ebrietatem pari auſpicio ordiuntur. A ſomno & crapulâ ſitis redit, nec prandium exſpectat. Fervet vino ſtomachus, cùm cibum neſcit, ut capturus digerat. Sed morbum hunc Romanum quoque fuiſſe Seneca indicat, Epiſt. CXXII. *Iſti non videntur tibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii tranſeunt? Atqui frequens hoc adoleſcentium vitium eſt, qui vires excolunt; ut ſudorem, quem moverunt potionibus cre-*

bris

bris ac ferventibus, ſubinde diſtringant. Poſt prandium, aut cœnam bibere, vulgare eſt: hoc patresfamiliæ ruſtici faciunt, & veræ voluptatis ignari. Merum illud delectat, quod non innatat cibo, quod liberè penetrat ad nervos: illa ebrietas juvat, quæ in vacuum venit. Imò illa ebrietas juvat, quæ continua eſt; quæ diei noctisque omne diſcrimen neſcit. Sed non ſoli Cimmerii, Cimmerii ſunt; Ebrietatis coloniam in noſtrum quoque orbem COMUS duxit. Ergò Lychnobii ſumus, diem ſpernimus, & tamquàm ſuaviùs, lucis uſurâ in tenebris frui, noctes conviviis occupamus. Quid dicam? Vile Naturæ beneficium eſt: facere, quàm habere diem malumus, præ ſole faces æſtimamus. Sed, quid fit? nocte fruimur, ut diem perdamus: & cùm ſomni tempora vigiliis deſtinantur, diurnæ omnes horæ ſomno pereunt. Lubet Stoici verbis, perverſitatem hanc compungere: *Sunt, qui officia lucis noctiſque pervertunt; nec ante diducunt oculos heſternâ graves crapulâ, quàm appetere nox cœpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura (ut ait Virgilius) pedibus noſtris ſubditos è contrario poſuit,*

Nos ubi primus equis oriens adflavit anhelis,

Illis ſera rubens accendit lumina veſper: *talis horum contraria omnibus non regio, ſed vita eſt. Sunt quidam in eadem urbe Antipodes, qui, ut M. Cato ait,* nec orientem umquam Solem viderunt, nec occidentem. *Hos tu exiſtimas ſcire quemadmodum vivendum ſit, qui neſciunt quando? Et hi mortem timent, in quam ſe vivi condiderunt; tam infauſti ominis, quàm nocturnæ aves ſunt. Licet in vino unguentóque tenebras ſuas exigant, licet epulis, & in multa quidem fercula diſtinctis totum perverſæ vigiliæ tempus diducant: non convivantur, ſed juſta ſibi faciunt.* Verè, vere. ſomnum enim cùm fugiunt, quadam velut morte ſe induunt, & vino ſepeliuntur. De PHAGESIPOSIIS loquamur. an non adumbrata hæc funeris quædam imago? Hominem ceu merſum cadaver videre eſt; tot poculorum ciborumque congeriem, velut pyram; lectulum, tamquàm ſepulchrum. Jam tedæ accenſæ, & acclamantium voces, quid niſi vixiſſe hominem indicant? Ita vixiſſe, ſed ut reſurgat, pari quotidie fato periturus. Et, quo fato? audite (ebrioſum, Philoſophum faciam) Pythagorico; quia ab homine in brutum, & tamen citra μετεμψύχωσιν, migrat: imò Stoico, Stoico inquam; nam αὐτόχειρος eſt, & Rationem

ipſa

ipsâ vitâ meliorem, ſuffocat ſua manu, aut jugulat. tanto etiam in ſeipſe crudelior, quia ſæpius moritur; quia, quod ſemel Natuta facit, quotidie, imò continuò ipſe. Jam verò renaſci in convivio, viresque colligere, pulchrum; & cùm invita viſcera ciborum onus recuſant, fit, quod dictu quoque fœdum eſt. Itur, reditur: qui adverſi ſedent, viam per ipſam menſam aperiunt, projecturi cœnam, ut priùs calcent. Alius corporis obſcœnos meatus exonerat; alius ſanctiſſimam partem, quà admiſerat cibos, regerendo obſcœnam facit; reddit quidquid ſumpſerat: atque utinam in cloacam ſaltem! nunc limina conſpurcantur, ipſum triclinium, imò tori & menſæ: maximum voluptatis incrementum eſt, in eodem convivio ſæpiùs cœnare. Cum Annæo dicam, Conſolatione ad Helviam: *Vomunt ut edant, edunt ut vomant; & epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur.* Sed tamen ingenio quodam honeſtatem ebrietas mentitur: modum venter invenit, quo bibere & mejere in eadem menſâ liceat, turpitudine celatâ. Inguinibus jam matella adhæret; & ſcortea (an ſcrotea dicam?) caligis inſuta bulga, inſerta ſpongia lotium excipit. nimirum

adſiduum eſſe, pulchrum eſt; & cujus veſica cœnæ unius vinum capit, palmam habet. Fœdum meherclè, reddere menſæ obſcœna, ne ſurgas: niſi fœdius, quòd non ſurrexiſſe honeſtum putetur. Sed, ne quid ſtultitiæ deſit, ἀκραιπαλοι etiam ſumus, croco aut braſſicâ adverſus ebrietatem munimur, tamquam pro victoriâ pugnaturi. Ille enim ſtrenuus, titulis, encomio, coronâ dignus, qui vino victos ac proſtratos compotores cernit; quamvis ſaucius, atque mox caſurus. O Stultitiam! *Quæ gloria eſt*, ait Seneca, Epiſtolâ LXXXIII. *capere multum? Cùm penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno ac vomitantes recuſaverint, cum ſuperſtes toti convivio fueris, cùm omnes viceris virtute magnificâ, & nemo tam vini capax fuerit; vinceris à dolio.* Sed, quis fructus obſecro hujus palæſtræ? Pulcherrimè idem ille deſcribit, Epiſtolâ XCV. *Inde pallor & membrorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus, quàm ex fame macies: inde incerti labantium pedes, & ſemper qualis in ipſâ ebrietate titubatio: inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentúſque venter, dum malè adſueſcit plus capere, quàm poterat: inde ſuffuſio luridæ bilis, & decolor vultus, tabéſque in ſe putreſcentium, & retorti*

retorti digiti articulis obrigeſcentibus, nervorum ſine ſenſu jacentium torpor, aut palpitatio ſine intermiſſione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum, auriúmque tormenta, & cerebri æſtuantis verminationes, & omnia, per quæ exoneramur internis ulceribus adfecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu ſævientium, aliarum tenui peſte repentium, aliarum cum horrore & multâ membrorum quaſſatione venientium? Quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriæ?

Dii boni, quàm acriter læſa injuriam Natura plectit! Vix violare voluptatis vitio corpus miſeri mortales incipiunt, & pœnis urgentur: nocituris illecebris peccant. Sed quiſque ſibi tortor datus: ſupplicia morbi ſunt; graviſſimi autem, cùm vitæ curſum non incidunt. Trahuntur dolores, ut creſcant: breviter: ut languor vitam occupet, & ad mortem nonniſi per longos cruciatus eatur.

Cùm hìc ſententiæ periodum ſilentio clauſiſſet Taburius, palliúmque dictionis motu profuſum attraheret, lepidiſſimo ſanè ſpectaculo commovemur. Stigmoſus quidam, ex ipſo illo ſtertentium numero, ebriâ ſiti ardens, in pedes exſiluit, cirneámque è ſinu juxtà marcentis

centis rapuit; cumque liberali nimbo aridam gutturis viam proluiſſet, redeunte ſomni nebulâ, ſublimiorem ſellam occupavit, congerrones velut dormiendo deſpecturus. Jam conniverat iterùm, & ſuſpenſum dexterâ caput ſuffulſerat, quæ & ipſa vacillantes antrorſum nutus ſequebatur. Mox urgente ſopore, cùm trunci incurvi onere miſellus ille, ſuique oblitus, traheretur; de ſellá prolapſus eſt, pronumque caput in lagenam vini illiſit. putares non ſomno, ſed ſiti denuò impulſum. Frangitur teſta, & in fronte ruentis altum relinquens vulnus, circumjacentes ſparſo liquore madefecit. Repentino ſtrepitu & alluvione pars ebriorum excitata, ſodalem attollunt, ſanguinem ſiſtunt, atque mox, plagâ ſudariolis obligatâ, abducunt. Aderba deinde ad Tabutium converſus, Condimentum, inquit, ſermonis habuimus; riſu, an commiſeratione dignum? Sed tu jam in viam redi, &, quia Ebrietatis tædet, de MULTITUDINE adjunge. Hanc enim ſecundo loco averſatus.

Omninò, ait Tabutius, averſatus ſum: & Sermonis fructum in Convivio ſi amamus, pauci convocandi. At jam plerique à frequentiâ gloriam quærunt, nec Epulum cenſent, niſi in quo plures.

Quis

Quis Gratiarum, aut Muſarum colit numerum? Sprevimus, & unà omnem honeſti ſermonis voluptatem, certè in turbâ non reperiendam. Triclinium, forum, imò mare eſt, in quo linguæ, velut æſtu concitatæ undæ, & πολυφλοίσβοιο θαλάσσης obſtrepera imago. Vini regna vilitate infamentur ac vapulent, longo niſi ordine convivæ ſedeant; & in PHAGESIPOSIIS quidem, niſi dextrâ totóque corpore numerentur. Sic demum lauti ſumus, uti videamur. Omnis luxuriæ pompa ſpectatores ambit, monſtrari ac laudari à quamplurimis. Sapientiæ vox eſt apud Senecam, Epiſtolâ XCIV. *Nemo oculis ſuis lautus eſt, ne paucorum quidem & familiarium; ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turba ſpectantis expandit.* Itaque Regiam COMUS farcit, quiſque ventrem: fervent omnia, miſcentur omnia: totum cœnaculum, velut una menſa, cincta convivis, obſeſſa ferculis, irrigua poculis: cùm epulas intuearis, deeſſe putes, qui abſumant; cùm epulones, quod abſumant. Unde frenum aut fibula huic luxui? Non victu jam cultuque, ſed ut fortunæ ſciantur, ſumptu ſuperbimus. Quærimus ſtulti, etiam quod ultra voluptatem delectet. *Divitem*, ut apud Ciceronem eſt; Craſ-

ſus dicere ſolebat, *qui exercitum alere poſſet ſuis fructibus*: Nos dicamus, *qui convivium inſtruere ſuis fortunis.* Fœdiſſimum hunc ſplendorem etiam cum exitio quiſque patrimonii adfectat: palleſcit curis miſer, & totâ calliditate rem conſtipat, recti œquique immemor, ut & ipſe ad exemplum laſciviæ ſe componat, mores ævi & urbis ſuæ referat, & inter Apicios habeatur. Ego abſtineo, ſed cum paucis; & convivium amo, in quo pauca, facilia, inempta; imò in quo, ut concludam, pauci.

Tertium vitium IMPARILITAS; & ea ferè in Multitudine, cùm diverſi ingenii, fortunæ, ſexus, ætatis, dignitatis convocantur. Epicuri vox eſt apud Senecam, Epiſtolâ XIX. *Ante circumſpiciendum eſt cum quibus edas & bibas, quàm, quid edas & bibas.* Jam verò ſedet rudis cum docto, dives cum egeno, vir cum femina, ſenex cum puero, nobilis aut patricius cum plebeio. Ut aquam igni ſine ſtrepitu non miſceas: ſic nec iſtos ſine garrulitatis pugnâ. Ius dicendi etiam viliſſimus ſumit, & pulſa verecundia, petulantium verborum ſcaturiginem evomit. Parùm, loqui; obloqui in proclivi eſt, & ſoluta quædam oris libertas convivas meos collidit. Meliores

illi,

illi, quia eminere ſueti, hîc quoque ſermonis faſces ſumunt, & imperio in convivii vulgum utuntur. At iſte Tribunos invenit, & in Senatum ſurgit: deſpici, aut negligi, ubi libertas, vulnus putat. Verborum, & poculorum hęc ſeditio eſt, & utriſque ſedatur. Ego bonum & prudentem cenſeo, qui vel irritatus ſilet, nec in levi aliquâ offenſâ reſponſum ad vindictam acuit: ſed meliorem prudentiorémque, qui hujuſmodi conviviis abſtinet. Conviviis inquam, in quibus loqui vitium, tacere neceſſitas; id eſt, ſi cum *Ebrioſis, Multis, Inaequalibus:* breviter: ſi cum non Amicis epuleris. Amici enim pares ſunt, pauci ſunt, & virtute ac ſobrietate juncti. Itaque inter tales Hilaritas ſe exſerat, atque etiam vocalis. Etenim ut amœniores aquæ, quæ cum murmure fluunt; ſed leni, facili, temperato: ſic epulæ, quæ ſermonem habent; ſed *Honeſtum, Lepidum, Tempeſtivum*, quæ tres orationis virtutes ſunt, à totidem Gratiis profectæ.

HONESTUS ſermo erit, qui ſine læſione, & cui Verecundia modum præſcripſit atque legem. Læſio Dicacitatem, & Adulationem habet, ſive in eos, qui adſunt, ſive, qui non adſunt. Dicacitas, Quinctiliani verbis, lib. VI. *eſt ſermo*

cum riſu inceſſens, & cum morſu pungens, ad ſcænam, aut plauſtrum relegandus. Adulatio fucum & fraudem verborum habet, & dicacitate pejor eſt. Jam verò Verecundia gemino quoque vitio inimica, Ruſticitatem & Obſcœnitatem excludit. Procul habendæ iſtæ maculæ, iſtæ offuciæ omnis hilaritatis; quæ ſive verbis nudæ, ſive imaginibus nuptæ, tamen maculæ, tamen offuciæ. Exprimas, an adumbres vitium, indicas: niſi levius honeſtiúſque, per obſcœnitatis velut delicias peccare. *Ea, quæ dicit vir bonus*, (cum eodem Quinctiliano dicam) *omnia ſalvâ dignitate & verecundiâ decent. Nimium enim riſus pretium eſt, ſi cum probitatis impendio conſtat.* Ejuſdem: *Obſcœnitas verò non à verbis tantùm abeſſe debet, ſed etiam à ſignificatione.* Cretâ, an carbone litteras formes, ſcriptio eſt: pariter, quibuſcumque verbis laſcivum includas ſenſum, turpitudo eſt: rem, velut radicem habet, Hanc exſcinde, & omnem luxuriantis malitiæ ſuccum extinxeris. At jam ſermonis ſcilicet venus ipſa Venus eſt; fœda oris proluvies, pro hilaritate. De Aureliâ, aut Lolliâ COMUS loquitur; virgo, an vidua magis pruriat; Veſper, an Aurora ſuaviorem Veneris nexum faciat.

faciat. Ubi pudor? ubi color? Peſtilentes auræ, iſtæ voces, & honeſtæ quemque mentis meritò vulnerent. Ut jejunus & gravis odore ſpiritus offendit: ita ſermo ſpurcitię illo veneno infectus. Sed quomodò depurgandus? Sobrietate: qui in poteſtate vini, etiam libidinis. cùm venter mero efferveſcit, ilia & inguina æſtuant; facilè in obſcœnitatem lingua ebullit. Nequis tamen rigorem accuſet, & collectas è porticu rugas; Lepidos Convivas facio, & ejuſmodi Sermonem.

LEPIDUS autem ſermo erit, ſi delectet mulceátque. An apertiùs? Floſculi ſpargendi & ſales, & quidquid expugnare torvę ſeveritatis vitium poſſit. Veris typum Convivium refert, & ad Liberi, velut Zephyri leniter ſpirantem auram honeſti mores rident. Iocus, Gratiæ, Muſæ hic habitant, ſed nullam in laſciviam ſolutæ: imò Sapientia hîc habitat, ſed nullâ caperantis triſtitiæ torvitate deformis. Nimirum mel & nectar ſuum animus quoque habet, & divina illa rerum virtutumque Magiſtra, voluptatis interdum poculum propinat. Hoc ipſum apud Agellium Varro docet, *Sermones* habendos in convivio, *non ſuper rebus anxiis aut tortuoſis, ſed jucundos atque*

que invitabiles, & cum quâdam illecebrâ & voluptate utiles: ex quibus ingenium noſtrum venuſtius fiat & amœnius. Quod profectò eveniet, ſi de id genus rebus ad communem vitæ uſum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non eſt otium. Sanè quæcumq; honeſtè fiunt, jucundè quoque explicentur: & ut concludam, in ipsâ mensâ erudire honeſtum eſt, erudiri jucundum; ſed ſi TEMPESTIVUM.

Talem igitur imprimis ſermonem volo, & ex occaſione, velut opportuno ſemine, enaſci. Omninò; ne aut prærептus; aut intruſus, aut, quod utroque turpius, adfectatus videatur. Atque hactenus à re & argumento ipſo præcepta ſunt. Paria, ab arte & dicendi quâdam formâ. An & perſequor? Stilo nuper conatus ſum; &, ſi non negatis, recitabo potiùs, quàm dicam. Prono vultu animóque cùm annuerimus, pugillares, & unà ambuſtas quaſdam ſchedas, non tam è ſinu, quàm è Sibyllæ foculo protraxit. Pars Dialogi erat, in quo, ut quadratis nómina litteris eminebant, ERULPIO & DRANSES loquebantur. Sciſcitanti igitur Aderbæ, Quinam illi, qui ſermocinationis majeſtatem ſuſtinerent; Eupanti, reſpondit Tabutius, ſodales

ſodales ſunt, Elegantiæ ac Deliciæ meræ; quibus an quid ſuavius amœniuſque Natura produxerit, jure dubites. Ego hîc applaudens: Veræ, veræ iſtæ laudes: habet uterque (liberè dicam) quidquid mereri invidiam poſſit, imò quidquid vincere. Sed hoc tu mihi nunc explica Tabuti. Quæ ſchedæ? à quâ flammæ injuriâ papyri hæc fuligo? Ille ſerenâ voce, Majoris, inquit, operis reliquiæ ſunt, quas ab incendio mitis caſus ſervavit. Pergulam, & quod in fundo Apollineo Muſéum, ſtruxeram, an vidiſti? Vidi inquam, optimo doctiſſimóque virorum JOA. BAPT. SAECO ducente: qui & in porticu HERCULEM illum MUSARUM oſtendit, novámque amœniſſimo Naturæ miraculo HIPPOCRENEN. Iterùm Tabutius: Æſtivis hîc diebus habitare, imò legere, aut ſcribere, velut per amœnitatem, deſtinâram. Bone Deus, quàm multæ remoræ bonarum cogitationum! quàm nihil ab injuriâ tutum! In ipſo nuper ſurgentis diei auſpicio, cùm antelucanus ille minurientium avicularum chorus ſuaviſſimo ſtrepitu venientem Auroram ſalutaret; ſubitò cælum inhorruit, & rubentem Iovis dexteram malus quidam Genius in turriculam, tectique culmen tor-

ſit.

ſit. Ardere tigna, & mox ipſi plutei libellique cœpêre; atque adeò totum graſſante incendio Muſéum obſeſſum eſt. Ego procurrens, cùm fruſtrà ſævienti infortunio reſtitiſſem, familiam vicinóſque excito, ut reſtinguendo incendio adeſſent: adſunt, inſtant, &, beneficio ſoſpitalis FONTIS mei flammâ expugnatâ, extremum à toto Muſéo fatum arcent. Sic verò vis & injuria Vulcani repreſſa eſt, & paucul æiſtæ ſchedæ, quas cernitis, velut oſſa inter librorum cineres, relictæ; quas mutilas fumoſáſque in memoriam infortunii ſervo. Nunc igitur recitare incipio, & omiſſo Dialogi præludio, Erulpionis de ſermone ſermonem promo.

Etenim dicendi velut modi quidam & partes ſunt: *Diſſertatiò, Narratio, Quæſtio.* DISSERERE, qui cum laude volet, laudem declinet. Vox facilis ſit, & velut ſponte fluens; geſtus modicus, aut potiùs intra modum. Sic dicat, ut audire quoque paratum ſe oſtendat; imò corrigi, ſi quis meliora. Verborum pauſis, atque induciis aliorum ſententiæ provocandæ: & intervallo quodam ſuſpendi periodi debent, ut cenſendi partes auditor accipiat. Semper loqui, ſtultum; continuò, ſuperbum: illud naturæ,

hoc

hoc morbi; ac faciliùs naturæ ignoſcimus, quàm morbo. Quid velim, ipſe colligis, ſtultum ſuperbo meliorem. Hoc quoque: intempeſtivum magis eſſe, qui loquitur, ne quem audiat, quàm eum, qui dumtaxat ut loquatur. Garrire quidem utrique propoſitum; ſed cum diſcrimine: alteri, ut vocem ſuam ubique miſceat; alteri, nequis miſceat. ille ſuo ſtrepitu, hic ſilentio aliorum loquax, qui ſtrepitu, turbat ipſe, aut turbatur: qui ſilentio, vilipendere ceterorum ſermonem videtur, quia non admittit. Turpe etiam, loquenti ſilentium imperare, ut loquaris ipſe. Manu fieri, imò voce ſolet, & contentione quadam dicentes reprimuntur: ſcilicet ut mira, ut magná audiant, nec ullius ore prolata. Garruli tumoris, & tumidæ garrulitatis hoc præloquium eſt, & tamquàm formula ſollennis: ſed ſi ſapimus, ab omni planè *Diſſertatione*, imò ſermone arcenda.

An & NARRANTI præcepta quædam præſcribam? Breviter. In veris ſerius eſto, in fictis amœnus, in omnibus lumine & brevitate circumſcriptus. Vetera & nova pro argumento dicito: aliena cum laude, tua cum modeſtiâ, nec niſi verecundiâ reluctante. Menſæ quædam vomica Aretalogus, & velut morbus.

bus. Nam ut quorundam hominum ſtomachus innatâ nauſeâ certos cibos averſatur: ita omnium aures crepitantis Philautiæ vocem. Ἀρεταλόγους plerumque etiam πολυλόγους; & facilè ſermoni indulget, quiſquis de ſe loquitur: alius facinora, dicta, ſcripta; alius beneficia, & obſequia ſcilicet amicis præſtita; alius nobilitatem, gratiam, potentiam, opes: quò ſuavis titillatio adfectum ducit, lingua ſequitur, ac mentiri conſuevit. Rectè Plutarchus: Οὐ γὰρ μόνον ὅπου τις ἀλγεῖ, κεῖθι δὲ τὴν χεῖρ᾽ ἔχει, ἀλλὰ καὶ τὸ ἡδόμενον ἔχει τὴν φωνὴν ἐν ἑαυτῷ, καὶ περιάγει τὴν γλῶτταν ἐπερείδειν ἀεὶ τῇ μνήμῃ βουλόμενον. *Non enim ſolùm ubi dolor eſt, ibi manum quis tenet, ſed & delectatio vocem ſibi habet, linguámque circumducit, fulcire eâ ſemper memoriam cupiens.* Itaque freno opus, & præceps ille curſus inhibendus. Ut Socratis præcepto, vitandi ii cibi, qui non eſurientes pelliciunt: ſic ii ſermones, ad quos delectatio incitat, id eſt, qui de nobis, & quibus noſtram magis laudem, quàm aliorum voluptatem fovemus.

Supereſt QUÆSTIO, & *Reſponſionem* adnexam habet. Illa facilis ſit, familiaris, & compendio dicam, pro Convivio: veteri & vero verbo, πρὸς τὸν Διόνυσον. *Ad Bacchum.* Ut nubeculæ Solis lumen: ita

ita ſalebroſæ argutiæ hilaritatem poculorum frangunt. Cave: nec enim aliorum ingenia tetricâ ſubtilitate torquenda ſunt, ut tuum oſtentes. Hoc ipſum, odium habet. Plutarchus ad rem, lib. 1. Sympoſ. Quæſt. 1. Εἶναι δὲ δεῖ καὶ αὐτὰς τὰς ζητήσεις ὑγροτέρας, καὶ γνώριμα τὰ προβλήματα, καὶ τὰς πεύσεις ἐπιεικεῖς, καὶ μὴ γλίσχρας ἵνα μὴ ἀσυνετωτέρους, μηδὲ ἀποτρέπωσι. *Ipſæ verò Quæſtiones eſſe debent faciliores, & problemata nota, & interrogationes decentes, neque nimis ſubtiles: ne rudiores torqueantur aut avertantur.* Nos verò quas non ſpinas ſpargimus? Philoſophi, imò Theologi inter fercula ſumus, cùm ſatulli ſcilicet & coronâ cincti. De Deo, & Religione quærimus, Divinæ providentiæ tabulas ſcrutamur, & ea omnia, in quibus ipſæ Scholæ ſudent. O intempeſtivam! pietatem dicam, an curioſitatem? Sed parco, & obiter de RESPONSIONE addo. Hujus tria eſſe genera poſſunt, ex Plutarcho, de Garrulitate: ἀναγκαῖον, φιλάνθρωπον, περισσόν. Primùm, *Neceſſarium*, cùm aut ſcire, aut neſcire nos dicimus, breviterque ſententiam explicamus. Secundum, *Come*, cùm delicias addimus, & reſponſum humanitate condîmus. Tertium, *Superfluum*, cùm extra ripas, ut ita dicam, itur, & toto garrulitatis

torrente

torrente quæſtio obruitur. Nihil opus præſcribere ; ipſa ſe nomina indicant, elige: & quid ni *Humanum* illud, ridens illud, & convivii Genio amicum ? Sed per veſtigia interrogantis ferendi greſſus : reſponſio ipſa tamquàm centro & circino circumſcribenda. Ordine fiet, imò modo quodam fiet : ne aut qui interrogatus, præcipitet ſermonem ; aut qui non interrogatus, præripiat. Qui rogatus, animum ſumat ac loquatur: etiam cùm erraverit, laudem habet, quia obſecutus. Subrepens ille, inanem gloriolam adfectare deſinat : nam ſive rectè reſpondeat, moleſtus & importunus præpoſterâ ambitione futurus ; ſive malè, ridiculus. Quid ſi & cum offenſione? Omninò. Læditur enim & qui interrogat, & qui interrogatur. Hic quaſi ingenio deſtitutus, & reſpondendi ignarus, mulctari ſilentio debeat : ille, quaſi judicio æger, ſeligere virum neſciat aptum reſpondere. Summa, *Vitandum* (Quinctiliani verba ſunt, lib. VI. cap. III.) *ne petulans, ne ſuperbum, ne loco, ne tempori alienum, ne præparatum & domo allatum videatur, quod dicimus.*

Lectionem hìc ſuſpendit Tabutius, cùm levi ictu impulſi ſunt oſtii cardines: & ecce cum novâ larvâ neſcio, quis, in

ipſum

ipſum conclave immiſit caput. qui ut ſedentes nos adſpexit, repente ingreſſus eſt, ſinguliſque per larvæ nubem allubeſcens, mutis deliciis loquebatur. Mox blando geſtu manum meam prenſans, & velut palpum obtrudens, mellitæ grandinis nimbo ſinum meum implevit. Ego admirans, Et, quis tu Jupiter, inquam, è Cimmeriis, qui tam ſuavi tempeſtate me percellis? Tum ille faciem nudans, Ecce tuus adſum, inquit, peregrino quidem habitu, non adfectu: an ignotus? Ego hominem intuens, & quaſi fides oculorum ſuſpecta eſſet, Túne hìc ades, inquam, ô HYLÆE? Et quid ſibi hic ornatus? Nocturni ludi ſunt, ait, & Bacchico ritu pompam duco, in COMI hac palæſtrâ ſaltaturus. Veni, & gregem meum vide. Mox aderunt quoque, qui veteres è Ponto & Ioniâ numeros dabunt, qui Muſarum, Gratiarumque amœnum illum altero pede motum; &, ſi arma placent, qui Pyrrhicham ſaltabunt. Plura & ore & geſtu in laudem Saltationis promebat; ut mihi planè videretur pedum quodam pruritu laborare. Dum huic ſtultitiæ oculos aureſque commodamus, puer Æthiops face intrat, cui noctis ipſe color perſonam fecerat. E Comitatu Hylæi eſſe, geſtus indicabat.

dicabat. Hìc igitur poſtquam ad aurem heri acceſſiſſet, ſubmiſſo murmure neſcio quid ſuſurrans, Amicam nominavit: ad cujus ille nomen vultum non ſervans, cùm nutu magis, quàm voce ſalutem nobis precatus eſſet, larvâ reſumptâ, in cœnaculum ſe proripuit. Tum Tabutius, Sine inſaniâ, inquit, Amor non eſt; & hunc, quem vidiſtis, ad nocturnas ineptias ſævus ignis ſtimulat. Sed, quid eſt? hac gymnade COMUS gaudet, Perſonatos admittit, choreis adſuevit; atque adeò Salios facit ipſos Convivas. A longâ & pertinaci ſeſſione Tripudia ſunt, ultima totius hilaritatis velut ſcitamenta. niſi libes, labem invenis, & peccas. Scilicet poſt menſæ, etiam laſciviæ Sacra ſunt, temulento motu obeunda. Ad purpuram hìc Sapientes Dionyſius cogat. Leges hoc PHAGESIPOSIORUM poſcunt, ut, qui cœnaverit, ſaltet. Sed profectò, quid grave aut concinnum, ubi ebrietas numerum frangit, greſſumque deformat? Saltem laudandæ virgines aliquæ ſunt, ſcitulæ, tenellulæ; quæ invito COMO ſiccæ & tamquàm ſtatuæ toto convivio, ut ſobriæ quoque ſaltent. Colligunt quietè laſciviam, quam motu effundant: calentem ſine Libero aut Cerere Venerem habent.

Iunge

Iunge ferventem illam & maſculam juventutis petulantiam, & honeſtum aliquod tripudii genus exſpecta. Sunt molles & Ionici geſtus, obtutus, contactus, & quidquid impudicitiæ frons palàm audet. Dubites profectò mares ebrii, an feminæ ſobriæ magis delirent. O mores fœdos! ſed fœdiores, quòd conſuetudine excuſentur. Veniunt ad alienos, tamquàm ad ſuos Hymenæos, ſi Dis placet, virgines, & maturâ libidine languent, pallent, pruriunt. Periit ceruſſa, purpuriſſum, melinum, & ſiquid hujusmodi offuciarum: quæ exſangues, bellæ ſunt; & luridum ac morticinum hunc colorem ſtultiſſimo facinore adfectant. Tu Muſa fave, & fare.

PALLOR, *verna Stygis, puérque Ditis,*
Vmbrarum genus, & ſatelles Orci,
Corrupti ſoboles pudoris, index
Morborum, Nemeſisque larva, lethi
Frater, invidiæ comes, metúsque:
Sed nunc verna, puer genus, ſatelles
Laſcivæ Veneris libidinísque,
Amoris ſoboles, lepôris index,
Morum luxuriæque larva, riſus
Frater, lætitiæ comes, iocíque.
Virgo nec lepida eſt, nec eſt venuſta,
Quæ non pallidula eſt: colore mortis
Et vir quæritur, atque mox adulter.

Quæ

Quæ Antiquitas ſic deſipuit? Aliæ pertinaci jejunio vigorem emacerant, aliæ venam ſecant, aliæ frugum ſemina, carbones, calcem, cineres, terram vorant, acetum hauriunt. Cùm ex voto pulchræ,
Sanguinis in facie non hæret gutta. ---
Formæ pretium puta, pallori valetudinem impendunt: nimirum ut vultu cadavera ſint, ac omnem videantur verecundiam projeciſſe. Sic audaciam amatores ſumunt, & ſuam quiſque adfatur, prenſat, palpat. Etiam dicam?
Carpit papillas, atque amplexus intimat.
Oſcula uſu honeſta ſunt, & cum verbis ſeruntur. Illud obtinuit:
Fumo comburi nihil poteſt, flammâ poteſt.
Sed iſtam flammam fumo tegimus, ut in umbrâ voluptatis cum libertate ludamus. Non hæc libidinis meta; ſed gradus eſt, longiuſque itur.
Qui è nuce nucleum eſſe volt, frangit nucem:
Qui volt cubare, pangit ſaltem ſuavium.
Imò, qui volt cubare, tripudio viam ſternit, virginemque tamquàm ſponſam ducit. Illa ſequitur, & eoſdem obit numeros, incenditque præſultorem. Videas peregrinas omnis ſtultitię ineptias, & exoticum laſciviæ habitum ornatumque, nec quidquam patrii ac vernaculi in mo-

in moribus ſupereſſe. Tamquàm originis pudeat, hoc unum omnes agunt, ut videantur à Majoribus deſciviſſe. Ergò exotico pleræque luxu deformes ſunt: peritque omnis membrorum gratia, veſtium partim onere, partim tormento. Arctiſſimis vinclis coſtas & thoracem ſtringunt: coxas, ventrem, femina, & quidquid adhæret, in laſcivam laxant laciniántque libertatem. Stola jam larva eſt, & quæ pulchræ, toto corpore monſtrum induunt. Ipſum caput cirris vincitur, tutulo gravatur, & ſuggeſto adoptivæ comæ. Collum vallo munitur, & radiis cingitur linei candoris. Scrutamini, violatum decorum ubique invenietis. Quid auri non jam ornamenta, ſed onera? Quid aurium vulnera, quaſi ſatis annulorum digiti non capiant? Cimmeria pudicitia ſub inhoneſto hoc ſchemate laborans, in turpiſſimam mollitiem ſolvitur. Veſtis fartum in prægnantium ſarcinam puellæ diſtendunt, cùm vix ſororiare cœperunt: prævertunt utero nuptias, gravidæ priuſquam conceperunt; imò fortaſſis gravidæ, quò vitium celent. Compoſito & ſuffarcinato tumore luditur; ut videantur velut per delicias uterum ferre, cùm non ferunt, ne videantur, cùm ferunt. Perit virginitas, ne
 pereat.

pereat. Carmine hæc ſtultitia perſtringenda eſt.

Bajulat Iſchiacam laſcivo pondere vannum,
Et tumido gaudet virgo placere ſinu.
Dant humeros coxæ, medio quoque corpore collum
Surgit, vix geminæ circuitu ſpithamæ.
Membrorum deforme chaos! gula proxima pubi eſt,
Et ventris cœpit pectus habere locum.
Cur aſtutus Amor, cur ſit cordata libido,
Quæris? quâ prurit femina parte, ſapit.

Itaque non oris tantùm, ventris quoque fucus eſt: cùm onere ire, ſedere, epulari, deliciæ; & quæ mox futura mater, tamquàm virgo ſaltat; quæ prolem dabit, maritum necdum repperit: & ſaltat tamen, ut reperiat. Bone Deus, quàm turpi illicio! Ignem ſe fovere, motu indicat: virum ferre poſſe, oſtentato vigore. Torquentur latera, ſinuantur femina: nequid lateat, pedes, tali, ſuræ conſpicuæ ſunt, extra ambientis laciniæ fines. Videre putes, *Quem ſinus abſcondit,* -- membrorum florem, cujus velut imago & modulus tremulo veſtigio ſignatur. Quod reliquum eſt, pallentes illæ in facie veneres, urentes in medullis cupidines, ultimam obſcœni voti voluptatem anhe-

anhelant. Hi feminarum mores ac morbi ſunt: virorum, nequid gravius dicam, quòd iiſdem delectentur. Uſurpabo Senecæ verba, lib. VII. Natural. Quæſt. *Muliebres munditias anteceſſimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri ſumimus. Tenero & molli ingreſſu ſuſpendimus gradum: non ambulamus, ſed incedimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur. Quotidie comminiſcimur per quæ virilitati fiat injuria; ut traducatur, quia non poteſt exui.* Ac de veſtibus, quid attinet dicere? Pelliti pridem eſſe deſierunt Cimmerii, lanam & rudioris naturæ beneficium ſpreverunt: uſum luxus vicit; quaſi è COMI præſcripto, honeſtius ornari, quàm muniri. Ergò ſtultiſſimus corporis ſplendor ingenti pretio quæritur; adſcitâ & adoptatâ undique pompâ pænè in ſimulacra migratur. nemo ſatis ornatus: niſi, qui admirantium trahit oculos, & cultum ab humiliori extorquet. Etiam fortunas omnes veſte bajulare ac deterere pulchrum eſt: tantâ ſtultitiâ contemnere audent opes, qui iactant; qui gerere, quàm poſſidere malunt. Sic omne in ornatu patrimonium eſt: corporis fines, etiam cenſus. Hoc tam ſuperbo compendio plerique divites, plerique præ-

textati, purpurati, auro gemmisque lucidi: quorum in genere & lare nox eſt, ſæpe turpitudo, & ſcelus. Qui ditiores, toto orbe luxum colligunt, à Phrygibus, Æthiopibus, Indis amictum petunt; relucere in tenebris geſtiunt. O perverſitatem! Etiam, qui animo libertatem ſpirant, corpus exoticis deliciis induunt vinciúntque, &, quid niſi in contumeliam Naturæ? Hæc cùm cetera animantia variè veſtierit, teſtis, corio, ſpinis, villis, ſetis, pilis, plumâ ſquammis, velleribus; truncos etiam arboresque cortice: *hominem tantùm nudum, & in nudâ humo* (Plinii verba ſunt, Præfatione libri VII.) *abjecit ad vagitum ſtatim & ploratum.* Sed plerique ita jam veſtiuntur, ut, quidquid Natura negârit, adſumant, non defendendo corpori, ſed emolliendo. Non ego Nitorem ſperno, Laſciviam ſperno. *Munda veſtis electio,* ait Philoſophus Romanus, Epiſt. XCII. *appetenda eſt homini: naturâ enim homo mundum & elegans animal eſt.* Sed eò ventum, ut munditiem ſolâ pompâ æſtimemus: veſtis non veſtis ſit, niſi pretioſa.

Plura quidem parabat Tabutius,
Cùm domus interior gemitu, miſeróque tumultu
Miſcetur,

Miſcetur, penitúſque cava plangoribus ædes
Femineis ululant.

Excitati, qui circùm jacebant, nondum penitùs profligato ſomno, in cœnaculum ruerunt. Sed Tabutius non ſine riſu: Hæc ſolennis PHAGESIPOSIORUM cataſtrophe. Vos ite, videte: ego quietem meam novo ſpectaculo non ſolvo. Dum ſurgimus, imúſque, puer ecce Hylæi cæco in cubiculum impetu defertur, vix præ timore ſpiritum ducens. Quem ut adſpexi, Quid tremis, & fugis, inquam, Drapetiſce; & cur ſine Hero? At ille, Herus, inquit, ſe curet: ego certè periiſſe me ſcio, niſi fugiam.

Spes atque opes vitæ meæ jacent ſepultæ in
pectore.

Ego iterum: Dic ergò, an tu neſcis? noſter, Hylæus eſt: ſiquid commeruiſti, oratores erimus, noxiam deprecaturi. Hanc vos operam, puer ait, alibi locate. Inſons ego, niſi tamen hoc pecco, quòd ad ſalutem præeam. Herus Amare cœpit, perire cœpit, & nunc intùs armorum jure ſuos ſibi amores vindicat, in rivales pugnat, ſanguinis ſui prodigus, & vitæ. Rixa è tripudio orta, & nunc confuſa ac cruenta pugna eſt, cujuſmodi inter Lapithas olim ac Centauros. Vos ignoſcite, latebras cæcæ noctis

quæro, & conſanguineam colori meo auram. Nec moratus, per proximas ſcalas in cryptoporticum ſe demiſit. Nos in cœnaculum pergimus, ſaltem à limine COMI cothurnum ſpectaturi. Sed, quàm nihil adhuc Drapetiſcus dixerat! Non jam convivium, ſed prælium erat, nec vinum ampliùs, ſed ſanguis fundebatur. Nil tale Sithonii. Ardentem,

Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem

videmus: ad inferendam quemque vim inſtructum. In medio agmine Larenus Corybantes, vaniſſimus homo, & κέρβορος ἐκ τριόδου, ſæva rotabat æra; cujus iſtæ ab Orgiis petitæ voces erant: ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός. *De tympano edi, de cymbalo bibi, religionis ſecreta perdidici.* Quin etiam, ut impunè linguæ ſuæ veneno graſſaretur, novo, & mehercle Spartano dogmate, inter virtutes Calumniam retulerat; & cum laude poſſe vibrari. O columen magnarum litterarum! ô ſpecimen veræ probitatis! Sed his exemplis ſi juventus ducitur, ſine litteris eruditionem licebit, ſine modeſtiâ virtutem profiteri. Senex etiam propè Acheronticus, qui dentes faciliùs, quàm digitos numeraſſet, Thyrſum, & invitum ſimul Bacchum quatiens, præ-

ter

ter ætatem, etiam vino delirare ſe poſſe oſtendebat. Hujus exemplo protervi aliquot adóleſcentes, &, qui proximis Bacchanaliis togam virilem ſumpſerant, non tralatitium orſi erant bellum. Alius lance manum armaverat, alius ſcypho: putares jam quoque vulnera propinari. Sed hoc mirum: ille, qui in porticu litteras ſibi ſtolido conatu vindicârat, jam perſonam ponere, &, quia PHIBRENI operâ deſtitutus, libellos ſuos jaculari in turbam cœpit, eruditionem tamquam manu mittens. Quid verbis opus eſt?

Pro ſe quiſque id, quod quiſque poteſt & valet

Edit, ferit.

Ac ne mulierum quidem clamor aciem deſtituebat: aliæ ejulatu ſanguinem ſuorum proſequi, aliæ ceu Bacchantes quędam Bacchæ dimicantium furorem accendere, imò pugnare. Martis hæc quędam ſpectacula erant. Jam menſæ ceciderant, & extrema bellaria proculcata, auxerant triſtitiam ſcænæ. Nam paraſiti aliqui

--- Moloſſici,

Odorificique, & multum incomediſtici,

quibus ſolenne colaphos perpeti, & frangi aulas in caput, amittere vitam,

quàm prædam malebant; & pro epulis, imò cum epulis occumbere; dulce & decorum videbatur. Erat etiam, qui tripode ictus eliderer, qui veru vim arceret, qui palâ aut piſtillo injuriam vindicaret. Nemo non armatus ſæviebat. Dum ſpectamus, ecce familiaris noſter PANIPERCHES, rectiſſimi ingenii animique vir (cui non unam Lauream Muſæ Vernaculæ debent) è Porticu in triclinium, & ad nos venit. cúmque repentinum hunc tumultum propiùs miraretur, pænè in diſcrimen impetu pugnantium abſtractus eſt. Sed accurrens Aderba, ſtrenuámque amico pereunti opem ferens, è mediâ Paniperchem turbâ eripuit, & in Porticum reduxit. COMUS verò, miſſis jam deliciis, ut tumultum ſedaret, in mediam ſe furentium turbam immiſit; & exſertâ voce, Quid hoc flagitii, inquit, ô Cimmerii.

Natis in uſum lætitiæ ſcyphis
Pugnare Thracum eſt: tollite barbarum
Morem, verecundúmque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

Plura in hanc ſententiam erant; quibus tamen leniri exulcerati utrimque injuriis animi nequaquàm poterant. Creverant iræ, & extremam aliquam ruinam minabantur. Numen, quia negligi, imò ſperni

ſperni ſe vidit, cum LUXU LASCIVIAQUE evanuit. Ergò magis miſceri & confundi omnia; & quaſi arma etiam furori deeſſent, ad faces tedáſque itum, & quidquid erat luminis, pugnando extinctum. Tum Nox, Tenebræ & nigra omnis turba, quæ in veſtibulo Regiæ remanſerat, irrupit; & eſſe, quidquid apud Cimmerios fuerat, deſiit. Ego ex umbrâ, ſilentio, & ipſo Somno emergens, ad novam lucis uſuram reverſus ſum.

FINIS.

CANDIDO LECTORI.

SOMNIUM *narravi, Lector; &, ut vides, diro ſub finem terrore cruentum. an igitur expiandum? Vos Dii Tutani, & Averrunci adeſte: ſed tu molam puer ſalſam adfer, ſeu puram ex inquilino flumine aquam. Imò verò infelicem è ſilvâ vicinâ ſtipitem adfer, ut crucem Calumniæ figam, & petulantiſſimis* Calumniæ *Myſtis.* O Candor, ô *Veritas! quid non unius alteriúſve hominis improbitas audet, cùm mentiri impunè cœpit! Sed nunc, quia huc me cogunt, obſtaculum impuræ illæ, & vipereæ linguæ inveniant: illæ nomini, famæ & tranquillitati meæ, per merum Livorem, infeſtæ. Obſtaculum, inquam, hanc Epiſtolam,* A SENATU MEDIOLANENSI AD ORDINES BRABANTIÆ *miſſam: cujus ego exemplar ab Ampliſſimo Viro & Equite* PHILIPPO MASIO, *eorumdem Ordinum Conſiliario & Graphiario accepi. Tu vide Lector, & ſalve.*

ILLV-

ILLVSTRISSIMIS ORDINIBUS BRABANTIÆ NOBIS OBSERVANDIS.

Illuſtriſſimi ORDINES,

ERYCIVM PVTEANVM, veſtratem, Virum probum, doctum, & eloquentem, civitas hæc, decem ab hinc annis, in Italiam venientem prima excepit, novit, amavit, fovit. Is, biennio hîc ferè tranſacto, quod propoſitum in animo diu habuerat, Italiam luſtravit, Pataviíque ſtudiorum gratiâ alterum biennium conſedit, unde huc à nobis ad publicum munus artis oratoriæ Iuventuti Mediolanenſi tradendæ cum honorifico ſtipendio fuit evocatus. Quo in loco integrum ſexennium docuit, magnâ cum ſuâ laude, magnâ item cum approbatione noſtrâ, totiúsque civitatis voluptate atque utilitate. Interim verò famâ viri ſcriptis etiam editis percrebeſcente, Civitate Romanâ donatus eſt; & paullò poſt à Potentiſſimo Rege noſtro Catholico Hiſtoriographi hujus Provinciæ Mediolanenſis titulo, amplo cum honorario inſignitus. Uxorem apud nos duxit honeſtam, honeſto loco natam, ac benè moratam, ex quâ geminam ſuſcepit prolem, utramque maſculam; ut meritò jam civis in hac urbe, non hoſpes habeatur: in quâ etiam, nè quid ad plenam doctrinæ laudem deeſſet, ab Ampliſſimo Iuriſconſultorum Mediolanenſium Collegio Doctoralem lauream ſollemniter adeptus eſt. Nunc à vobis Ampliſſimi ORDINES Lovanium accerſitus, ſupplex à nobis miſſionem petiit, quibus ope-

ram ſuam in aliquot adhuc annos jam antea locaverat; teſtans, ſe, niſi in Patriam vocaretur, nunquam nos deſerturum; quos tamen animo ſemper ſit complexurus. cui cùm nihil unquam, quod cuperet ab hoc Ordine fuerit denegatum, ne hoc quidem licet nobis, Rèique huic publicæ perincommodum, negare potuimns; præſertim cùm non ad exteros migret, ſed ad ſuos; & àd eos, qui ſub tutelâ ſunt ejuſdem Potentiſſimi Regis noſtri Catholici. Illum igitur, tametſi nobis ex contractu auctoratum, eâ obligatione ſolvimus, arbitratúque ſuo ad vos abire permiſimus, bonis omnibus ac litteris hiſce noſtris, eum proſequentes, quibus (abundantiâ potiùs amoris, quàm neceſſitate ullâ poſcente) illum ex animo vobis commendamus. D. O. M. Illuſtriſſimas Dominationes Veſtras diu incolumes ſervet. MEDIOLANI, die VII. Octobris, M. DC. VI.

Illuſtr.rum DD. VV.

Studioſiſſimi

Præſes, & Senatus Regius Provinciæ MedIolanenſis.

Subſignat.

JO. BAPT. SACCUS.

PETRI

PETRI
CASTELLANI
LUDUS,
Sive
CONVIVIUM
SATURNALE.

CLARISSIMO VIRO, FRANCISCO KINSCHOT, HUNC LUDUM D. C. Q.

MIRANTUR *aliqui me nihil hactenus edidiſſe: mirabuntur alii nugas primùm edere. Sed utriúsque una eſt ratio. nam brevi tempore quidpiam cedro dignum moliri, eorum eſt, qui cum Iove, nondum barbati ſapiunt. Porrò tacere hodierna ingenia non ſinunt. Scribunt omnes: quieſcere nemo poteſt: veremur adeò, ne piperi deſint cuculli. Et venia quidem ſit iſti morbo danda, niſi aliena ſtudia modulo ſuo metirentur, & vulgatione ſcriptorum eruditionem æſtimarent. Si quis, antequam charta parcere deſinat, largam ſibi rerum copiam parare laboret; moram ſentiet ignorantiæ nota deſtringi: nam cùm de cujuſquam doctrinâ quæritur, in promptu eſt reſponſio;* nihil edidit. *Et videre eſt pupillos, non Periclis, ſed Hippocratis, qui viros graves,* τὴν γνώμην ἰσχνοὺς, *& reconditâ doctrinâ inundatos ob eam cauſam, tantùm non, ceu* Κρατίνου κάδιον,

com-

commictiles putant. Eos animos miſſæ in lucem quiſquiliæ faciunt: In quas dum incido, βουλοίμην κ᾽ ἂν ἀκαλήφαις τὸν ἴσον χρόνον ἐστεφανῶσθαι. *Atque hinc illa copia libellorum* ἡμεροβίων, *aut potiùs abortivorum. feſtinata famæ captatio perfecti operis impedimentum eſt. Victuri fœtus ſpacium petunt, quo matureſcant. Cùm itaque dignum barbâ, atq; capillis majorum opus exigere nondum poſſem; & tamen inter* DOCTOS, *etiam cirratorum calculo cenſeri vellem; has nugas edi tutiſſimè ratus ſum. nam quodcumque judicium ferent, præter opinionem haut accidet. Scripta, per quæ doctiſſimi Viri famæ periculum fecerunt, nauſeantis ſtomachi homines; quibus vel Accipenſer fatuus ſit, nugas, appellant. Nolo accuſare invidiam præſentibus ingeniis adverſam: me ſi dicant egiſſe nugas, judicium arbitrabor. Cæterum eas ad te mitto,* VIR CLARISSIME, *non ut aliquid eſſe putes; ſed ut his diebus,*

Regnator quibus imperat fritillus,

à publicis negotiis, quæ miſſionem vix habent, vel ad horam, iſto LUDO *recreëris. Hoc nunc ſi conſequar abundè eſt. Nam tuorum in me officiorum memoriam alterius temporis commemoratione teſtabor. Vale. Louanii* XVII. *Cal. Ian.* M.D.C.XV.

PETRI

PETRI CASTELLANI
LUDUS,
Sive
CONVIVIUM SATURNALE.

SExto-decimo Calendas Ianuarias ad me venit Seſtius, vir cùm animi candore, tùm etiam comitate morum præcipuus. Cúmque poſt mutuam ſalutationem in vultu nubilo recentia veſtigia ſeriei meditationis agnoſceret; manum iniecit, & te, inquit, teneo manifeſte Legirupa.

unctus falciferi ſenis diebus

Nephalia celebras? & tempus candidiſſimum, nube ſupercilii atrum reddis? In jus ambula. Hîc ego gravem in ioco vocem riſi, & ad cujus, inquam, me tribunal vocas? Tum ille, fruſtrà excipies; fora nunc ſilent; non datur advocatio; Cronoſolonis legibus horum dierum noxæ caſtigantur: quarum authoritatem, nec ipſe quidem Princeps, alioquin legibus ſolutus, diffugere potuit: ait enim: χρὴ τῷ νόμῳ πείθεσθαι τοῦ θεοῦ. *Oportet*

Dei

Dei legibus obtemperare. Lex autem eſt: NE QVID INTRA FESTI TEMPVS AGITOR, NEQVE PVBLICE, NEQVE PRIVATIM, NISI QVOD AD LVSVM, ATQUE ANIMI OBLECTATIONEM PERTINEBIT. Audin iſta nec Dei ἄρπην καρχαρόδοντα times? Non tantum in ariſtas eâ ſe uti docuit, quando

φίλου ἀπὸ μήδεα Πατρὸς
Ἐσσυμένως ἤμησε.

Tum ego: Bona verba, inquam, non ita Saturnalia diſplicent, ut Megaleſiis initiati velim. Evades, ait, ſi cœnam mihi in veſperam addixeris. At ego, capite leniter moto; Vide, quid agas? Iam delatorem inveniſti, qui te calumniæ arceſſat, ſi depectus fueris. Sed accipio conditionem, ſi liceat ἐρανίζειν. Et ne Varronem offendamus, nec intra gratiarum numerum Convivę ſint, Contubernalis meus Borlutius ad partes veniet; Homo jucundiſſimus, & omnium horarum amicus. Δεῖπνον, inquit ille, ἀπὸ συμβολῶν, alias curabimus; & accerſito Borlutio, hodie apud me eritis. vos deinde feries excipiet. Plerique mortalium Saturni menſem toto anno celebrant. Nos illi triduum ſine culpa dare poſſumus. Atque ita nos ſibi Convivas abduxit. neque enim trahere, aut veſtem lacerare debuit;

debuit; quia non tam epularum requirebamus apparatum, quam menſæ libertatem, in quâ ad gravitatem amicitia non cogeretur. Quæ res ſola remedio eſt, ut animus requieſcat, omnemque moleſtiæ recordationem exſpuat, ſicubi eum aut ſacietas hominum, aut negoti ſi quando odium cepit. Cum aliquot in horto ſpacia confeciſſemus, ecce puer nuncians, & cœnæ tempus adeſſe, & cœnam ipſam eſſe paratam. Intramus cænaculum, manibuſque lautis menſæ aſſidemus. Nulla de loco inter nos contentio fuit. Inſtar Homericorum Deorum ubi ſedendum eſſet uſu didiceramus. Tum Seſtius fronte hilarâ, atque exporrectâ, grati adveniſtis, inquit, dummodo memineritis non ad epulas Saliares vos eſſe vocatos, ſed ad liberas fabulas, ut,

Quidquid venerit obvium loquamur
Moroſa ſine cogitatione.

At Borlutius ubi dominum videt, non ovo, ſed crudâ braſſicâ cœnam committere; folium tollit, & Capreæ, quam in delitiis ob manſuetudinem Seſtius habet (cibum enim non de manu tantùm, ſed etiam de menſâ capit) illud porrigit; & habeant, inquit, ſimiles labra lactucas. Deſine, inquam, ego, jam factum noles.

noles, ubi bibendum erit; ut bibas, & officium præſtet, menſque pedeſque ſuum, hoc amuleto conſequeris. nam braſſica, inter ea, quæ vocant ἀμέθυςα ſive μέθης φάρμακα, id eſt, *ebrietatis remedia*, primas tenere cenſetur. unde Cato de re ruſticâ cap. CLVI. *Si voles*, inquit, *in convivio multum bibere, cœnareq́ libenter, ante cœnam eſto crudam quantum voles ex aceto: & item ubi cœnaveris comeſto aliqua quinque folia; reddent te quaſi nihil ederis, biberisq́; bibesq́ quantum voles* Et Geoponicorum libro VII, κράμβην ὠμὴν προέσθιε, καὶ οὐ μεθύσῃ. Athenæus libro I. tradit Ægyptios πρὸ πάντων ἐδεσμάτων, κράμβας ἐσθίειν ἐφθὰς, καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο παρασκευάζεσθαι, *comedere ante alios omnes cibos braſſicas coctas, quæ etiam hodiè parari ſolent.* Ariſtot. problemat. ſect. III. q. XVII. cauſam iſtius facultatis quærit, omnemque frigori attribuit, & dulcedini: frigore quidem vapores vini retunduntur, & ſi Plutarcho credimus, ex quo deſumpſit, Macrobius lib. VII. Saturnal. cap. VII. dulcedo ebrietati adverſatur; *adeo ut Medici eos, qui uſque ad periculum vino diſtenduntur plurimo, cogant vomere; & poſt vomitum contra fumum vini, qui remanſit in venis panem offerunt melle illitum; & ita hominem ab ebrietatis malo*

dulcedo

dulcedo defendit. contra tamen Avicenna ſen. III. primi, cap. VIII. doctrina II. potaturos jubet dulcibus abſtinere. Hîc ad me converſus, ſermonem interrupit Seſtius. Rectè, inquit. nam amara id præſtare dicuntur. vulgo enim receptum eſt, ut amygdalis amaris ad potandum armentur. & Plinius lib. XXIII. capit. VIII. *aiunt quinis ferè præſumptis ebrietatem non ſentire potores.* Druſi Medicum referunt eo remedio munitum omnes bibendo ſuperaſſe; facilè victum, ubi abſtinuiſſet. Tum ego orationem excipiens; Author Geoponic. inquam, illud quoque non omittit. & Amygdala amarore ſuo, meatus ita vellicant, & irritant, ut humores à capite revellantur, quos deinde ſiccitate ſuâ abſumunt. Hinc vulpes ſi amygdala amara ederit, nec ſtatim contingat è vicino aquam lambere, moritur. Produnt etiam ebrietate non tentari potorem, qui pumilæ pinus ramis coronatus biberit. Sed ridiculum mihi in primis videtur, quod ab Anatolio ſcriptum legimus, non inebriari eum, qui ad primum poculum, hunc Homeri verſiculum recitaverit;

Τοῖς' ἄρ' ἀπ' Ἰδαίων ὀρέων κτύπε μητίετα Ζεύς.

His quidem ab Idæis montibus intonuit prudens Iuppiter.

Ad

Ad hæc nos cum riſu intuens Borlutius; quæcumque hactenus in medium remedia protuliſtis, moleſta ſunt; unum magis probo; quod neſcio an apud Galenum inveniatur *inter medicamenta facilè parabilia*; hoc eſt, ut clavus clavo pellatur, & heſternæ potationis mala, matutinis hauſtibus diſcutiantur. Iocaris, inquam ego, fortaſſis. Atqui non defuere, qui hoc commendarint. Apud Plutarchum lib. de Sanitate tuendâ, nonnullos legimus ſolitos, οἴνῳ τὸν οἶνον, καὶ κραιπάλῃ τὴν κραιπάλην ἐξελεῖν, καὶ διαφορεῖν. *vinum vino, & crapulam crapulâ eximere, atque diſcutere.* Verùm in Platonis convivio id improbat Eryximachus, & univerſè affirmat, gravem eſſe hominibus ebrietatem, omneſque eâ vult abſtinere, & præſertim τὸν κραιπαλῶντα, id eſt, eum *cujus caput heſterni meri gravedine detinetur.* Nec ſane video, cui bono ſit ebrietatem continuare, niſi forſitan ut conſueta levius feratur. At ego ſi quando coactus, præter ſolitum bibi: conſilio Alexidos uti malo;

Ἐχθὲς ὑπέπινες, εἶτα νυνὶ κραιπαλᾷς;
Κατανύσταξον. παύσῃ γάρ.

Heri bibiſti nimium, nunc crapula gravaris;
Obdormias: ſedabitur enim.

Quando autem meo arbitrio convivari licet,

licet, ultra hilaritatis poculum haut temerè progredior. His dictis, ad me Seſtius,

Nunc vos, quò libet, hinc abite mores
Nimis difficiles, & ad ſeveros
Migrate, hoc decet optimum dierum.

Perſarum Regi quotannis inebriari ſemel fas erat: Idem ſi Belgis etiam accidat, facilis venia fuerit. Et quod flagitium, obſecro, ſi ad exemplum priſci Catonis, interdum mero virtus eorum incaleſcat. Non tamen ebrietati patrocinor, immò in eos, qui delictis ſuis temulentiam obtendunt, Pittaci legem revocari velim, quam probat Ariſtoteles Nicomachæ. III. cap. VII. & laudat Politic. II. cap. XII. τὸ τοὺς μεθύοντας, ἄν τι πταίσωσι, πλείω ζημίαν ἀποτίνειν τῶν νηφόντων, *ut ſi quem ebrii pulſarunt, graviores pœnas dent, quam ſi ſicci pulſaſſent.* Hoc tantùm volo, tam diſtrictè non eſſe damnandum Belgarum morem invitandi ſe poculis, & eundem amico cratera porrigendi. In eo quondam amantes delicias fecerunt, ut Præceptor amoris docet; & apud Apuleium lib. II. nequiſſima puella obſervat: *Priuſquam totum exſorberem, clementer invadit; ac relictum paullatim labellis minuens, meque reſpiciens, ſorbillat dulciter; ſequens & tertium inter nos viciſſim &*

ſim & frequens alternat poculum. Id Belgarum ſimplicitas ad profitendum amici animi candorem traxit, prout etiam Græcis uſurpatum. Cicero in Tuſcul. *Græci in conviviis ſolent nominare, cui poculum tradituri ſunt.* Unde ſi Scholiaſtæ Pindari credimus ad Olympionic. VII. προπίνειν ἐστὶ κυρίως ἅμα τῷ κράματι τὸ ἀγγεῖον χαρίζεσθαι. Ecce, qui à ſuo authore diſcere potuit *optimam eſſe aquam*, optimè interpretatur, quid ſit προπίνειν, nempe *cum potu vas ipſum tradere.* Et quia hoc manifeſtum benevolentiæ ſignum, obtinuit ut τὸ προπίνειν, abſolutè eſſet τὸ χαρίζεσθαι, id eſt, *gratificari*, ut ex Anacreonte, & Athenæo conſtat: Sic Demoſthenes ait patriæ Proditores, τοῖς ἐχθροῖς προπίνειν *hoſtibus propinare.* Scribit Herodotus libro IV. Naſamonas fidem potu ſancire. πίστισι, δὲ τοιῆσι χρέωνται· ἐκ τῆς τοῦ ἑτέρου χειρὸς διδοῖ πίνειν. καὶ αὐτὸς ἐκ τῆς τοῦ ἑτέρου πίνει, *Fidei dandæ hic uſus eſt; manu alter alteri potum exhibet.* Romanos etiam ſolitos charioribus calices ſuos tradere ex Cicerone & Valerio eruditi docuerunt. Tiberius, ut eſt apud Suetonium cap. XLII. *ignotiſſimum quæſturæ candidatum nobiliſſimis antepoſuit, ob epotam in convivio propinante ſe vini amphoram.* Felicius iſti ceſſit temulentia, quam Calliſtheni apud Alexan-

Alexandrum intempeſtiva ſobrietas. Memoriæ prodidit Zonaras Baſilium Imp. Sclero benevolentiam, hâc teſſarâ voluiſſe teſtatam, καὶ ἐκοινώσατο τραπέζης, καὶ ἐπιέτην ἐκ τῆς αὐτῆς κύλικος. *Communicavit eum menſâ, & ex eodem calice biberunt.* Non tamen opinor illos, quos jam memoravi, Vitelliano more potaſſe, & ut ſufficerent adjeciſſe vomitandi conſuetudinem: Verum Socraticâ planè conſtantiâ plurimum hauſiſſe quidem, non tamen, ut mens *iniqui nube meri obumbraretur.* Quod apud Perſas adeò glorioſum fuit teſte Athenæo lib. x. & Euſtathio ad Odiſſæ Σ; ut Darius Hyſtaſpis, qui magos interemit, iſtud monumento ſuo elogium inſcribi curarit; ΗΔΥΝΑΜΗΝ ΚΑΙ ΟΙΝΟΝ ΠΙΝΕΙΝ ΠΟΛΥΝ ΚΑΙ ΤΟΥΤΟΝ ΦΕΡΕΙΝ ΚΑΛΩΣ. *Poteram vinum bibere multum, & illud benè ferre.* At ſunt qui ſe male acceptos putent, niſi rationem ingurgitando ſopiverint; Digni profectò Zenones, qui Ariadnam inveniant; ut cum vino ſepulti jaceant, non amplius inter vivos habeantur. Poſt hæc braſſicam circumferri juſſit, ut, quantum liberet carperemus. Et hoc, inquam ego, ex veterum ritu. Solebant enim olera, & ſalſamenta in antecæniis circumferre; quod nitidius, quàm vexatas manibus

eſcas porrigere. Græcis dicuntur αἱ εἰθισμέναι περιπαρατίθεσθαι περιφοραί. Facit hùc Epicteti locus Enchiridii cap.XXI. περιφερόμενον γέγονέ τι κατά σε, ἐκτείνας τὴν χεῖρα κοσμίως μετάλαβε, *Si quid circumferendo ad te pervenerit, porrectâ manu modeſtè capito.* Ab hoc ſermone vinum popoſcit Seſtius; & experiamur, inquit, an etiam in ſtomacho vinum, & braſſica odia exerceant: acceptoque Scypho, & Borlutium intuens; Hunc tibi, inquit, & amicæ tuæ. Hem! inquam ego. Siccine virum primæ nobilitatis inter Gandenſes compellare audes? Cave *ne adverſus bonos mores quid injuriæ factum ſit certum dicat.* Illud *Tu*, & *Tibi*, ignominiæ causâ dicitur, poſtquā honor ſalutandi ſolæciſmis æſtimari cæpit. Apage à nobis ejuſmodi ineptias, inquit; vellem, & nomen adjeciſſem. Inter amicos, ſynceros intelligo, non ſum Theocriti amante urbanior:

Οὔνομά σοι λέγε τῆνο, καὶ ὄνομα πολλάκι τέρπει.

Dic nomen nam ſæpè juvat quoque nomen amantes.

At, inquam, ſi ævi mores inſpicis, invenies quibus vinum eo modo propinatum oleat hircum, & nauteam ſapiat. Atque adeo priſcæ barbariei veterno ambitioſorum pertinacia gaudet, ut ſi eruditi repugnent, tanquam urbanitatis ignari, cachinno

cachinno & ſannis excipiantur. Non equidem abnuo, inquit ille: *cum inſanientibus furere neceſſum eſt:* ἀλλ' οὐκ ὁλοσχερῶς. Ferenda ſunt vitia, ſed non portenta. Multati ſunt æterno exilio Catholicon, Holcot, Bricot, Michaël Modiſta, Huguitio, Græciſta, Papia, & ſimilia latinæ linguæ dehoneſtamenta, qui aliarum gentium delicias Romanâ civitate donarunt, & facinore planè Claudiano vix ullam peregrinitatem in ſemen relinqui voluerunt. Verùm literis feliciter effloreſcentibus, jam nemo illis favet, niſi qui eget Anticyrâ, vel Archigine; aut ſi qua fortè ſuperſunt Arcadici gregis pecora, quibus ſuave eſt inventis etiam frugibus βαλανοφαγεῖν. Scio Marrucinos reperiri, & Suffenos, qui ſe tum à vulgo differre putant, cum per ſolæciſmos ſalutantur; & niſi dixeris, *quî valent veſtræ Dominationes?* ruſticum, & ſupra filios Hippocratis ἀπορέγκαλιν judicabunt. Si verò quemquam, qui ſe aliquid eſſe putat, ſuo nomine compellaveris; ne exſpectes, ut domo interdicat, eumque finem gratiæ ponat; ſed præclarè tecum agi putato, ſi te non tantùm atrocis injuriæ arceſſat. Pol eos qui volunt περὶ πάντων ἔμμεναι ἄλλων, nomine proprio, aut ſingulari numero ſalutare, piaculum eſt

Quod nec Thetis omnibus undis,
Aut genitor nympharũ abluat Oceanus.
Dicas aut ſcribas alicui; *Ego ut Tute mihi præcepiſti, me ad ejus rationes adjungo, quem Tu in meis rationibus Tibi eſſe adjungendum putaſti*: Indignatio pluſquam Tragica ſequetur, & voces abrumpet ipsâ bile amariores: *Quid tu me tuiſſas: Tuiſſa famulos tuos, ego ſum & te, & omnibus tuis melior.* Hujuſmodi blanditiis obſervata latinitas excipietur. Atqui ita Cicero Lentulum Romanæ Civitatis Conſulem allocutus eſt. Quid ô ſtulte? itáne Saturni ſæcula redoles, ut neſcias alios eſſe nunc ævi mores? Latinum de foro piſcario, & Pedanticum tibi ſerva, ne cujuſquam honorem imminuas. Recantemus igitur opprobria, & doceamus Tullium mores aulicos. *Ego ut vos mihi præcepiſti, me ad ejus rationes adjungo, quem vos in meis rationibus, vobis eſſe adjungendum putaſti.* Cùm ſic loqueris, jam honeſtus homo es, & quadam tenus intelligere videris, quid honoris interſit. Sed tamen adhuc vulgaris eſt honor: augebitur aliquantum, ſi vitium augeatur. *Salveant humaniſſimæ Dominationes Veſtræ, Domine Clariſſime.* vis ad ſummum ſo urbanitatis culmen pervenire? eò te ſolæciſmorũ quadriga veluti triumphantem

tem vehet: *Salveant Clariſſimæ Dominationes Veſtræ, Clariſſime Domine, Domine.* Φεῦ τοῦ κομποφακελοῤῥήμονος! libet exclamare, καλῶς, σοφῶς, facetè, lepidè, lautè, nihil ſuprà. ὦ σιδήρεοι οἱ ταῦτα καρτερεῖτε ἀκροώμενοι! ne ipſum quidem Artotrogum, licet inſanè bene eſurientem, offa harum elegantiarum commonefecit; nam ecce Regem ſuum tuiſſat. *Cujus Tu legiones difflaviſti ſpiritu.* ſi cor habuiſſet, ita dixiſſet: *Cujus Legiones, Bellatrices Dominationes Veſtræ difflaverunt ſpiritu.* Credo, ſi hanc urbanitatem noviſſet, non epityrum, ſed *piſces, conchylia, ſumen, & cortis ſaturas, atque paludis aves* comediſſet. Quid Gnatho? qui ſe primum novi quæſtus viam inveniſſe gloriatur, Thraſonem ſuum in brevi colloquio decies, & ampliùs tuiſſat. exiſtimo hominem minùs eſuriiſſe; utpote cui probus erat color, nitor veſtitus, & habitudo corporis opima, quique omnia habebat, etiamſi nihil haberet. unicum admiror Gelaſimum, qui ſumma vi in crucem cœnâ vel prandio perduci potuiſſet, auſum fuiſſe dicere Epignomo, *Non Tu ſcis?* etiam cum potione vincea ſtatuiſſet onerare gulam, ne homines mortuum dicerent fame. At, inquiunt, olim iſti fuit generi quæſtus apud ſeculum prius; hoc novum

eſt aucupium. Sed quis in aliena lingua vobis tantùm juris dedit? fuit olim in obſervanda Latini ſermonis puritate religio tanta, ut ne quidem Cæſari, qui gentes integras Romanâ civitate donare poterat, unicum vocabulum, invitis Grammaticorum filiis, Latio donare licuerit. nos verò, ceu lege ſoluti, neſcio quas πονηρȣ͂ κόμματος ineptias, ingenuæ venuſtati ſermonis anteponimus. Si quis Auguſtum noſtri ævi elogiis ornaſſet, naſum obturaſſet ad iſtos verborum fœtores; & Tiberius meritò denunciaſſet, ne ſe ampliùs ignominiæ causâ nominarent. Quamvis Herclè, ſi Hecaten aliquam triformem, aut hominem tricorporem genere Geryonaceo, aut ἑκατοντακεφάλαν Τυφῶνα alloquerer, dicere non dubitarem, *ſalveant Veſtra Dominationes.* At honoris gratiâ multitudinis numerum uſurpant: ut unum aliquem πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων indicent, & aucto numero magnitudinem exprimant. eſto vel Polyphemus magnitudine; an propterea multus? minimè; niſi more Naſonis Catulliani: Et quis tandem in multitudinis numero honor, cùm res viliſſimas plerumq; omnes eodem efferantur? ſcopæ, nugæ, tricæ, apinæ, gerræ, tramæ, lyræ, quiſquiliæ. egregius honor, quem res nihili ſibi pro-

prium

prium vindicant: mihi profectò videtur ne quidem ἄξιος ψόφου δακτύλων. Et unde quæſo hęc ſartago loquendi venit in mores? à Principum conſuetudine, opinor. qui cum pleraque adhibito concilio ſtatuant, modeſtiæ cauſa decretis ſuis, *Nos*, appoſuerunt, ne ſuopte arbitrio omnia gerere viderentur. Arripuerunt occaſionem Simiolæ, quibus grave erat intra fortunam ſuam manere, Principumque perſonam induerunt, & ſtultiſſimâ ambitione honorem in titulis affectarunt; quos illis damus,

ut Nanum cujuſdam Atlanta vocamus.

Atque hæc origo *voſſiſſationum*. Ignoſcet Tullius ſi in rebus aliquantùm nobis verbis utar peregrinis. hic honor,

Illo nondum tempore natus erat.

Qui itaque ſtrenuè & quantùm poteſt *voſſiſſat*, mirificè loquitur, elegantiarum corculum eſt, & urbanitatis aulicæ Pater. Solus agnoſcit diſcrimen perſonarum, & quid ſit inter Cecropidem, & ex imâ plebe Quiritem,

Cujus nemo queat patriam monſtrare parentis.

Quid agat nunc miſerum *Tu*? res illi ad reſtim venit, & abeat in maximam malam crucem neceſſum eſt. aut ſaltem in exilium, niſi tueatur ſe *interdicto unde vi.*

Quod ſi non faciat, non amplius dictio habebitur, ſed ominoſa Bubonis vox, ad quam ingentes Titi continuò deſpuant. Lis erit gravior, quàm ut antè tribunal ſeptem vocalium agitetur. Patronos equidem habebit eruditos: nam in epiſtolis, etiam ad Magnates ponere non verentur homines cordati, & participes Ψυχῆς μηδὲν ἀγρεκαῖον ἐχούσης. Nec ullos offendunt, niſi quos heſterna nobilitas iſtarum obſervantiarum exactores fecit inſolentiſſimos, cùm præter titulos nihil habeant, quo illam tueantur. Ego certè Macedonibus haut urbanior, ſimplicitatem amo; nec libenter per ſolæciſmos ſalutor. Quod ſi quis facit, quaſi palo mihi pectus tundit. Sed patientiùs fero, ſi luſcitioſus ſit, aut ebrius, quibus aliquando omnia gemina videntur. Si verò contingat, ut ipſus ita loqui debeam;

Vix horis refici me puto poſſe decem.

Sed huic malo jam occurrere didici: utor enim ſermone, qui delicias ævi patitur, puta Belgico, Gallico, aut Italico. Sic & ambitioni ſatisfacio, & me nauſeâ libero. abſque hoc eſſet, ſæpe ſtarem, ut inter Simias Aſellus. Hîc ego, non poſſum, inquam, quin interpellem: Ab iis gentibus, quarum linguâ uteris ad evitandas latini ſermonis maculas, primùm

labes

labes illa fluxiſſe mihi videtur; nam paſſim cum uni loquuntur, multitudinis numerum uſurpant, niſi aut lixas, aut calones appellent, quibus ſuum *Tu* reſervant. Has elegantias ſemidocti Latio invexerunt, & bene de literis ſe mereri exiſtimarunt, ſi ejuſmodi coloribus Romanæ linguæ locupletarent egeſtatem. Atque ab eodem fonte manarunt iſta; *Salveat Dominatio ſua, Reverentia ſua, Paternitas ſua.* Non potuit ſe continere Seſtius; & exclamans, inquit; Deſinite obſecro ineptiarum, aut date mihi pelvim:

ὅταν τι τούτων τῶν λήρων ἴδω

Πλεῖν ἐνιαυτῷ πρεσβύτερος ἀπέρχομαι.

Et quis obſecro tam ſtultè patiens, ut præpoſterum hunc dictionum uſum, æquo animo ferat? At, inquies, vocabula hominibus parent, non homines vocabulis. Quis dubitat? ne Pyrrho quidem. Quidni igitur pro arbitrio utantur Herclè verò, ſed non abutantur. Dictionum uſus penes homines eſt, ut aliarum rerum omnium. Nemo negaverit liberum eſſe cuiq; ſuarum veſtium uſum: Sed ſi quis pileum, aut galeam pedibus inducat, capiti ocreas, aut calceos imponat, nunquid rideret *craſſo Vulpennius ore?* Ego Democritus non ſum: tamen

hic ſpleni imperare vix poſſem. At veſtes illas ſuo ſibi ære comparàvit? ſic eſt. ſed nullo thure litabis, ut ſanus judicetur, qui ſic abutitur. Qui ergo plus ſibi in dictiones, quam in veſtes licere putat, ad Archigenem eat, ut media vena pertundatur: ſed centum, opinor, & pluribus non efficiet cucurbitis, ut ambitioſa capita deſinant fatuari. Cùm hîc quieſcere videretur; ſuſtine, inquam ego; eſt quod opponam: ſeverè nimiùm iſtas urbanitatis formulas damnas. pares omnino reperies apud optimos latinitatis authores. Ecce Valerius Maximus, quem non contemnes, eâdem loquendi ratione ſuum laborem Tiberio commendat: *Si priſci Oratores ab Iove Opt. Max. bene orſi ſunt, ſi excellentiſſimi vates à numine aliquo principia traxerunt: mea parvitas eo juſtiùs ad favorem tuum decurrerit, &c.* Reponit Seſtius. Perge ineptiis patrocinari: egregium Herclè advocatum, qui ἐκ τῶν ἀμηχάνων πόρους εὐμηχάνους πορίζειν queat. Nemo ignorat Tiberii imperium fœdiſſimis adulationibus infame fuiſſe: ſed eas barbarie ſolitas æſtimari minus credo, quam Iovem, cum pluit, per cribrum meiere. Rectè igitur, meâ quidem ſententiâ, Lipſius ſermonem adeo ſervilem, & cellarium à Valerio ablegat, & expun-
ctis

ctis duabus vocibus, ita ſcribendum cen-
ſet; *Ego juſtiùs ad favorem tuum decurre-
ro.* Ab hoc ſermone Borlutius Cyathum
eduxit; & nihilo, inquit, deterius mihi
vinum ſapit, quamvis ſine ſolennitatibus
propinatum, Qui eas ſuperſtitiosè, &
potiſſimùm in menſâ requirit, quod
Græcórum verſus jubet,

Ἂν οἶνον αἰτῇ κονδύλους αὐτῷ δίδου
Si vina poſcat ille pugnos porrige.

Me verò tradita cum *multis dominatio-
nibus* aqua non magis oblectaret, quam
ſi quis velit poſt piſcem fatuas præbere
mariſcas. Sed iſta ſcrupuloſiùs obſervant
in quos veteris comœdiæ dictum qua-
drat,

Ὁ νῦν μὲν οὐδείς, αὔριον ὑπέρμεγας.
Qui nullus hodie, cras maximus.

Veriſſimè enim Dio, Seiani arrogantiam
fœdo ſervitii ſpectaculo auctam inceſ-
ſens affirmat, eam eſſe adſcitæ nobilitatis
indolem, ut externæ gloriæ ornamenta
ſtudiosè captet, ceu novæ dignitati ne-
ceſſaria; negata in contumeliam trahat,
quaſi per hæc fortuna deſtruatur. Et ſen-
tentiam oppidò veram multisque mihi
experimentis comprobatam adjungit;
*Οἱ μὲν γὰρ οἰκεῖα ἀξιώματι προέχοντες, οὔτε τὰ δεξιώ-
ματα παρά τινων πάνυ ἀπαιτοῦσι, κἂν ἄρα καὶ ἐκ-
λειφθῇ τι αὐτῶν, οὐκ ἐγκαλοῦσι σφίσιν, ἅτε καὶ ἑαυ-
τοῖς συνειδότες, ὅτι μὴ καταφρονοῦνται.* *Qui propriâ*

dignitate aliquâ eminent, neque ſalutationes iſtas requirunt, neque omiſſas vitio vertunt, conſcii nimirum ſibi, non hæc contemptu ſui fieri. At novi homines, & qui nummaria, heſternaque nobilitate ſuperbiunt; non tantùm in his moroſi ſunt, ſed etiam congreſſus ſuos ambitioni donant. Si quem declaratio plebi exemit, inſignia familiæ jactat, tanquam à Pico genus numeret, nihil in ſupellectile non ſignatum: omnia nobilitatem Domini loquuntur. Tignum, aut lapis labenti maceriæ injungatur; opera periit, niſi reſtauratoris inſignia oſtentent. non æquè vilis annona herbæ parietariæ. Hîc ego ſubridens, ſolenne tuum ſervas, naſcenti nobilitati parùm faves: quocumque tamen ſanguine fulgeas, vel ab ipſis Titanibus, vel προσελήνοις proavum ſumas, ut longè repetas, longéque revolvas, ad aliquem generis authorem deveniendum erit. Iſti nomen ſuum poſteritati tradent illuſtrius, quod vos accepiſtis. An propter mille annos Cethego cedet novus Arpinas? Tum Borlutius: Aliorsùm, atque ego dixi, mea verba accipis. Neque enim dubitem Syri, aut Damæ filium præferre Getulico, vel Druſo, ſi

Indigni genere, & præclaro nomine tantũ
Inſignes

vita,

vitâ, & factis gentem ſuam dedecorent. Sed eos non fero, qui ſuperbiâ ſolâ nobilem agunt; cum ipſi emerſerint, faſtidito parentum genere, in claras familias ſine adoptione tranſeunt, earumque inſignia uſurpant. Et hoc, inquam ego, veniâ dignum. trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quisque maximè gloriâ ducitur. quin, ut ait Plinius, clarorum virorum imagines mentiri, virtutis quidam amor eſt. Ergóne, inquit ille, etiam priſci familiarum imagines habuerunt? recens, & noſtri, aut ſuperioris ævi inventum opinabar. Antiquiſſimum, inquam ego; Comperior enim, non ſingulorum modo hominum, ſed gentium, atque nationum propria inſignia fuiſſe. Primi omnium Cares, ut author eſt Herodotus, ſigna clypeis inſculpſere, & galeis criſtas addiderunt. Quod etiam notat Scholiaſtes Thucydidis ad librum 1. unde Plinius; *Scutis, qualibus ad Troiam pugnatum eſt, continebantur imagines, unde & nomen habuere clypeorum, non ut perverſa Grammaticorum ſubtilitas voluit à cluendo.* nomen habuere clypeorum, ἀπὸ τοῦ γλύφειν, quod eſt *ſculpere.* Atq; inde natum, ut etiamnum figuræ inſigniorum ſcutis imprimantur. Cæterùm Lemnii torquem, Parthi arcum, Scythæ Phialam uſur-

uſurparunt. De his Herodotus lib. IV. Φιάλας ἐκ τῶν ζωστήρων φορέειν Σκύθας. *Phialas ex baltheis ferre Scythas.* De Parthis Dio libro XLIX. ubi tradit Phraatem cum Antonii legatos audiret, aureâ ſellâ conſediſſe, nervumque arcus pulſaſſe. Statius de novo Rege, ejusque inſignibus.

Sumere tunc arcus ipſumq́; onerare videtur
Patris equum.

De Lemniis expreſsè Valerius Flaccus libro II. Argonaut.

Lata mari tunc ſigna refert, plenasque movebat
Armentis, nuribusque rates: it barbara veſtis,
Et torques inſigne loci.

Romani in publicis ante Marium, variarunt. Is Aquilam ſtabilivit. Privatim verò, præter majorum imagines, quibus atria ornabant, peculiares familiæ notas ſervarunt. Cui probando nunc unicus mihi Suetonii locus ſufficiat in Caligulâ cap. XXXV. *familiarum inſignia nobiliſſimo cuique ademit, Torquato torquem, Cincinnato crinem, Cneio Pompeio ſtirpis antiquæ, Magni cognomen.* Amplius addo morem præferendi defunctis inſignia, & ea ſepulchris affigendi à Romanis hauſtum. Nam in funebri pompa non tantùm

tùm imagines majorum oſtentabant, ſed etiam clypeos ſito ponebant. Tacitus lib. II. annal. Cum Germanico cenſeretur *clypeus auro, & magnitudine inſignis inter authores eloquentiæ, aſſeruit Tiberius ſolitum, paremque cæteris dicaturum.* Hujus rei primum Authorem fuiſſe Appium Claudium tradit Plinius; *Suorum verò clypeos, in ſacro, vel publico, vel privatim dicare primus inſtituit Appius Claudius, qui Conſul cum Servilio fuit, anno urbis* CCLIX. Verum id illuſtribus familiis uſurpatum puto: Plebeios autem ſuæ artis inſtrumenta ſepulchro præfixiſſe. Sic apud Homerum Elpenor lib. XI. Odyſſ. jubet

πῆξαι ἐπὶ τύμβῳ ἐρετμὸν
Τῷ καὶ ζωὸς ἔρεσσον ἐὼν μετ' ἐμοῖς ἑτάροισιν.

ſtatui in Sepulchro remum
Quo vivus remigabam cum meis ſociis.

Et apud Virgilium de Miſeno.

At pius Æneas ingenti mole ſepulchrum
Imponit, ſuaque arma viro, remumque tubamque.

In antiquis inſcriptionibus videre eſt fabrilia inſtrumenta monumentis inſculpta, *libellam cum perpendiculo, normam, Malleum, Celten,* & ſimilia. Ad hæc Borlutius: verum eſſe intelligo, quod ex te ſæpiùs audivi, plurima nos à majoribus acce-

acceperiſſe,quæ nova videntur ignoratione vetuſtatis. Nam ſi memini nullum diſciplinæ genus aſſerebas, aut artis, cujus rudimenta, vel cultum Græcis non deberemus: Ex eorum fontibus ductos in univerſum orbem terrarum eſſe rivos ſcientiarum. Tum Seſtius: Ego huic ſententiæ, quo minus pronuncietur, intercedo: Quamvis enim ſcriptores Græcis antiquiores non habeamus, non tamen quidquid humanæ eſt Sapientiæ, protinus illis acceptum referre debemus. Apud Æthiopas, & Ægyptios primùm exortus ille Sol eſt Sapientiæ: non quod tempori eam, aut loco includi putem; ſed ut reſpectu noſtri agam. Græci quamvis diſſimulent,ab illis hauſiſſe deprehenduntur. Huc referri debent peregrinationes, quas in eas nationes diſcendi ſtudio ſuſceperunt. Atque ut de cæteris taceam, certè Plato, quem Deum Philoſophorum appellant, in Ægyptum profectus eſt, ut à Sacerdotibus inſtitueretur; eundemque Sacras quoque literas attigiſſe, & Hieremiam Prophetam audiviſſe, nonnulli exiſtimarunt, ut tradit D. Auguſtinus lib. VIII. de civitate Dei capite XI. Quam opinionem bene ſubducta ratione temporum, falſitatis ille quidem arguit: ſed non diſitetur acer-

rimi

rimi ſtudii virum ſicut Ægyptias ita ſacras literas per interpretem diſcere potuiſſe. unde Numenius dicere non eſt veritus, τί ἐστι Πλάτων ἢ Μωϋσῆς ἀττικίζων, *Quid eſt Plato, niſi Moſes atticiſſans?* Interpellavi ego, & permittis, inquam, dicere Tribune? Cumque annuiſſet; Conſtans eſt opinio, ſacros libros profanorum manibus non fuiſſe contrectatos; unde Ptolomæo ſciſcitanti, cur nulla ſacrarum literarum mentio fieret ab authoribus, reſponſum fuiſſe ajunt, divina id providentia contingere, quod ſacro reverentiæ veluti metu profanorum oculi procul arcerentur. Et verò ſi qui ἀμύητοι in illa adyta illotis, ut ajunt, pedibus irruperunt, illicò temeritatis ſuæ pœnas retulerunt: ut Theopompus, qui dementia, Theodectes, qui cæcitate flagitium expiarunt. Excepit Seſtius; non inficias eo temeritatis aliquos dediſſe pœnas, qui divina oracula flectere nitebantur ad argumenta fabularum, quibus eorum authoritas maximè potuiſſet elevari. At verò quorundam audaciæ, fortè propoſiti, ſuſceptique conſilii finis bonus impunitatem fecit. Argumento mihi eſt, unicum Phocylidis poëmation; quod ex variis divinæ ſcripturæ ſententiis eſſe concinnatum accuratiùs intuenti apparebit.

rebit. ut igitur ex multis pauca delibem, eaque prætercam, quæ ad vitæ, morumque inſtitutionem faciunt, quæq; omnibus recto judicio, & virtute præditis in mentem venire potuerunt: ea tantummodo proponam, quæ nullus unquam, niſi divina luce illuſtratus intellexit; ut nec ipſum, qui exſcripſit, intellexiſſe, ſed quod ſublime quidpiam, & veneratione plenum ineſſe crederet, verſibus expreſſiſſe, & rei novitate admirationem apud Græcos captaſſe puto. Reſurrectionem mortuorum tam clarè expreſſit, ut non Poëtam ſuperſtitioni mancipatum, ſed Religionis noſtræ præceptis imbutum loqui exiſtimares.

Καὶ τάχα δ᾽ ἐκ γαίης ἐλπίζομεν ἐς φάος ἐλθεῖν
Λείψαν ἀποιχομένων.

Et mox è terra ſperamus in lucem venturas
Reliquias mortuorum.

Et alia, quorum recondita eſt interpretatio, ſolo humani judicii ductu non eſt aſſecutus: Quale eſt illud;

Μηδέ τι θηρόβορον δαίσῃ κρέας, ἀργίποσιν δὲ
Λείψανα λεῖπε κυσίν.

Neque à ferâ guſtatam comedes carnem, velocibus autem
Reliquias linque canibus.

Confer iſta cum illo Exodi capite XXII.

viri

viri ſancti eritis mihi. Carnem quæ à beſtiis fuerit prægustata non comedetis, ſed projicietis canibus. Eadem præcipiuntur Levitici cap. VII. & cap. XVII. In quibus locis ſacræ ſcripturæ θηριάλωτον dicitur, quod Phocylides vocat θηρόβορον: Quod procul dubio à divinis libris hauſtum in ſuum Poëma tranſtulit: Nam ſi hominum ſecutus fuiſſet opinionem, contrà præcepiſſet, carnes à feris demorſas eſſe comedendas, cum vulgò ſuaviores habeantur: ut videre eſt apud Plutarchum lib. II. ſympoſ. q. IX. Iam quod multarum gentium legibus cautum fuit, ut Peregrini à Civium communione arcerentur, ne ſua in Civitatem vitia diffunderent: Contrà præcepit Dominus populo ſuo, ut omnem Peregrinis humanitatem exhiberent: Exodi cap. XXIII. & Deut. capite x. Καὶ ἀγαπήσετε τὸν προσήλυτον· προσήλυτοι γὰρ ἦτε ἐν γῇ Αἰγύπτου. *Et amabitis peregrinum. Quia & vos Advenæ fuiſtis in terrâ Ægypti.* Phocylides etiam civibus æquari vult peregrinos.

Ἔστωσαν ὁμότιμοι ἐπήλυδες ἐν πολιήταις,
Pari honore afficiantur Advenæ, inter Cives.

Et quod idem ait:

Μηδέ τις ὄρνιθας καλιῆς ἅμα πάντας ἑλέσθω·
Μητέρα δ' ἐκπρολίπῃς, ἵν' ἔχῃς πάλι τῆσδε νεοττούς.

Nec

Nec quiſquam aves ex nido ſimul omnes capiat:
Matrem verò relinquas, ut habeas iterum ejus pullos.

Sacra pagina Deuteronom. cap. XXII. *Si ambulans per viam in arbore vel in terrâ nidum avis inveneris, & matrem pullis, vel ovis deſuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, ſed abire patieris, captos tenens filios, ut bene ſit tibi, & longo vivas tempore.* Hæc, & alia ejuſdem generis, aut ex ſacris voluminibus deſumpſit, aut ſaltem ex iis authoribus, qui illa legerunt; ut Sybillis, quod Suidas exiſtimavit. Tum ego: Adducis me, ut aſſentiar, ſed quod à me dictum eſt, meo quoque ſenſu admittes, opinor; Græcos, etſi multa ipſi invenerint, & nec imitanda reliquerint, non eſſe tamen inventi laudandos nomine potiùs, quam quod diſciplinas aſperas, ac rudes excoluerint, & monumentis exactiſſimè conſignatas, ad poſteros tranſmiſerint; qui nunc alios authores non agnoſcunt, præter eos, per quos ipſi profecerunt. Et eam gratiam Romani magiſtris ſuis non inviti referunt, cùm & Philoſophiam, & omnes ingenuas diſciplinas ab iis ſe habere profitentur. Unde mirari ſubit, jam ſeneſcente quodammodò urbis gloriâ, nonnullos exti-

extitiſſe qui perfractè contenderent, Græcos à Romanis ſcientiarum cultu ſuperari. Nec minus peccare videntur, qui Romanos operam luſiſſe judicant, ubi ſe totos ad imitationem Græcorum contulerunt. Hujus generis eſt Phavorinus, qui Græcorum amore cæcus, Romanas elegantias iniqua trutina caſtigat. At Scaliger illi tanto affectu ſe opponit, ut Græcorum odium apertè gerere videatur: Adeò ut non dubitet verſum unicum Virgilii, integris Heſiodi operibus anteponere. etiam Iliadi mallet, quàm ut alicubi Virgilium agnoſceret inferiorem. At verò utrumque libidine contendi potius, quam ſtudio æquitatis, inter eminentiſſimos authores comparationem inſtituiſſe manifeſtum eſt. Iudicium exemplo confirmabo. Phavorinus igitur Virgilii locum, qui de monte Ætna factus eſt, in iis maximè cenſet eſſe, quæ videntur retractari, & corrigi debuiſſe. Is tamen, ſi recto judicio, & non Panidis ſuffragio penſitetur, juſtiùs curæ, ac diligentiæ argumentum præbere cenſeatur. At Scaliger eadem contentione Pindaricam deſcriptionem exagitat. Sed quod in utroque potiſſimùm culpatur magnis exemplis defendi poteſt. Pindarus luculentè dixit, *Ætnam ignes eructare, &*

re, & fluere amnes fumi; quando & Philoſophum, cujus caſtior eſt oratio, non abſimili modo locutum video, cum de Ætna, Lipara, & Æoli inſulis ait, αἳ δὲ ῥέουσι πολλάκις ποταμῶν δίκην. *Fluunt ſæpe fluminum ritu.* At ſi Virgilium ipſo Pindaro, qui nimis opima, pinguique facundia exiſtimatus eſt, inſolentiorem hoc quidem in loco eſſe, tumidioremque admittamus; qua nota Æſcyli audaciam diſtringemus, qui de eodem monte verba faciens in Prometheo vincto, utrumque tumidi ſermonis inſolentiâ vincit? dum ait:

ἔνθεν ἐκραγήσονταί ποτε
Ποταμοὶ πυρὸς, δάπτοντες ἀγρίαις γνάθοις
Τᾶς καλλικάρπου Σικελίας λευκὰς γύας.

Inde erumpent aliquando
Flumina ignis, vorantia feris maxillis
Frugiferæ Siciliæ alba arva.

Sed eo nomine à Comico reprehenditur in nebulis, ubi dicitur Ψόφου πλέων, ἀσύστατος, στόμφαξ, κρημνοποιός. Et Quintilianus *ſublimem* eſſe ait & *gravem*, & grandiloquum ſæpe uſque ad vitium. Dionyſius Halicarnaſſæus eum tumorem magnificentiæ tribuit, & amplitudini orationis. Quod verò Virgilius dicit *ſaxa volvi*, fando nunquam auditum ait Phavorinus, & omnium, quæ monſtra dicuntur, eſſe

eſſe monſtroſiſſimum. Monſtrum ergo, & longè quidem in Principe Philoſophorum monſtroſius erit hoc: καὶ μύδρους ἀναρρίπτουσι διαπύρους *& maſſas ſurſum ejiciunt ignitas.* At Scaliger Pindarum inceſſens ait; *Qui ſine riſu (ſapientem intelligo) cæli columnam, montem dicat? nihilo ſanè meliùs quàm in Alcorano Mahometes montes palos vocat.* Verum, quod pace maximi Viri dictum ſit, non adeo abſurdum eſt, ut montis altitudinem ſignifices, cœli columnam appellare. Nam Herodotus libro IV refert Atlantem, ob immenſam altitudinem, ab incolis cœli columnam vocari; τοῦτο κίονα οὐρανοῦ λέγουσιν οἱ ἐπιχώριοι. *Hunc* (montem) *cœli columnam appellant incolæ.* Et Dionyſius in περιηγήσει de eodem verba faciens inquit,

Ἠχί τε καὶ χάλκειος ἐς οὐρανὸν ἔδραμε κίων.

Ibi & area in cœlum excurrit columna. Uterque igitur, & Phavorinus, & Scaliger contendendi ſtudio longiùs evecti, optimis authoribus injuriam intulerunt, quorum ſcripta veneratione potius proſequi, quam ad ſui judicii examen revocare debuiſſent. Ego certè alteri me ſimilem eſſe malim, quam de utroque rectè judicare poſſe. Tum Seſtius, hoc tamen effecerunt, inquit, ut ex hac comparatione, non exiguus fructus, ſimul & voluptas

voluptas ad lectorem perveniat. Cùm enim Romani pleraq; à Græcis deſumpſerint, quid fructuoſius, aut gratius accidere poteſt literarum ſtudioſo, quàm ſi videat, ex quo fonte hauſerit is author, quem ſibi imitandum propoſuit? Atque hoc quidem longè ſuavius eſt, ubi in ea incideris loca, quæ unde tranſlata ſint, difficile eſt cognitu. Nam magnæ induſtriæ opus eſt, aliena ſic efferre, ut propria videantur. Inſpicite, obſecro, locum Ovidii libro II. artis, ubi Veneris & Martis adulterium, ac Volcani vincula deſcribitur; & cum Homeri narratione contendite, quam ad menſam Alcinoi, recreandorum convivarum ergo Demodocus inſtituit libro VIII. Odyſſeæ. Sanè mirabimur ingenioſiſſimi Poëtæ felicitatem, qui Heroici carminis majeſtatem, ad nequitiæ ſuæ ludum ita detorſit, ac fregit, ut alio verſuum genere, tam lepida fabella narrari aptiùs non potuiſſe videatur. Sed unum verſiculum ab Homeri ſenſu, hoc eſt ab ipſo decoro nonnihil recedere animadverto.

Vix precibus Neptune tuis captiva reſolvit
Vincula, Mars Creten occupat, Illa Paphum.

Apud Homerum ſolutis vinculis,

Αὐτίκ'

Αὐτίκ' ἀναΐξανθ', ὁ μὲν Θρήκηνδε βεβήκει.
Ἡ δ' ἄρα κύπρον ἵκανε φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
Ἐς Πάφον.

Continuo exſurgunt ambo; Threcenque petivit
Mars: Cytheræa Cypro Paphias attingere ſedes
Feſtinat.

Itaq; Ovidii verſiculum emendare liceat.

Mars Threcen occupat, illa Paphon.

Nam Thraciam Poëtæ Marti velut propriam dicarunt. unde Euripides in Hecuba vocat Thraces, Ἀρεϊκάτοχον γένος. At verò

Creta Iovis magni medio jacet inſula ponto.

Quam Mars nec vi, nec clàm, nec precariò unquam poſſidere potuit. Suborto per iſta ſilentio Seſtius, Quid hoc rerum eſt? inquit. num excidit animo, quod jam nunc profeſſi eſtis, huc veniſſe vos, ut lepidè eſſet, non victibus, & vino, ſed fabulis? Quod mihi quoque volenti fuit, quia minore diſpendio eſcas auribus exhibeo. At vobis nunc & lingua, & aures otiantur, Heus Puer, ingere mî calices capaciores; ut quod in vetere dicto eſt:

Οἴνου κατιόντος ἐπιπλέουσιν λόγοι,

Vino affluente orationes adnatent.

Accepto dein ſcypho, tergumque mihi perfunctorio ictum pulſans; bibamus,

pergræcemur, inquit. Excipit Borlutius; Hoc quidem pacto græcari malim, quàm ex diſciplina Caſtellani; in quam ſi me dediſſem, pro nitido, & bene curato Chærephonti ſimilem haberetis, & jam per medium annulum trahere poſſetis. Olim iſtud erat; inquam ego. Nunc ſperes meliora licet; alias uſus nunc extrudit artes. Nihil obſtat, quin eſſe fungineo genere credas eruditos, unaque pluviâ procreari. Non opus Cleanthis lucerna, aut Demoſthenis, ad quam octies manu ſua Thucydidis opera deſcripſit. ne quidem inſpicienda erunt, ſi me audis, & tamen inter doctos cenſeberis, & à prætereuntium turba ſalutaberis. Teii Senis lucerna ſufficiet, aut ad quam lucubravit Cor Enni,

Poſtquam deſtertuit eſſe
Mœonides quintus Pavone ex Pythagoræo.

Aut ad quam clamavit Horatius ohè. Hi dum ſuave potabant vinum, majori pollebant facundia, quàm ſi totum Caballinum fontem exhauſiſſent. Ad hunc igitur modum oſtendam, quomodo citra ſementem, ut aiunt, & arationem, καθάπερ ἐπὶ τοῦ Κρόνου, omnem eruditionis meſſem colligere poſſis. Tum ille, vultu lætitiam referente, Euge, inquit, diſcipulum

lum habes. Adverte animum, inquam. Hæc, licet arcana, tam bonos amicos non celabo; nec ſtipulabor, ut ne eliminent. Quemadmodum Heſiodus vitæ, ita ego duas eruditionis vias ſtatuo. Alteram confragoſam, aſperam ſentibus, horridam, omnibus denique moleſtiis effertam. lenem alteram, gratam, floribus amœnam, atq; omnibus deliciis affluentem. Illam inierunt Μεριμνοφροντισαὶ ὠχριῶντες, homines illepidi, tenebriones obſtipi, & neſcio qui laboris alumni, qui ſe cubitis emungebant. Et ipſe quoque per eam longiùs inceſſi, deceptus à Poëta neſcio quo, qui affirmat ἐκ τῶν πόνων φύεται τὰ ἀγαθά. Poſteriorem ingreſſi ſunt venuſti, & callidi, quique ſalem habent, quem in Thraſone prædicat Gnatho. Porrò ne, quam incedere præſtet, hæreatis, dux ego veſter ero. Quiſquis igitur doctus haberi voles, in primis vultum ad gravitatem componas, fronte incedas obductâ, & ſeriâ, ceu Nævolus, aut Ravola. Cave tamen faciem exprimas Phœbi, quam deſcribit Martialis; aut etiam Veſpaſiani, qui ventrem exonerare non deſinebat: Nimis enim eſt opportuna jocis dicaculorum. Sed uno verbo, fiat quod in Græcorum eſt proverbio, τὰ καλὰ ἔξω Fac videare nõ vulgaris ſortis, inſtar eorum,

qui ἀφυρης κάρπον ἔδωσι. per plateas Sybarita eſto; aut ita ſaltem incede, quaſi Iunonis ſacra ferres, aut Iovis ſandalium calcares. Si qui ſint famâ doctrinæ apud omnes clari, his te adjungas, hos conſectеris, eorum lateri adhæreas. Nemo enim ſuſpicari poterit aliud, quam ſtudiorum ſimilitudine natam eſſe ejuſmodi familiaritatem; etiamſi carò tibi conſtiterit. & quis unquam vidit cum Aquilis volantes Anſeres, aut Graculos? Eorum laudes ubique pleno ore decantes. Extorquebis forte, ut te & ipſi laudent, ut fiat mutua muli: aut ſaltem ut te alibi paratragædiantem, patienter ferant. Quandoque tamen, ut mea fert ſententia, tuum ordinem melius gravitate ſilentii tueberis. Nam inter doctos multa loqui periculoſum; ſolent illi corniculam nudare; & mimo perſonam detrahere, ſi nimium inſoleſcat. Itaque ſi fors in aliquos incideris, quorũ nimis emunctæ, & uncæ, tibi nares videbuntur, eos tanquam Οἰταίους δαίμονας cave, & memor eſto gloſſæ ad diſtinct. XII. c. XIII. *ut cantes cum Clericis, & dicas amen.* Aſt ubi imperitos nactus fueris, hîc te jubeo anteactæ taciturnitatis exigere fœnus. Omnibus omnia videare; Rhetor, Architectus, Muſicus, Geometres, Pictor, Aliptes.

tes. Deinde cum occaſio feret (feret autem, quando voles) baſilica facinora inceptes loqui. Tum enim maximè adlaborandum, ne ſummâ in linguâ puſtula naſcatur, aut tenuem texens ſubtilis aranea telâ, otioſo in ore opus faciat. Bombylius eſto: nec ullam loquendi anſam demitte quamcumque de quocumque: Ipſi licet Thraſybulo ſimilem dicas eſſe Dionyſium. Si nulla loquendi cauſa offeratur, tamen accipe nullam. Alcinoi narra apologum; aut etiam, μὰ δία, aſini mortes; ϗ ὡς ἡ Λαμί ἁλῦς' ἐπέρδετο. Neque enim minima eruditionis portio eſt, vulgò θρασὺν, ϗ εὔγλωττον videri. Quod ſi cui factioſo videaris ultra peram ſapere, ſi quis perſonam detrahere conetur; tunc ſi unquam ſupercilium aſſumatur Διὸς νεφεληγερέταο. Et in promptu ſint authores, quos laudes; ſed abſtruſi, & tantum blattis noti: Sic qui te reprehendet, ipſius ignorantiæ arguetur, & auriculas demittet, ut iniquæ ſortis aſellus. Tantum κυνοθρασὴς adſit frons, ϗ θυμὸς ἐπλαβόςος. Nam ſi queas ſtrenuè θρασυστομεῖν, quidquid effutiveris ἐκ διὸς δέλτων erit. verborum ſtructuram obſervare puerile eſt; prout ſe offerunt, effundantur. Si à communi omnium opinione recedere, tuamque ſtrenuè tueri queas, palmariū erit. Quid-

quid alius dixerit in promptu ſit tibi, παῦε, παῦε οὐδὲν λέγεις. omnem viciſſitudinem ſermonis, quantum potes, exclude. nec contentiones ſubire pigeat.

Ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἥκει.

Multa ſæpe in communi ſermone concurrunt, de quibus dicere licet, σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν ἐμοὶ δὲ τάδε· abjecti credas hoc eſſe animi. Tu quidquid alius laudaverit, protinus culpa; quidquid culpaverit, lauda, & potius quàm ulli cedas, ex cloaca arcem facias. Quid enim ad gravitatis opinionem, famamque cenſorii ſupercilii aucupandam accommodatius, quam περὶ πάντα ἀντιτυπεῖν; At ſi tam faventes habeas gratias, ut ſuaviter, & velut ex ſublimi, dicta aliorum irridere poſſis; tum Rege Tragico altior incedas licet. Verum ut Græcè doctus quoque videaris, hoc aſſequeris, ſi frequenter in Bibliopolarũ tabernis conſpiciare, Græcos codices manu tractans, & tanquam empturiens inſpicias. Domi inſuper habeas libros aliquot, in menſa ſtratos, purè Græcos, & ſine Latina interpretatione, ita paratos, ut quisquis te inviſerit, in eos quaſi fortuitò incidiſſe videatur. Tum quaſi per tranſennam dices, *hoc vel illud legebam, epiſtolam meditabar*, & ſi quæ ſint ejuſmodi, quæ ignari tuæ ſupellectilis ad-

lis admirentur. Sed memento, quotidiè pulverem detergas; alioquin energumenus habearis; id eſt, ut interpretatur *gloſſa diſt.* XXIII. c. XVII. *exorciſta, in opere deficiens.* Lexica verò longiùs removeantur, ne eorum opera te egere quiſpiam opinetur. Nec dubites de quocumque authore ferre ſententiam: ut de omnibus judices tuo judicio mereare: Hic bene ſcribit, ille male, hic obſcurus, ille nitidus, hic in Attica dialecto excellit, ille in Dorica: acris, & nervoſa eſt Æſchinis oratio: ſed Demoſthenis plus habet majeſtatis, & ſic in reliquis. Quare ſuaſerim docti viri judicium expiſcandum, memoriæque infigendum: ad quod arrepta occaſione perpetuò recurras, tanquam anus ad armillam: ſic tamen ut eum, à quo didiceris, in tranſcurſu perſtringas, ne te docuiſſe exiſtimetur. Opinionem doctrinæ augebis, ſi verba habeas aliquot βόεια, ὀφρῦς ἔχοντα, καὶ λόφους, quæ tibi ſumma ſemper natent in lingua: monerem ſpecioſius merè Attica proferri, & τετῆίγων μέστα loqui: ſed laborioſum eſt, & Græcæ linguæ non mediocriter peritis convenit. In Latinis verò haut parùm profuerit, verba à communi uſu remota conquirere, & cinctutis vix exaudita Cethegis. Præclarius erit, ſi ab Evandri pe-

tantur nutrice, aut etiam à Faunis, & Aboriginibus, & quæ præter Sybillam nemo intelligat. Nihil híc attinet monere plauſores, & Sophocleas eſſe parandos, præſertim ubi plures adfuerint, qui ad eorum exemplum te poſſint, ceu Comici teſtes, admirari. Quoſcumque facilè pellicies dubiâ cœnâ, magnificentiæ apparatu, aliisque τῆς ἀλαζονείας artibus, in quibus oportet callidè σκηνίζειν. Inter loquendum videſis omnes vocalitate ſuperes, quantùm tuba fiſtulam, cicadæ apes: denique unus laboranti poſſis ſuccurrere lunæ. Alios ne attende quidem. Incus maxima non debet metuere ſtrepitum. Sic veluti in poſſeſſionem tuam veniens tandem evinces, ut in omni congreſſu, tua ſententia obtineat, & reliquis potior habeatur: ut probatur ex Accurſio C. *Qui potiores in pignore. L. Aſſiduus* XII. *in verbo, mulierum:* quo loco proditum eſt mulieres in Hypothetica actione potiores eſſe: adeo ut novæ illarum Hypothecæ vetuſtioribus aliorum præferantur. & rationem reddit non aliam, quàm *quia fœminæ ſemper clamant: ut probatur, inquit, de Calphurniâ, D. De poſtliminio, L. I. §. Sexum.* Maluiſsẽ tamen ibi loco Calphurniæ, poſuiſſet C. Afraniam, *quæ in uſitatis foro latratibus, aſſi-*

duè

duè tribunalia exercendo, muliebris calumniæ notiſſimum evaſit exemplum. Plura jam non addo. cætera privatæ inſtitutioni reſervo; cujus finem pono, ut fama dextrè captetur. unum modo eſt, quod me magnoperè movet, & in quo aqua hæret; quod nempe fucus ætatem non ferat: Hic clamat Tullius; *ficta omnia tanquam floſculi decidunt, nec ſimulatum quidquam poteſt eſſe diuturnum.* Illinc rigidus è Stoa Sapiens: *Ficta citò in naturam ſuam recidunt: quibus veritas ſubeſt, quæque, ut ita dicam, ex ſolido naſcuntur, tempore ipſo in maius meliusq; procedunt.* Et Tacitus: *ficta tempore vaneſcunt, veritas viſu ac morâ invaleſcit.* Quod ſi quis tam bono ſit ſtomacho, ut ejuſmodi periculi metum devoret, ac concoquat.

Præceptis plus habet ille meis:

Et tanquam ἐν κίῳ ἀληλεσμένῳ ſecura otia ducere poteſt: omnia enim muſarum beneficia dormienti offerentur. Cumque facto hîc fine quieſcerem; Papæ! inquit Borlutius, quantâ moleſtiâ me liberaſti; poſthac tuo conſilio utar, & in utrumque oculum dormiam, ſi ſic Heſiodi ſomnia contingunt: & ut ille ex ovium Paſtore Poëta cultiſſimus, ita quilibet ex imperito, & rudi, ſomniando repentè doctiſſimus evadit. Non tantùm ſperes

 ab ipſo

ab ipſo *dormire ſecurè.* Atque adeò miror adhuc ſupereſſe rupices, qui (Fulgentii verbis utar) *dùm laudem quærunt nominis, fragumen reperiunt capitis.* At, inquam ego, maxima pars hodie defecatioris ingenii eſt; & relicto laborũ calle, ad commendationem nominis ſui graſſantur hac ſemita, quæ tamen ignota eſt, quia ex alto diſſimulant; in quo præcipua cautio eſt. *Doli enim non ſunt doli, niſi aſtu colas.* Cæterum via, quam ærumnoſi Solones iniverunt, proſus eſt ἀκανθώδης: In quam

μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο Βάττε,

& ſic te compara, ut ſolis affixus libris ætatem rabioſa ſilentia rodas; noctes patiare lugentis amicum Peleidæ; nec videas oculis ὕπνον illum πανδαμάτορα, omnibus careas voluptatibus, nefas eſſe putes, potitare, commiſſari, ludere: quod tamen legibus permiſſum eſt, ſecundum gloſſam, *L.* 11. *D. Quarum rerum non datur actio* in verbo; *ſi alea. Ludi,* inquit, *non omnes vetiti, veluti ludus honeſtè convivandi, ut ad unum Caponem.* Nota hanc gloſſam valde eſſe magiſtralem, & obtinere in praxi. At parùm fuerit voluptatibus privari, modo integra ſanitate, triſtem illam, laborioſamque vitam tranſigere licet. Quot morbis obnoxia redditur!

tur! dicas Pandoræ pyxidem huc effuſam. Nam crebra meditatio conſumptis ſpiritibus, habitum corporis perfrigerat, & coctionem impedit, atque hinc orta cruditas corporis partes omnes inficit, & tandem καχεξία præceps exitium accelerat. Si mentiar date mihi literatum hominem, qui ſanus vitam longè produxerit. Atque adeo demiror Heſiodi Senectam proverbio locum feciſſe: niſi quod è cohorte ſit Poëtarum, qui ſtrenuè operam dare ſolent, ne anima humido deſtituatur, quod in primis curandum eſt, ſecundum gloſſam, *c.* IX. *Moyſes tradidit*, XXXII. *q.* II. ad verba: *Anima certè quia ſpiritus eſt in ſicco habitare non poteſt. Et eſt*, inquit, *argumentum pro Normannis, Anglicis, & Polonis, ut poſſint fortiter bibere, ne anima habitet in ſicco.* Additio. *Veriſimile eſt gloſſatorem ignoraſſe naturam Belgarum.* Et quamvis apud Ariſtophanem φιλοποσία χρήστων ἀνδρῶν νόσος appelletur; Tamen qui ſtudiis operam dant, averſari debent, & illud μαλαγχολῶντος Philoſophi inter κυρίας δόξας recipere; ξηρὴ αὐγὴ, Ψυχὴ σοφωτάτη, *ſiccus ſplendor mens ſapientiſſima.* Deinde non ſatis eſt, tuliſſe tædia Romanæ linguæ: Grammaticorum judicio nullus es, ſi græcè ignoras. At Græcorum diſciplinæ præter moleſtias

reliquis communes, etiam peculiares habet. Inde Poëta veriſſimè eorum πολύστονα βιβλία, id eſt, *libros ærumnoſos, & gemitibus effertos* appellat. Idque illum meritò dixiſſe oſtendã. Græcæ eruditionis ſummam unde ſumendam exiſtimatis? ab Homero nempe, quem omnis & doctrinæ, & eloquentiæ parentem fatemur. Agite, videte jam, quàm multa horrenda, nec gemitu modo, ſed etiam lachrymis proſequenda in ipſo ſtatim limine occurrant. Pauliſper expendamus quinque primos Iliados verſus:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος,
Iram cane dea Pelidæ, Achillis.

Ab irâ incipit, quâ neque tetrior eſt, neque magis ferinus affectus humanos animos exercet; ut meritò huic verſui talos effregerit Ariſtarchus, unde etiamnum claudicat & titubat. Secundus οὐλομένην, *pernicioſam*; neque enim ſatis erat iram perpeti, niſi etiam pernicies ſequeretur: quam non ſimpliciter infert, ſed cum ingenti cruciatu, quaſi ad exemplum Cajanæ ſævitiæ ita pereundum ſit miſeris, *ut ſentiant ſe mori.* Sed neque hic ſubſiſtit dira crudelitas, quæ ubi in animas non videt ſibi amplius licere, quam ut *ad orcum demittat*, in ipſa corpora graſſatur impotentiùs, eaque avibus, feris, canibus dila-

dilaceranda projicit. & tandem ne ulla ſalutis ſpes appareat, implacabilem Iovis iram denunciat. Quis ergo neget Græcarum literarum ſtudium luctuoſum meritò dici, & πολύστονον, quod à formidoloſo, & dirarum pleno exordio auſpicamur, cuique omnium malorum acerbitates irati Iovis decreto obveniunt? Iam verò cum multas noctes inſomnes, dies egeris ærumnoſos, non aſportabis Helenam, ut Paris; Nec cum Achivis Priameia Pergama invades, gazamque Trojanam diripies, ac tandem mactus opibus domum redibis: ſed vel re infectâ, ſtudio confectus occumbes: vel ſaltē quæ ſumma poteſt eſſe votorum, cum Ulyſſe, aut Græcæ eruditionis parente Homero mendicare cogeris. Studeant igitur ἔοικε κοχόλωπε Σαρζάπις, id eſt, quibus fame moriendum eſt. Nihilo enim plus facit hoc ſtudium πρὸς τ' ἄλφιτα, id eſt *ad panem lucrandum*, quam Camelus ad Hiſtrionicam. Quod etiam Iuvenalem opinor intellexiſſe, cui Græculus eſuriens appellatur; quia nullos videre eſt jejunioſiores, neque magis effertos fame. Sagax aliquis, cuique acetum ſit cor acre in pectore, ſubodororari hoc ipſum in grammatices exordio poſſet. Si caſus enim numeret, ablativum non reperiet; ex quo fas

fuit Tiberius. Nam ut author eſt Suetonius cap. LXXI. monopolium nominaturus priùs, veniã poſtulavit, quod ſibi verbo peregrino, utendum eſſet. Atq; etiam in quodam decreto Patrum cum ἔμβλημα recitaretur, commutandam cenſuit vocẽ, & pro peregrina Romanam requirendã, aut ſi nõ reperiretur, vel pluribus, vel per ambitum verborum rem enunciandam. Decreta Latinè interponi debuiſſe conſtat *Ex L.* XLVIII. *D. De re judicatâ.* Perrupit tamen græciſſandi Libido, atque ipſas quoque Matronas corripuit; quas non tantũ loqui, ſed etiam concumbere Græcè Iuvenalis indignatur. Sic populus Romanus cum linguâ, etiã mores Græcorum accepit, majeſtatemq; armis partam & paſtoriã illo cultu literarum enervavit. Prudenter itaque Scytha, captis Athenis libros cremari vetuit, & Græculis eſſe relinquendos cenſuit: ut iis occupati rem militarẽ negligerent, atque adeò ſuperari facile poſſent. Nã verò Honeſtius Rhetore Philoſophi nomen? hoc eſt, meliorne Attabas an Numenius? Imò quicumq;, qui ſunt, qui fuerunt, quiq́, futuri ſunt poſthac, ſtulti, ſtolidi, fatui, fungi, Bardi, Blenni, buccones, Philoſophus omnes longè anteit ſtultitiâ, & indoctis moribus. Quem ſi jubeas dicere de iis rebus,

bus, quæ indies tractantur, quæque ſunt *pro roſtris*, id eſt, ut Accurſius explicat *L.* 11. §. IV. *D. De origine juris, ante oculos & ora hominũ*, titubat, ſtupet, caligat, quaſi Volucris implicata viſco, quaſi ad Solem veſpertilio: riſumque de ſe præbet laſcivis pueris, ſic ut ab iis, aut etiam à petulanti Nonariâ, ſeſquipedalem ſuam barbam defendere baculo non poſſit. Atque hæc Philoſophâ nobilitate concoquere, illis glorioſum. Audite è porticu Senem: φιλοσοφίας ἐπιθυμεῖς; παρασκευάζου αὐτόθεν ματαγελαθησόμενος, καὶ καταμωκησαμένων σου πολλῶν· *Philoſophus eſſe vis? ſtatim te para quaſi futurum ſit, ut deridearis, & multi te ſubſannent.* & niſi ejuſmodi moribus præditi fuerint ſtatim audient φιλόσοφοι μέχρι τοῦ λέγειν, ἄνευ πράττειν. Quare non eſt quod miremur, eos ab omnibus rideri, non magis quam ſi quem videamus εἰς τὴν ἀμίδα οὐρεῖν. Nam tanta eorum eſt ruſticitas, ut meritò delicata Troſſulorum cohors, ambroſiâ, & nectare enutrita commerciũ averſetur: à menſa ſua arceat, & Hymettio ore in Dionyſii agrum ruſticiſſimos homines ableget: ut ibi pro meritis accipiantur. Neque enim Homines tam ruſtici lautorũ menſis conveniunt. Debent enim tales *comedere panem groſſum, caſeũ, cæpe, fabas: non panem album, nec pullos:* utte-

tantur nutrice, aut etiam à Faunis, & Aboriginibus, & quæ præter Sybillam nemo intelligat. Nihil hîc attinet monere plauſores, & Sophocleas eſſe parandos, præſertim ubi plures adfuerint, qui ad eorum exemplum te poſſint, ceu Comici teſtes, admirari. Quoſcumque facilè pellicies dubiâ cœnâ, magnificentiæ apparatu, aliisque τῆς ἀλαζονείας artibus, in quibus oportet callidè σκελίζειν. Inter loquendum videſis omnes vocalitate ſuperes, quantùm tuba fiſtulam, cicadæ apes: denique unus laboranti poſſis ſuccurrere lunæ. Alios ne attende quidem. Incus maxima non debet metuere ſtrepitum. Sic veluti in poſſeſſionem tuam veniens tandem evinces, ut in omni congreſſu, tua ſententia obtineat, & reliquis potior habeatur: ut probatur ex Accurſio C. *Qui potiores in pignore. L. Aſſiduus* XII. *in verbo, mulierum:* quo loco proditum eſt mulieres in Hypothetica actione potiores eſſe: adeo ut novæ illarum Hypothecæ vetuſtioribus aliorum præferantur. & rationem reddit non aliam, quàm *quia fœminæ ſemper clamant: ut probatur, inquit, de Calphurniâ, D. De poſtliminio, L. 1. §. Sexum.* Maluiſsē tamen ibi loco Calphurniæ, poſuiſſet C. Afraniam, *quæ in uſitatis foro latratibus, aſſiduè*

duè tribunalia exercendo, muliebris calumniæ notiſſimum evaſit exemplum. Plura jam non addo. cætera privatæ inſtitutioni reſervo; cujus finem pono, ut fama dextrè captetur. unum modo eſt, quod me magnoperè movet, & in quo aqua hæret; quod nempe fucus ætatem non ferat: Hic clamat Tullius; *ficta omnia tanquam floſculi decidunt, nec ſimulatum quidquam poteſt eſſe diuturnum*. Illinc rigidus è Stoa Sapiens: *Ficta citò in naturam ſuam recidunt: quibus veritas ſubeſt, quæque, ut ita dicam, ex ſolido naſcuntur, tempore ipſo in maius meliusq; procedunt*. Et Tacitus: *ficta tempore vaneſcunt, veritas viſu ac morâ invaleſcit*. Quod ſi quis tam bono ſit ſtomacho, ut ejuſmodi periculi metum devoret, ac concoquat.

Præceptis plus habet ille meis:

Et tanquam ἐν βίῳ ἀληλεσμένῳ ſecura otia ducere poteſt: omnia enim muſarum beneficia dormienti offerentur. Cumque facto hîc fine quieſcerem; Papæ! inquit Borlutius, quantâ moleſtiâ me liberaſti; poſthac tuo conſilio utar, & in utrumque oculum dormiam, ſi ſic Heſiodi ſomnia contingunt: & ut ille ex ovium Paſtore Poëta cultiſſimus, ita quilibet ex imperito, & rudi, ſomniando repentè doctiſſimus evadit. Non tantùm ſperes

ab ipſo *dormire ſecurè*. Atque adeò miror adhuc ſupereſſe rupices, qui (Fulgentii verbis utar) *dùm laudem quærunt nominis, fragumen reperiunt capitis*. At, inquam ego, maxima pars hodie defecatioris ingenii eſt; & relicto laborũ calle, ad commendationem nominis ſui graſſantur hac ſemita, quæ tamen ignota eſt, quia ex alto diſſimulant; in quo præcipua cautio eſt. *Doli enim non ſunt doli, niſi aſtu colas.* Cæterum via, quam ærumnoſi Solones iniverunt, proſus eſt ἀκανθώδης: In quam

μὴ ἀνάλιπτος ἔρχεο Βάτιε,

& ſic te compara, ut ſolis affixus libris ætatem rabioſa ſilentia rodas: noctes patiare lugentis amicum Peleidæ; nec videas oculis ὕπνον illum πανδαμάτορα, omnibus careas voluptatibus, nefas eſſe putes, potitare, commiſſari, ludere: quod tamen legibus permiſſum eſt, ſecundum gloſſam, *L.* 11. *D. Quarum rerum non datur actio* in verbo, *ſi alea. Ludi*, inquit, *non omnes vetiti, veluti ludus honeſtè convivandi, ut ad unum Caponem.* Nota hanc gloſſam valde eſſe magiſtralem, & obtinere in praxi. At parùm fuerit voluptatibus privari, modo integra ſanitate, triſtem illam, laborioſamque vitam tranſigere licet. Quot morbis obnoxia redditur!

tur! dicas Pandoræ pyxidem huc effuſam. Nam crebra meditatio conſumptis ſpiritibus, habitum corporis perfrigerat, & coctionem impedit, atque hinc orta cruditas corporis partes omnes inficit, & tandem καχεξία præceps exitium accelerat. Si mentiar date mihi literatum hominem, qui ſanus vitam longè produxerit. Atque adeo demiror Heſiodi Senectam proverbio locum feciſſe: niſi quod è cohorte ſit Poëtarum, qui ſtrenuè operam dare ſolent, ne anima humido deſtituatur, quod in primis curandum eſt, ſecundum gloſſam, *c.* IX. *Moyſes tradidit,* XXXII. *q.* II. ad verba: *Anima certè quia ſpiritus eſt in ſicco habitare non poteſt. Et eſt,* inquit, *argumentum pro Normannis, Anglicis, & Polonis, ut poſſint fortiter bibere, ne anima habitet in ſicco.* Additio. *Veriſimile eſt gloſſatorem ignoraſſe naturam Belgarum.* Et quamvis apud Ariſtophanem φιλοποσία χρηστῶν ἀνδρῶν νόσος appelletur; Tamen qui ſtudiis operam dant, averſari debent, & illud μελαγχολῶντος Philoſophi inter κυρίας δόξας recipere; ξηρὴ αὐγὴ, Ψυχὴ σοφωτάτη, *ſiccus ſplendor mens ſapientiſſima.* Deinde non ſatis eſt, tuliſſe tædia Romanæ linguæ: Grammaticorum judicio nullus es, ſi græcè ignoras. At Græcorum diſciplinæ præter moleſtias

reliquis communes, etiam peculiares habet. Inde Poëta veriſſimè eorum πολύστονα βιβλία, id eſt, *libros ærumnoſos, & gemitibus effertos* appellat. Idque illum meritò dixiſſe oſtendā. Græcæ eruditionis ſummam unde ſumendam exiſtimatis? ab Homero nempe, quem omnis & doctrinæ, & eloquentiæ parentem fatemur. Agite, videte jam, quàm multa horrenda, nec gemitu modo, ſed etiam lachrymis proſequenda in ipſo ſtatim limine occurrant. Pauliſper expendamus quinque primos Iliados verſus:

Μῆνιν ἄειδε θεὰ Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος,
Iram cane dea Pelidæ, Achillis.

Ab irâ incipit, quâ neque tetrior eſt, neque magis ferinus affectus humanos animos exercet; ut meritò huic verſui talos effregerit Ariſtarchus, unde etiamnum claudicat & titubat. Secundus οὐλομένην, *pernicioſam*; neque enim ſatis erat iram perpeti, niſi etiam pernicies ſequeretur: quam non ſimpliciter infert, ſed cum ingenti cruciatu, quaſi ad exemplum Cajanæ ſævitiæ ita pereundum ſit miſeris, *ut ſentiant ſe mori.* Sed neque hic ſubſiſtit dira crudelitas, quæ ubi in animas non videt ſibi amplius licere, quam ut *ad orcum demittat,* in ipſa corpora graſſatur impotentiùs, eaque avibus, feris, canibus dila-

dilaceranda projicit. & tandem ne ulla ſalutis ſpes appareat, implacabilem Iovis iram denunciat. Quis ergo neget Græcarum literarum ſtudium luctuoſum meritò dici, & πολύστονον. quod à formidoloſo, & dirarum pleno exordio auſpicamur, cuique omnium malorum acerbitates irati Iovis decreto obveniunt? Iam verò cum multas noctes inſomnes, dies egeris ærumnoſos, non aſportabis Helenam, ut Paris; Nec cum Achivis Priameia Pergama invades, gazamque Trojanam diripies, ac tandem mactus opibus domum redibis: ſed vel re infectâ, ſtudio confectus occumbes: vel ſaltē quæ ſumma poteſt eſſe votorum, cum Ulyſſe, aut Græcæ eruditionis parente Homero mendicare cogeris. Studeant igitur ὅσοις κεχόλωτε Σαράπις, id eſt, quibus fame moriendum eſt. Nihilo enim plus facit hoc ſtudium πρὸς τ' ἄλφιτα, id eſt *ad panem lucrandum*, quam Camelus ad Hiſtrionicam. Quod etiam Iuvenalem opinor intellexiſſe, cui Græculus eſuriens appellatur; quia nullos videre eſt jejunioſiores, neque magis efferatos fame. Sagax aliquis, cuique acetum ſit cor acre in pectore, ſubodororari hoc ipſum in grammatices exordio poſſet. Si caſus enim numeret, ablativum non reperiet; ex quo

fas

ſas eſt colligere hæc ſtudia nihil auferre præmii. Liberaliores in numeris ſunt Græci, quaſi ſignificare velit, *nos numerus ſumus*. Nam numerũ Deum, monetæ ſodalem, ne quidem de facie noverunt. Cuivis enim patet, quam exigua utilitas è ſtudio literarum: Atque adeo quamvis honeſtũ foret, non ideò tamen amplectendum judicarent Peripatetici, qui honeſtũ ab utilis ſocietate divellendum nõ eſſe putant, quidquid obnuncient rigidi illi Satellites æqui, à Cynicis tunica tantùm diſtantes. Quid ſi nec honeſtũ ſit? Quiſquis literis operam dat, aut in Grammaticũ, aut Rhetorem, aut Philoſophũ evadet. Grammatici nomen vilius modò eſt, quam Lanionis, aut Pellionis. Iampridem illud ſuperciliosi milites Callimachi, in ludum trivialem, tanquam in piſtrinũ, detruſerunt. Et quamvis aliquid ſit inter Antigenidẽ, & monumentariũ ſiticinem, inter Grammaticum & Grammatiſtam, literatum & literiſtam: rumpas tamen tenſum cerebrum, utriusque linguæ ſis peritiſſimus, omnium ſcriptorum genus excutias, atq; enarres, ſis quidquid Ariſtarchus, & Didymus; bellè tecum agi putato, ſi Calliphanes aliquis, moto ſuaviter capite, & labello veluti faſtidiente, hoc tibi elogiũ obmurmuret, *Bonus eſt literiſta*. Ad Rhetorem

torem veniamus. Rhetoricem Athænæus definit artem fallendi. Nam ut Mangones colorem fuco, & verum robur inani ſaginâ mentiuntur: Ita Rhetor verborũ ambagibus fallacias tegit, & veritati tenebras offundit. Plato artem ait eſſe, cujus ſit κεφάλαιον κολακεία: Præterea cenſet Rhetoricem id animo prę∫tare, quod Culinaria corpori. ait enim in Gorgia ἀντίστροφον εἶναι ὀψοποιίας ἐν ψυχῇ, ὡς ἐκεῖνο ἐν σώματι, *mutuò reſpondere Culinariæ, in animo quidem, ut illa in corpore.* Rara profectò laus in unum oratorem concurrere, Mangonis, Adulatoris, & Coqui dignitatẽ. Prope exciderat commemorare quam pernicioſa Reipub. ſit ars dicendi; præſertim Græcorũ; qui perdito ſuæ Reipub. ſtatu etiam in Romanos cladem derivarunt. Idque Sapientiſſimus Cato prædixerat: Cujus verba habemus apud Plinium lib. XIX. cap. I. *Dicam de iſtis Græcis ſuo loco, Marce fili; & quod bonum ſit eorum literas inſpicere, non perdiſcere. Vincã nequiſſimũ, & indocile genus eorum: & hoc puta vatẽ dixiſſe, quandocunque iſta gens literas ſuas dabit, omnia corrumpet.* Eventus vaticiniũ comprobavit. Quamvis ut hæc calamitas averteretur S.C. cautum fuit, ne quis Romæ oraret Græcè. Quin verbum unum Græcè proferre ſine præfatione veniæ nõ

fuit

fuit Tiberius. Nam ut author eſt Suetonius cap. LXXI. monopolium nominaturus priùs, veniã poſtulavit, quod ſibi verbo peregrino, utendum eſſet. Atq; etiam in quodam decreto Patrum cum ἔμβλημα recitaretur, commutandam cenſuit vocẽ, & pro peregrina Romanam requirendã, aut ſi nõ reperiretur, vel pluribus, vel per ambitum verbòrum rem enunciandam. Decreta Latinè interponi debuiſſe conſtat *Ex L.* XLVIII. *D. De re judicatâ.* Perrupit tamen græciſſandi Libido, atque ipſas quoque Matronas corripuit; quas non tantũ loqui, ſed etiam concumbere Græcè Iuvenalis indignatur. Sic populus Romanus cum linguâ, etiã mores Græcorum accepit, majeſtatemq; armis partam & paſtoriã illo cultu literarum enervavit. Prudenter itaque Scytha, captis Athenis libros cremari vetuit, & Græculis eſſe relinquendos cenſuit: ut iis occupati rem militarẽ negligerent, atque adeò ſuperari facile poſſent. Nã verò Honeſtius Rhetore Philoſophi nomen? hoc eſt, meliorne Attabas an Numenius? Imò quicumq;, qui ſunt, qui fuerunt, quiq; futuri ſunt poſthac, ſtulti, ſtolidi, fatui, fungi, Bardi, Blenni, buccones, Philoſophus omnes longè anteit ſtultitiâ, & indoctis moribus. Quem ſi jubeas dicere de iis rebus,

bus, quæ indies tractantur, quæque ſunt *pro roſtris*, id eſt, ut Accurſius explicat *L.* II. §. IV. *D. De origine juris, ante oculos & ora hominũ*, titubat, ſtupet, caligat, quaſi Volucris implicata viſco, quaſi ad Solem veſpertilio: riſumque de ſe præbet laſcivis pueris, ſic ut ab iis, aut etiam à petulanti Nonariâ, ſeſquipedalem ſuam barbam defendere baculo non poſſit. Atque hæc Philoſophâ nobilitate concoquere, illis glorioſum. Audite è porticu Senem: φιλοσοφίας ἐπιθυμεῖς; παρασκευάζου αὐτόθεν μεταγελασθησόμενος, καὶ καταμωκησομένων σοῦ πολλῶν· *Philoſophus eſſe vis? ſtatim te para quaſi futurum ſit, ut deridearis, & multi te ſubſannent.* & niſi ejuſmodi moribus præditi fuerint ſtatim audient φιλόσοφοι μέχρι τοῦ λέγειν, ἄνευ πράττειν. Quare non eſt quod miremur, eos ab omnibus rideri, non magis quam ſi quem videamus εἰς τὴν ἀμίδα ἐνουρεῖν. Nam tanta eorum eſt ruſticitas, ut meritò delicata Troſſulorum cohors, ambroſiâ, & nectare enutrita commerciũ averſetur: à menſa ſua arceat, & Hymettio ore in Dionyſii agrum ruſticiſſimos homines ableget: ut ibi pro meritis accipiantur. Neque enim Homines tam ruſtici lautorũ menſis conveniunt. Debent enim tales *comedere panem groſſum, caſeũ, cœpe, fabas: non panem album, nec pullos:* utte-

ut tenet Gloſſa. *L. cum ſervis urbanis. D. De Legibus.* Ad hoc illis convenit pera; & cũ lauticiis iſtis ſe expleverint, baculus, ut greſſum juvent. Nam equitare non magis eis convenit, quam Camelo ſaltare: pro quo facit gloſſa valde notabilis. *L. Idemque. §. Idem Labeo. D. Mandati: Quod ruſtici ſemper debeant ire pedeſtres, & ideo non debeant iis refici expenſæ vecturarum. & eſt argumentum pro Quæſtione Ruſtici perducti in teſtem, qui ſi nolit venire niſi eques, cogatur venire pedes, quia non competit ſuæ conditioni equitare.* Huic ruſticitati adde ſuperciliũ comâ longius; quid poteſt eſſe hominum ſocietati gravius? Si tamen ſubtiliter diſputarint, & quaſi κέγχρον τρυπῶντες, καὶ περὶ κατὰ τοῦ στενολεσχοῦντες argutiolas aliquas excogitarint, ſibi plaudunt, atq; lætantur, tanquam Amæa Azeſiam invenerit. Cũ iſta me joco, & Socraticâ ironiâ dixiſſe intelligerent, ſparſivæ, ut ita loquar, fabulæ reliquũ temporis abſumpſerunt: donec multa nox domuitionis moneret. Deinde condictâ apud me in craſtinum cœnâ, accenſiſq; luminibus abituriebamus; & Seſtius areptâ face, Cyathum mihi propinans, ait:

Noctis hæc rumpet tenebras, hic tenebras pectoris.

Nec antè, quam ſomno libaſſemus, nos demiſit.

MOMUS.

MOMUS,

Sive

SATYRA VARRONIANA,
Poëſi, Poëtisq; cognoſcen-
dis accommo-
data.

MOMUS.

SIVE

Satyra Varroniana, Poëſi Poëtisque cognoſcendis accommodata.

ANTEQUAM de Inſignium natura, quibus ab incœptando inditum vulgò eſt Impreſſiis nomen ea dicam, quę in poſterum ſepoſito, deſtinatoque in ſingulis hebdomadis ad hanc rem die, dicenda conſtitui; dabitis mihi hanc veniam (Viri ſapientes, honorumque & ſanguinis claritudine nobiles) ut diſputationi ſicuti ſpero non injucundæ, in præſentia caput aliquanto feſtivius imponam, & ea, quæ propria quondam erat hujus menſis, Decembri libertate proludam. Te verò in primis, VIRGINI CÆSARINE, juvenis Illuſtriſſime, cujus ingenium comprehenſionemq; rerum jam dudum Roma plauſu non vano miratur; per iſtam ſingularem in me, quâ meritò glorior, benevolentiam tuam, ore, ut *Occaſio Satyræ ac tempus.*

Decem-

Decembre hoc munus deſtinatum præcipuè tibi, ſicuti Saturnalitium ac ludicrum quid eſt; ita tu non ea judicii, quo potes polleſque, ſeveritate, ſed æſtimatione paulo clementiore, omiſſioreque animo perpendas.

Agite igitur; quid actum ſit hoc anno in Senatu Poëtarum CL. CLAUDIANO tertiùm, & TORQUATO TASSO Coſſ. litteris conſignemus bona Hiſtoriæ fide: nam gratiam odiumve, ſolemnes plerunq; ſcribendi cauſas jamdiu procul habeo, nulli mortalium infenſus, offenſus nulli. Veritatē, quam in ludicris hiſce commentationibus impunè negligunt hodie plerique ſcriptorum, ego muneris mei memor, volo de me exigi per quàm religioſè. Fuit, cùm ipſe nec Heliconidas, pallidamque Pyrenem videram, nec in bicipiti Parnaſſo ſomniaveram. *Perſ. in prol.* nunc poſteaquam ſpecillis oblongo tubulo inſertis effectum eſt, ut remotiſſima quæque abditiſſimaque admoveantur intuentium oculis, & tantùm non manibus teneantur; Parnaſſi arcana nulla ſunt ulli: nec modò Mons ipſe biceps, hortorum amœnitates, laureæ circùm ſylvæ, ipſa Apollinis Regia, ſed etiam

Appa-

Apparet domus intus, & atria longa pateſcunt; *Virgil. lib. 2. Æneid.*

& quidquid in Senatu, quidquid in tricliniis, quidquid in conclavibus agunt Poëtæ, perſpicuè ac minutim obſervatur. Atque útinam quòd ingeniosè feliciterque peractum eſt de viſu, idem in auditu dilatando, adjuvandoque auriculari aliquâ fiſtulâ, quod audio noſtros Archimedes hodie meditari, belle ſuccederet; profectò, ſicuti meis egomet oculis, quæ narro de Poëtarum conventu, ſum cõtemplatus omnia, ſic nullius egens auribus idem auritus ipſe in hac Hiſtoria teſtis accederem. Nolo tamen minùs idcirco fidei haberi narrationi meæ. Etenim authores ad hanc rem illicò proferam, ſi neceſſe fuerit, non Curatorem viæ Appiæ, qui Annæo Senecæ, quid actum eſſet in cœlo ſub mortem Cl. Cæſaris evulgavit: neque Menippum, loquaculum illud & curioſum animal, qui Luciano Deorum ſecreta ſæpenumero palam fecit: neque Janum Douzam, qui Juſto Lipſio Senatus Romani apparatum ritumque dormienti ſub aſpectum dedit: neque Morpheum, qui Bencio meo Senatusconſultum de feriis anniverſariis *Satyra aliquorum.*

ſariis conſcripſit. Teſtes ego verò habeo complures, qui quotidie illuc ad Poëtarum ſedes abeunt, redeuntque, atque in Muſarum juga quondam inacceſſa, nunc (quæ eſt felicitas hujus temporis) arbitratu ſuo penetrant, affirmantque, faciliùs ſibi ad Heliconis cabellinum Romæ Montem, quamquam molliore nunc clivo, aditum patere. Sed inter cæteros amicus mihi eſt vetus, ac planè vetulus, quippe ſexagenario major, ita illum diu ſoſpitem fortunatumque habeam; qui nunc demum indolis ſuæ memor adjecto ad Muſas animo, illuc recens adrepſit, exceptusque inibi peramicè, obſervavit pro advenarum naturâ omnia diligenter, mihique Poëtarum arcana fidus interpres enarravit. Ex hoc quæcumque accepi, exponere jam molior, ejuſdem fide verbisque: quæ verba ſi metro interdum concluſa recitabo, id vos in repentinos amici progreſſus in poëtica referte, ſimul creſcenti Poëtæ propitiam ſenes recoquentem Medeam exorate.

Tempus veſperæ proximum.

IAM labor exiguus Phœbo in declive ruenti
Reſtabat, jamque occiduo, ſurrexerat Aura

Veſper-

*Veſpertina mari, quæ nunciet Auræ,
propinquos
Affore Solis equos, queis frena diurna
relaxet,
Pulvereumque lavet puro Thetis æquo-
re currum.*

Sed erit, credo, perſpicua magis oratio, ſi dicam. Pomeridianum erat tempus, flexo in veſperam die, cùm indicto pridem Senatu, ad Hyampeum, alterum bicipitis Parnaſſi jugum concurſus fieri Poëtarum cœpit. *Curia Poëtarũ in Parnaſſo.*

*Verticis in ſummo, ſenium quæ nobile
ſylvæ
Irriguis nigreſcit aquis, contermina
templi
It moles cælo & nemoris ſuperincubat
umbris,
Hæc auro & latè candenti Regia ſaxo
Auguſtum ſede in media conclave coër-
cet,
Immortale opus: internum cui Pieris
orbem
Concilio Vatum fabricata: ſedilibus æ-
què
Stravit odorata è cedro, Patrumque
Latinas
Atque Italas variè ſcidit in ſuffragia
claſſes.*

Poëtæ ad Senatum accedẽtes. Uno verbo, hæc Poëtarum Curia, hic locus habendi Senatus eſt. Jamque huc frequentes undique conveniebant, more planè Romano, Qui Senatores, quibusque in Senatu ſententiam dicere licebat: hoc eſt, ex cenſu tum veteri, tum novo. Digna res erat viſu riſuque, contemplari vultus, & veſtium ornatus alios atque alios. Primi illi Poëtarum, Accii, *Priſci ævi Poëtæ.* Pacuvii, Nævii, homines priſci ac boni, complexi alter alterum ſine fuco ac fallacia, more majorum, hoc eſt, ſuo expediti ac leves properabant aut nudo capite, aut tutulis inpacluſo, penulis ad collum junco paluſtri obligatis, ac paulo infra cinctuπram productis, femoralibus, & caligis ſanè adſtrictis, atque artus exprimentibus, ſocculis obſtraguli loco ſpina, ruſcoque conſertis. Inter quos videre erat Ennium Patrem

Virgil. lib. 5. Æneid. --- *genua ægra trahentem,*

Quaſſantemque utroque caput, ---

Santhonico bardocucullo tunicatum, manuleatum, ſculponeatum, aurito pileo, quàm ampliſſimè fungino more petaſatum. Quorum appendix Turpilius ſequebatur præ vetuſtate ſituque marcentibus oculis, putrique

triqùe naſo, atque auribus corroſis, ideoque uti ſpretus deſertuſque à ſociis, paullò attentior ac triſtior agmen concludebat. Sed, qui elegantiori atque imperatoria ætate vixêre, inceſſu habituque longè alio gradiebantur: vultus pleriſque graciles ſubalbidique: cothurni aliis, aliis ſocci omnibus hedera doctorum prę mia frontium blandè capillamentum implicabat: chlamys ſerica ad terram fluitabat multiplex ac ſinuoſa; ad collum verò anguſtis replicatiſque minutim plagulis, rejecto ad tergum brevi reticulo, aurea ante pectus fibula coërcebatur. Denique alios ex ore veſtiumque cultu noſtrorum temporum Poëtas ſtatim agnovi. Facies nitidiores, & ut in dies homines ſapiunt magis, bene curata cute habitiores: compta & calamiſtrata coma, aut etiam ſparſa ferociter & negligentiam diligentiſſimè mentita, barbula poëtico metro compoſita: galerus cum argentea ſpira & claviculis capitatis, breve rotundumque pallium: collo torques, ferrum lateri, omnia militi, quàm Poëtę ſimiliora. Quamquam officioſa inter eos verba, grandes quæſitæ-

Medii tẽporis Poëtæ.

Poëtæ recentiores.

Officioſa atque aulica verba.

que cælo appellationes, ac cælo, cùm ſudum ſerenumque eſt, illuſtriores tituli, mira deliciarum lenocinia aucupiaque, crebra inter eundum de gradu deque ſitu certamina, meros Aulicos oſtendebat:

Proſopopœia officioſè concertantiū.

DEXTER *ego lateri gradiar tibi? ſydera teſtor,*
Non patiar. Quidni major patiare? ſiniſter
Ergo ibis? Nigras hodie mihi ſurgere luces
Phœbe jubes. i præ, comitum dulciſſime. Cur hoc?
Imò ego penè ſequar. Non, ſi me traxeris, ibo.
Tene ego præcurram? peream malè: frigora flammis
Iungentur priùs, & brumæ miſcebitur æſtas.
Sed praeo, quando ipſe jubes: mihi teſtis Apollo,
Invitus praeo. dum ſpiritus hos reget artus,
Dum memor ipſe mei, ſemper mihi corde ſub imo.
(Ni mihi cor excors) hærebit gratia facti.

Nugis hiſce ac tricis invicem altercantes in Curiam plerique pergebant: paucis exceptis,

-- *quos*

--- quos æquus amavit
Iuppiter, atque ardens evexit ad æthera virtus: *Virgil. lib. 3. Æneid.*

qui à turba ſolitarii, meditanteſque ſecum, credo, quid in Senatu paratè dicerent, aſpectu ipſo priſcam illam Poëtarum majeſtatem præ ſe ferebant. Introgreſſus Curiam ecce lictores laureatis cum faſcibus ad fores: ſequuntur Conſules Apollinari laurea trabeaque conſpicui, Senatus, ut eſt moris, aſſurgit, clauſoque templo de legitimo Patrum numero quæſitum. Duos deſiderari ex omnibus compertum eſt, ex Latinis Plautum, ex Etruſcis novum hominem, quem adnitente P. Ovidio Conſule in Senatum nuper admiſſum, ſuperiore anno in ſexto P. Virgilii, & ſecundo Annibalis Cari Conſulatu, Severinus Boëtius Cenſor, cùm illius Poëſim bonis obeſſe moribus oſtendiſſet, exutum hedera, præcinctumque peregrinæ arboris coronamento Fracaſtorii manu plexo, Parnaſſi finibus abire juſſit, Caſtalia aqua, & igni poëtico interdixit. At verò M. PLAUTUM L. Annæus Seneca Cenſor hoc eodem anno Senatu movetat per quinquennium, *Pœna impudici Poëtæ.* *Plautus Senatu motus.*

quòd nimirum Patribus ſeriò conſulentibus frequenti congreſſu, cùm Ennio, cui aſſidebat, pileum diſſimulanter è capite detractum ante Conſulum pedes adjeciſſet; admonitus, Patribus non placere quemquam Poëtarum in Senatu ſcurram agere, non modò dicto audiens non fuit, ſed paullo pòſt ultimo Senatu, Statio Papinio Neapolitano, eleganti cum ſagulo recens à Claudia uxore ſibi tranſmiſſo, carbaſiſque ad collum bipedalibus, quaſi majoribus velis in Curiam magnificè ſe ſe inferenti, ſecumque neſcio, quid grande follicantibus buccis ampullanti, clam à tergo papyraceum ſulphureo oppletum pulvere crepitaculum latenter affixit: quod, ubi ille ſubſellio ſecurus incubuit, concepto igne, multiplici ſtatim ſclopo ſtrepitare cœpit, furentemque ac ſufflante retrò flamma excitum è ſella repentè Statium, atque in medium ignea cum cauda ambuſtoque ſago proſilientem, implorantemque Poëtarum fidem, riſêre primum patres, quòd homini mimalloneos carminum bombos identidem inſtanti opportunè ea fibula videretur affixa, poſtea verò

Ejus ſcurriles luſus adverſus Ennium. Et in Statiũ.

verò oppleta fumo tetroque odore Curia, exire inde properè coacti, malam Plauto crucem precati minatiq́ue ſunt. Ergo facta, ut moris eſt, à Claudiano Conſule, qui Senatum habebat, dicendi poteſtate, Cenſor VERBA fecit de MOMI litteris in Senatu recitandis: ipſumq́; Momum paullo antè ex annua peregrinatione reverſum ante Urnam ſtatuit. Huic mos eſt quotannis Parnaſſi verticem conſcendere, ad Senatum intromitti, quidquid inter homines ſive clam, ſive palam de re poëtica tacendum æquè ac dicendum ſentiatur, nullo cujuſquam metu liberè profari. Proceſſit igitur in medium libellorum faſciculis onuſtus, quos hoc uno anno, dum Urbes inviſeret, ac mores multorum obſervaret, partim ipſe memoriæ causâ conſcripſit, partim à publicis privatiſque Academiis traditos accepit, ut eo in Poëtarum Concilio recitaret: quibus in Cenſoris Urnam conjectis, nam

Momus in Senatum introductus.

Momi libelli.

CONCILIO in medio ſedet ingens
Vrna, capaci
Quantùm uteri concha, gracili tantùm
invia collo.
Vatibus hanc perhibent ducendis ſorte
libellis

Quæſitorem Herebri dono Minoa dediſſe.
Argento pars interior nitet interraſo,
Artis Mentoreæ facili circumcava torno.
Zodiacus in Vrna. *Aurea ſed faciem multis emblemata ſignis*
Phidiaco variant cælo: qua baltheus Vrnam
Signifer obliquat, biſſeniſque una figuris
Monſtra vehit, totidemque micat Zona aurea bullis.
Argumentum ingens: pendent hinc omnia, motu
Ex uno pendent pecudumque hominumque labores:
Frondibus hinc latè colles, & gramine multo.
Prata virent, bifidis verruntur cærula caudis,
It fera per ſaltus, cæli ſpatia ampla volucres
Impendunt, hominumque augentur cœtibus Vrbes,
At parte è calathi gemina, quà tortilis anſa
Circinat utrimque anguſti chryſendeta labri,
Sortes. *Implicitæ manibus ſortes, & lumine caſſa*
Collu-

Colludunt, fatumque regit, ludumque coërcet.
Sed hęc verſuum parerga moleſtè nimis interturbant inchoatam narrationem: redeo, unde digreſſus ſum. In Cenſoris Urnam conjectis litterarum faſciculis, ſic exorſus eſt Momus: Velitis, jubeatis, Patres Conſcripti, ligna incidi, faſciculos explicari, libellos propalàm legi. Cùm conſules juſſiſſent, ille mota tantiſper Urna libellum extrahit, tantáque voce, quantam exerunt Grammatici pueri, dum in Comitiis ſolemne carmen, Quod bonum fauſtumque ſit, præfari ſolent epiſtolam, quam ſortitus eduxerat, recitare cœpit.

Societas Typographorum *Senatui Populoque Poëtarum S. D.*

Crescit in dies magis magisque numerus eorum, qui noſtra opera in voluminibus edendis abutuntur. Id vitio potiſſimùm fit veſtri generis hominum, qui Quæ noctu ſomniant, hæc mane lucem videre illicò geſtiunt, occaſionemque Iliadum & Æneidum undique venantur. Nullus hodie mortalium aut naſcitur, aut moritur, aut præliatur, *Querela Typographorum.* *Prurigo ſcribendi.*

 aut

aut ruſticatur, aut abit peregrè, aut redit, aut nubit, aut eſt, aut non eſt (nam etiam mortuo iſti canunt) cui non illi extemplò cudant Epicedia, Genethliaca, Protreptica, Panegyrica, Epitalamia, Vaticinia, Propemptica, Soterica, Parænetica, Nænias, nugas. Nulla eſt intemperantior hominum natio, nulla adverſum nos contumacior: ſi quid verſu, quod non rarentur accidit, illis excidit, continuò in nos pro ea, quam ſibi ſumunt mentiendi licentia, confertur abundè culpa. Malum ſerpit quotidiè latiùs: non onere opprimimur, nullo (quod caput eſt) operæ pretio. Edita enim horum pleraque vix in manus hominum veniunt, cùm aut exploſi jam antea nomen ſcriptoris, aut prodigioſi veſtibulum operis ſtatim lectores abſterret; nosque, raro deinceps emptore, ad apinas & nugas ne triobolo quidem venales quoque poſſumus modo diſtrahendas, cogimur malè properata volumina aliò transferre, ac ſcombris involucra & tunicas dare; aut in vicum deferre

Finis non nullorum voluminum.

-- vendentem thus & odores,
Et piper & quidquid chartis amicitur ineptis.

Hor. lib. 2. ep. 1.

Hæc

Hæc pauca de multis vobis indicare viſum eſt. Vos ordines veſtri bono ac famæ conſulite, nobis tantum oneris detrahite, ac valete.

Vix Momus abſolverat, cùm Cenſor iram inter & riſum; Quid nobis, inquit, quotidie cum Typographis: an ſi quid illi fortè decoquunt, & jacturam fortunarum faciunt, idcircò reſarciendum nobis eſt? Reſarciendum, reſpondit Momus, ſi veſtra cauſa jacturam faciunt. dicam enim liberè more meo,

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis: Hor in Arte poët.
Indoctuſque pilæ diſcive, trochive quieſcit,
Ne ſpiſſæ riſum tollant impunè coronæ.
Qui neſcit, verſus cur audet fingere?--

Sed video cur tam facilè Poëtis ignoſcatis: nempe non ignari malorum miſeri ſuccurrere didiciſtis.

Scimus, & hanc veniam petimuſque damuſque viciſſim. Id ibid.

Quid pro Typographis decretum.

Annuebat verſibus ſuis Horatius; cùm Claudianus Conſul, indicto manu ſilentio; ad Horatium librorum Quæſitorem ac Muſęi cuſtodem deferri libellum juſſit, ei cauſam permiſit; Sermonem ſcriberet de libris

nonum premendis in annum, pœnas præpoperis ingeniis ſtatueret, deque re tota ad Senatum referret. Cui Conſulum alter Torquatus Taſſus addendum putavit; Videret Quæſitor, ne in Apollinarem Bibliothecam novi quotidie libri admitterentur, antequam de iis ſtatueretur aliquid certi. hunc enim aditum ſi ſibi interdictum ſentirent fartores iſti carminum, fortaſſe tardiores in conſcribillandis paginis deinceps futuros. At Horatius id verò feciſſe ſedulò ſe ad eam diem affirmavit, idque ſatis apparere, ex aggeſtis cumulatisque codicibus, qui tam multi ante fores Bibliothecæ præſtolabantur ingreſſum, ut ſanè pauciores Maro deſcripſerit animas apud Cocyti ſtagnum orantes,

De libris in Parnaſſi Muſæū non admittendis.

Tendentesque manus ripæ ulterioris amore.

Virg. lib.6 Æneid.

Sed ſe non minùs Portitore illo Stygio inexorabilem fore: etiamſi offenſurus iterum eſſet Torquatus ipſe Conſul, & ex utroque pede laboraturus. Etenim Torquatus paucis antè diebus Bibliothecam ſub veſperam ingreſſurus, dum enititur aperire ſibi aditum ea voluminum multitudine

Torquati caſus.

tudine penè occluſum, imprudens offenderat in codicem neſcio, quem ab Academicis FURFURARIIS Florentiæ conſcriptum, prolapſusque ſuborta capitis oculorumque vertigine, ex lævo etiam tum pede claudicabat. Tunc Conſul Torquatus, nec eam dixit placere ſibi librorum turbam in Bibliothecæ veſtibulo, qui ſi quotidie, ut jam cœperant, eo loco accreſcerent, quo dein modo patere per eos cumulos in Muſæum potuiſſet aceſſus? Quare quamprimùm eos amoveret inde: ac pauciſſimis exceptis, qui digni illo litterarum Sacrario ei viderentur, reliquos alium aliò diſtraheret: partim valvarum rimis obſtruendis, ut Anagrámmatarios pleroſque & minutos litterarum glutinatores: partim flabellis ad ventulum concinnandis, ut Amadigios omnes, & promercalium nugarum inſtitores: partim feneſtrarum velamentis contra pluviam & Solem opponendis, ut confidentiloquos iſtos & duros Capitones, qui loricato ſunt pectore adverſus omnem injuriam: &, ſi qui adhuc ſupereſſent, præſertim ex iis, qui fœdè Principibus adulantur, traderet eos funerum Curatoribus,

Quò deſtinandi aliquorum libri.

Adulatores Principum.

toribus, ut in proximis Mecœnatianis exequiis, ad ſtamineam ejus viri ſtatuam poëtico tormento explendam, inculcandam, faciendam liberaliter adhiberent; atque ea ratione, impoſita pyræ honoraria illa imagine tot gravida præconiis inflataque, ſimul cum ea, Poëtarum vota multorum conflagrarent, atque in cinerem nihilumque deſinerent. Cæterùm, ad avertendos in poſterum hujuſmodi librorum concurſus, OPTIMUM factu ſibi videri, ſi eos non à Parnaſſi modò Regia, ſed etiam à finibus idem Quæſitor abſtineret, nec priùs admitteret ad faſtigium Montis, quàm in conſtituto ad radices hoſpitio quatuor dierum decadas exegiſſent, ſuſpicionemque ſui purgaſſent. At quæ Venuſinus, facturum ſe libenter imperata reſpondit: imò, ſi Senatui videretur, acturum ſe aliquid, quod ſubitariis iſtis ingeniis moram eſſet non minimam allaturum: nempe Ex codicibus quos admiſſurus eſſet, electurum ſe unum aliis deteriorem, eumque non illicò inſerturum in pluteos & loculamenta cum cæteris, ſed ignominiæ causâ in media Bibliotheca ſublimem apud

Cautio antequam ad Parnaſſum admittantur libri.

Ex admiſſis libris deterrimus quomodo plectendus.

Filices

Filices muſcarios appenſurum, ac retenturum ibi tandiu, dum liber illo nequior acceſſerit, qui eum loco trudat, ipſe ſuccedat; tunc demum redigendum in claſſem, ſuaque in arcula nidoque componendum. Hęc autem etſi magnopere probavit Claudianus Conſul, quia tamen peculiari Senatu opus habere dixit, pollicitus ſe brevi de ea cauſa Patres conſulturum, ſtaturumque id, quod plures cenſuiſſent, re tum infecta, diſceptationem diſtulit in aliud tempus. Et jam Momus alium ex Urna ſortitus erat ſupplicem libellum, juſſuſque perlegere inſcriptionem tergo additam, quæ erat;

POETIS PRISCIS AC BONIS LECTORES.

In veteramentorios carminum ſutores.

Explicata pagina, interiorem epiſtolam recitavit.

NEC pudor eſt, nec modus ullus hac tempeſtate carminum ſcribendorum: invaſit enim mortales hæc peſtis, exeditque multos mala hæc ſcabies, Poëtæ ut vulgò ſalutentur: ideoq; novis quotidie voluminibus, in quibus tamen NIHIL eſt novi prę- ter titulum, ad legendum homines nvitant, *Lectorũ querimonia.*

invitant, & tantùm non mercede conducunt. oculi legendo, manus volutando dolent: uſque adeò aliis, atque aliis poëmatibus continenter obruimur. Sed, quod magis dolet, opera expectatióque legentum luditur. Ad novum opus inauditúmque commentum evocati magna ſpe ingredimur, cùm paullatim vetera fermè omnia, & exoleta, ſed expolita & fuco interpolata reperimus: *præfractam ſtrigilem, & ſoleam*, ut ait Lucilius, *dimidiatam*. Scilicet huc tandem recidit hujus ævi Poëſis, eruta ex antiquitatis tumulo feramenta paſſim recoquuntur recuduntúrque, & inducto alio rebus colore ac forma (quam tamen diſpari forma, quàm inepta?) pro novis repentè mercibus extruduntur. Vos, quorum res agitur, quorúmque opera miſerum in modum à ſcrutariis iſtis refiguntur, ac dilacerantur; videte per Apollinem, Poëtæ, ne fraus hæc, quæ artis hodie locum & quæſticulum invenit, impunitate ſuccreſcat, atque aliquem furacibus iſtis ac veteramentariis ingeniis, pro veſtra ſapientia, modum ponite. Plura in hanc ſententiam noſtro omnium nomine

Calliditas furaciũ Poëtarum.

mine

mine ſuperaddet is, qui has litteras afferet ac tradet Momus. Valete.

Vix ea, cùm rogatus à Senatoribus Momus, uti proferret in medium, ſi quid appendicis loco evulgandum putaret; Pauca, inquit, ſed paucis multa. Eram Florentiæ, addideratque ſe mihi comitem ſeſquipetrarcha neſcio quis, qui me infimis in horas precibus obtundebat, ut opuſculum deferrem ad vos ſuum, immortalitatique in Apollinari Muſæo conſecrarem. hoc ego ſociene per Urbem intentus mortalium ſtudiis curſitabam. Acceſſimus ad Cerarii FICTORIS officinam, qui cereas icunculas ac ſigilla Deorum, hominúmque, ac ſtirpium, ligneo teretique ſcalpro conformabat. Erat illi tum fortè in manibus arundo, quam è cera, certa per intervalla diſtinguebat nodis, educebat ex ea fundebatque geniculatim folia, leve faſtigium craſſiore paniculæ coma finiebat. hæc dum ageret, adfuit, qui laurum arbuſculam ab artifice poſtulavit, ut venderet. tunc ille; Hæc, inquit, quam molior arundo, laurus erit. nullaque interpoſita mora, è calami foliis alia demittit ad truncum, alia

Momi narratio.

Fictor Cerarius.

Mira ejus in fingendo celeritas.

ſpargit

ſpargit in ramos, ramos frondibus opacat, baccas occultat inter frondes, hæc addenſat, illa incidit, alia dilatat, uno verbo, pro arundine laurum emptori tradit. Diſcedebat hic, cùm ecce alius vir honeſtus & gravis, qui magni Alexandri icunculam mercari cupiebat, quam quia inter ea ſigilla non vidit, abibat. reprehenſum hominem voce, mox etiam pallio, ſubſiſtere Cerarius enixè rogat, oſtenditque pro Alexandri Mercurii ſignum perilluſtri ceratione perfectum. negat emptor, exoculatum eſſe adeò ſe, qui non videat, QUID diſtent æra lupinis: Alexandro ſibi opus tunc eſſe, non Mercurio. At ego, inquit artifex, Alexandrum tibi vendo. Hic ego intentiſſimis oculis expectabam, quibus tandem præſtigiis pileatum Mercurium, alatum, nummatum, caduceatum, nulla non re diſſimilem Alexandri, traducere ad Alexandrum poſſet; cùm ille tanta celeritate, ut aliis exuiſſe Mercurii pedes, ſuas induiſſe manus videretur, è loculatis arculis nunc excerpens aliquid, nunc aliquid eò reponens, diſcolores illas ac miniatulas ceras facili tractatione variare cœpit: Mercurii

Arundo in laurum.

Mercurius in Alexandrum.

curii caduceum, quod erat lævæ manus geſtamen, adſtringit ac producit in haſtam: crumenam nummorum plenam, quæ pendebat è dextera, comprimit atque in fulmen exacuit, opportuna ſanè trajectione; è talaribus atque ex alis ocreas ad genua uſque deducit: galerum ac pinnas in galeam ac pulmas altè ſuſtollit, oculos rotundat, genas exporrigit, producit naſum atque amplificat (nam Alexandrum hac etiam parte fuiſſe magnum ferunt) dilatat frontem, in ſiniſtrum humerum cervicem aliquantulùm proiicit, colores confinio temperat, nigrum, ſubnigrum, auſterum, lacteum, luteum, ſubalbidum, purpureum, lentum; vitreum, furfuroſum modò diluit, modò infuſcat, modò exacuit, modò obtundit, atque ita commutabiles illas cerulas hinc atque hinc traducit, operique addit adimitque, ut Alexandri ſimulacrum momento enatum videremus, ignoraremus autem, quid de Mercurio factum foret. Hærebam hic ego attonito ſimilis: ſed comes ut erat natura procacior, ad artificem; Itane verò, inquit, mi homo, tam facilè unáque productione naſi

tu nobis

Scommota & joca. tu nobis Alexandros extemplò paris? Quid ni? reſpondit, cùm producendum eſſe naſum, non corripiendum veſtra de ſyllabis Senatus conſulta proclamat? nos autem id artis didicimus à Poëtis, cum quibus commune habemus fingendi nomen. Doctè enimverò, inquam, & ſupra ceram, & ſcalpum converſuſq; ad ſocium, Insere nunc Melibœe pyros. *Cerarii & Poëtæ comparatio.* Riſit ad hæc emptor Alexandri, &; Hoc ipſum, inquit, recurrebat animo dum Cerarium id operis molientem intuebar: videbar enim mihi Poëtam inſudantem videre carminibus concinnandis, atq; unde transferendis, operiq́ue ſuo per æqua, per *Interpolatores carminum.* iniqua conſuendis. Nam, quid hac tempeſtate ſolemnius? priſcorum reliquiæ conquiruntur, nova priſcis adduntur oppidò pauca, multa diſſimulantur, foris intima, intus extima convertuntur, quadrata rotundis permutantur, quid verbis opus eſt? ex antiquo novum repentè opus inter Poëtæ manus enaſcitur: & nobis interim, qui hæc audire cogimur, aut legere feſtinamus magnificis illecti deceptiq́ue titulis, propter quos deſeri poſſit, ut ait ille, vadimonium;

monium; fraudi plurimum eſt ad eadem toties nullo operæ pretio revocari. ut ſanè in deterius abitura res eſt, niſi aliqúa demum animadverſione hæc Poëtarum coerceatur impunitas. Obmutuerat ſatis meticuloſè argutulus comes ille meus, alióque, ſimulabat ſe animum, dum ea dicebantur, avocaſſe; cùm ego ad emptoris aurem inſuſurrans; Bono, inquam, ſis animo: ego ad Senátum Poëtarum propero: animadvertent illi, ut opinor, in horum licentiam, tibiq́ue ac cæteris idem ſtudentibus exoptantibuſque conſultum erit. Et verò, Patres Conſcripti, ſi minùs lectorum vos querelæ ac preces movent, moveat decus certè veſtrum, ac dignitas iſtius ordinis, qui jam vulgò, ſi neſcitis, deridiculo eſt. veſtra ſunt, quæ ſutores iſtis diſſuunt, conſuunt ſibi, vos iſti expoliant, vos expilant, exoculant, expectorant, eviſcerant: ſibiq́ue aliena dum accommodant, quos inter homines cachinnos, Deus immortalis, quæ joca, quas fabulas excitant? Vidi ego jampridem Romæ, in Urbe uti ſcitis, mores aliunde omnium complectente, hominem nova indutum & collectitia

Plin. in Præfat.

Expilatores veterum Poëtarum.

lectitia ſanè ſyntheſi, hoc eſt, ex aliquorum, quos hic intueor, veſtibus contexta ridiculum in modum. ſurripuerat Dantis Aligerii ſagum holoſericum ſubſutum lacinia Damaſcena, oblongis anguſtiſque manicis: ſed, ne furtum deprehenderetur, inverterat, proque veteri ſubſuto novum abdiderat, idque mirificè variaverat. Nam reſectis ex Cino Piſtorienſi fimbriis, detractis à Bojardo ligulis, reciſis è Guittone Aretino anſulis, veluti polymitam veſtem verſiculoribus liciis ac cæſuris intexuerat. Ita verò induerat inductis in manicas pedibus non planè incommodas ſibi caligas, ſed femoralia paulo arctiora confecerat: collare autem ſagi ad renes, atque umbilico tenus diſtributum ſuis aciculis obfirmaverat: reliquum extremumque ſagum ſublatum uſque ad collum, ejuſdem veſtis cingulo coercuerat, atque in hunc modum magnificè ſe circumſpiciens, ac novi ſe operis artificem venditans, homo belliſſimus ſegmentato & collativo cum centone per Urbem incedebat. Cui ego hęc pauca:

Ad explicanda aliquorum furta.

Veſtis variè conſarcinata.

Hor. lib. 1. ep. 5.

Quid ſi fortè ſuas repetitum venerit olim

Grex

Grex avium plumas? moveat Cornicula riſum
Furtivis nudata coloribus. --

Hæc Momo dicenti, atque eloqui planiùs eadem paranti Cenſor, admonente P. Virgilio interceſſit negavitque æquum ſibi videri, in ea inſectatione uſq; adeò provehi, ut nullo diſcrimine ſimul involverentur optimi quique ſapienter ac feliciter imitantes, tempeſtiviſque alluſionibus carmen eruditè condientes; & audaculi neſcio qui nullo modo, nullo metu in aliena involantes, nihil ingenio promptum, nihilque labore partum habentes, ac non niſi rapto, apertáque populatione victitantes. Placuit ea verò Conſulibus interceſſio, viſumque, Uti A. Perſius Conſul deſignatus, adhibita ad eam rem opera Samonici Sereni, cauſam ſedulò cognoſceret, medicamentumque, quod olim idem Serenus prurigini arcendæ compoſuerat, transferret ad pruriginoſos hoſce Vates, quo ea ſcribendi ſcabies inungi ac deliniri poſſet. Quamquam palam tunc Perſius teſtatus eſt, non opus eſſe eo lenimento cum furaci hominum genere ac refractario: ſed ſi Patribus vide-

Diſcrimen inter imitatores & fures.

Quid decretũ contra furaces Poëtas.

Carm. prur. & ſcab. arcenda.

Iuventũ ad Poëtarum furta deprehendenda.

videretur, ſe oſtenſurum IGNEM ex fatidicis Idæ lignis nuper ab ſe repertum, in quem quidquid miſtum ex rebus diſſimilibus conflatumque conjicitur, illicò ſecernitur, atque ex ſeparatis partibus, ſi quæ veteres ſunt, flammis abſumuntur, novæ perdurant. id optimum fore Poëtarum exprimentum aut ſupplicium: quorum libris antequam in poſterum evulgentur, injectis in decretorium hunc ignem, quidquid flammis illæſum invictumque ſupererit, id tantummodò novum vernaculúmque, ac proprium cenſendum eſſe; cætera, quæ conflagrabunt, tanquam aliena, furtíque damnata meritò pœnas dediſſe exiſtimandum. nec dubitare ſe; quin, ſicuti recèns à lacu vinum dum deferveſcit, tumore poſito extenuatur, decreſcitque, ita multorum libri apud igneum hunc exploratorem adſtringendi contrahendíque ſint adeò, ut ſæpenumero ex magno ac tumido aliena fartura Volumine, extracto exſiccatoque quidquid erat inanis, & non proprii ſucci, atque adeò in libellum ſanè tractabilem manualemque redacto, non plures, quam ſex ſeptemve

Et caſtiganda.

ſuper-

ſuperſtites futuræ ſint paginæ, quas jure ſcriptor agnoſcat ex illo incendio reliquias ſuas. ſic novos Poëtas à ſcrutaria, quam ignaviter artem factitant, abſterrendos: & lectores moleſtia, & in quam inducuntur, fraude liberandos. Riſit eo nimirum commento Momus, quòd videret, Conſulum alterum, ac Senatores aliquot ad Perſianum illum ignem plus nimio refrixiſſe. Nihil tamen cunctatus injecta in Urnam dextera libellum eduxerat, explicabatque, cum Conſul imperavit, ut duos præterea ſortitò extraheret, quos nulla interpoſita commentationum mora continenter recitaret, ac Senatus dimitteretur. paruit ille, vocem contendit, ac legit.

P. VIRGILIO MARONI INTERPRETES SUI.

Interpretum Virgilianorũ poſtulatio.

LABORAMUS in explanandis Æneidos tuæ locis, nec pœnitet operæ ac laboris: in pleriſque enim aut acu planè tangimus id, quod dixiſſe te oporteat, aut aliquid affingimus, quod te dixiſſe non pudeat. Unus incidit nodus ſanè Gordianus, cujus occultum cœcumque caput extrahere nullus adhuc interpretum auſus eſt, ſed ſacro omnes ſilentio præterivimus.

vimus. Nimirum laqueus eſt ex eo genere; qui fauces ſtatim obligat, ac ſpiritum intercludit. Cur enim inducto apud inferos Anchiſe, qui Æneam Romanorum Reges ordine & accuratè docet, è ſeptem Regibus unum prætermittis? Nã à Romulo exorſus.

Lib. 6. Æneid.

Primus Romanorum Rex.

Quin & avo comitem ſeſe Mavortius addet
ROMVLVS, Aſſaraci quem ſanguinis Ilia mater
Educet. viden' ut geminæ ſtant vertice criſtæ,
Et pater ipſe ſuo Superûm jam ſignat honore?
En hujus nate auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque una ſibi muro circumdabit arces
Felix prole virum. qualis Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes
Omnes cælicolas, omnes ſupera alta tenentes.

Addis deinde NUMAM.

Quis

Quis procul ille autem ramis inſignis olivæ *Secundus Rex.*
Sacra ferens? noſco crines incanaque menta
Regis Romani, primus qui legibus Vrbē
Fundabit, Curibus parvis, & paupere terra
Miſſus in Imperium magnum. - - - -

Adjungis demum cæteros.

- - - - - *Cui deinde ſubibit*
Otia qui patriæ rumpet, reſidesque movebit, *Tertius.*
TVLLVS in arma viros, & jam deſueta triumphis
Agmina: quem juxta ſequitur jactantior ANCVS *Quartus.*
Nunc quoq; jam nimium gaudens popularibus auris.
Vis & TARQVINIOS Reges; animamque ſuperbam *Quintus & ſeptimus.*
Vltoris Bruti, faſcesq; videre receptos?

Hæc de Regibus Romanis. At in hoc cenſu, SERVIUM Tullum, qui medius inter Tarquinios Priſcum, & Superbum fuit; tu bonus Regum Cenſor omiſiſti. *Sextus cur relictus?* Ecquæ te cogitatio aliò tunc agebat, quove abalienato tunc animo peregrinabaris, ut tibi Rex tam probus, ac Romanæ rei propagator excideret? Hæc una res (ingenuè

nuè fatemur) univerſam Interpretum nationem conturbavit, viſaque eſt, de qua te ipſum conſultum vellemus, ac nodum te ſolo vindice dignum tu tanquam è machina diſſolveres, ac lectoribus occaſionem ſubtraheres quidquam aut de Authoris, aut de Interpretum indiligentia ſuſpicandi. Vale.

Cauſa ad Virgilium delata. Epiſtolam vix recitaverat Momus, cum ex imperio Conſulum detulit ad Virgilium, qui petitioni Interpretum ſatisfaceret; legitque ſubinde aliam in hunc modum.

ANTIQUARII, CHRONOGRAPHI, MYTHOLOGICI Q. VAL. CATULLO SUO.

Interpretum Catullianorũ quęſitũ. TRIUMVIRATUS noſter paucis te vult, elegantiſſime Catulle, id quod refert tuâ plurimum, & noſtra non parum, qui tecum facimus. Summa hæc eſt, nam breviloquentẽ eſſe Magiſtratum decet. In nuptiis Pelei, & Thetidos, paucos intra verſiculos, doctos (Iuppiter) & laborioſos, tui tamen te cepiſſe videtur oblivio. Principio enim cantas ARGO, qua vecti ſunt Heroës ad Colchicam expeditionem, primam fuiſſe navim.

Carm. 65. *Peliaco quondã prognata vertice pinus*

Dicun-

Dicuntur liquidas Neptuni naſſe per undas
Phaſidos ad fluctus, & fines Æeteos.
Cũ lecti juvenes; Argivæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem,
Auſi ſunt vada ſalſa citâ decurrere puppi;
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis.
Diva quibus retinens in ſummis urbibus arces.
Ipſa levi fecit volitantem flamine currum
Pinea conjungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem curſu PRIMA imbuit Amphitritem. Prima naviũ.

Addis, è pelago excitatas ejus navigii novitate Nereidas, viſamque à Peleo Argonauta Thetidem illicò adamatam inter cæteras Nymphas, eique à Jove in matrimonium collocatam.

Tum Thetidis Peleus incenſus fertur amore,
Tum Thetis humanos non deſpexit Hymenæos,
Tum Thetidi Pater ipſe jugandum Pelea ſenſit.

Deſcribis ad hæc torum genialem purpurea conſtratum veſte, qua in

veſte inter alias acu variatas figuras pingis Ariadnam ejulantem ob Theſeum celeri cum claſſe fugientem.

Pulvinaris deſcriptio.

Pulvinar verò Divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum,
Tincta gerit roſeo conchylis purpura fuco.
Hæc veſtis priſcis hominum variata figuris
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentiſono proſpectans littora Diæ
Theſea cedentem celeri cum CLASSE tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores.
Jam verò ſi Argo prima navis ponti fuit &
Illa rudem curſu prima imbuit Amphitriten;

Nodus in Catul

quomodo ante illam, Theſei mentionem facis cum claſſe ac velis remisque in patriam remeantis? Hîc AQUA hæret. Convenimus Antiquarii, Chronographi, & Mythologici: & neque antiquitatis memoria, neque ex temporum computatione, neque ex fabularum involucris quidquam ad componendum diſſidium, eruere

eruere potuimus Ad te rem integram referimus, TUTE hoc intriviſti, tibi omne eſt exedendum. Vale.

Legerat Momus, & ex authoritate Conſulum Catullo dedit, qui in ſequenti Senatu nodum ſolveret ſtatimque poſtremum ex iis, quos ſortitu extulerat, libellum recitavit. *Ei commiſſa ſolutio.*

ACADEMICI IN ITALIA EI, QUÆ IN PARNASSO COGITUR, ACADEMIÆ POETARUM. *Academicorũ petitio.*

FLORET inter cæteras Academicorum exercitationes hoc tempore ſtudium conſcribendorũ INSIGNIUM, eoque perductum eſt, ut ex Academiis foras derivatum illiterati pariter, litteratique complexi ſint: atque è plebe jam quilibet in triviis, & compitis auctionariis hoc de argumento paſſim philoſophatur, ac vulgis ipſe zonariorum ſellurariorumque ſermonem hac ſuper re ſecurè miſcet, ſibique certa quædam, quæ ſuſpendat ante officinã Inſignia ſymbolaque producit. Sed quo res facta vulgatior eſt, eò eſt etiam in plures diſtracta ſententias, atque obſcurior proinde, difficiliorque reddita. Quin etiam ii, qui lucem ac facilitatem rei afferre conati ſunt, conanturque hodie *Exercitatio Inſigniũ condendorum maxima.* *Sed ars incerta.*

die complures ſententiis plerunque pugnantibus pertractant hanc provinciam, legesque pro arbitratu quique ſuo huic generi commentationis imponunt: ac cæteri, qui ex hiſce ſcriptoribus hauriunt, ſi paulo verecundiores ſunt, ancipites ſuſpenſique omnia verentur, quaſi plenum opus aleæ tractent, & incedant per ignes ſuppoſitos cineri doloſo. Uſque adeò in ſumma ſententiarum pugna,

Perſ. Sat. 5. *VELLE ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.*

Quas ob cauſas. Quòd ſi iſti, qui in hac arte familiam ducere tantopere cupiunt, ac leges præceptionesque tam facilè ſanciunt, eas rationum præſidiis, ut par erat, ſtabilirent; profectò ſi minùs moveret nos authoritas docentium, ſaltem argumentorum firmamenta moverent. Nunc autem quando in hoc genere ſcribendi nec Ariſtoteles, Phalereosve, aut Tullios habemus, quorum teſtimonia rationis loco ſint: nec adhuc in magna Doctorum copia videmus argumentorum momenta, in quibus acquieſcere jure poſſimus; ad vos, quod unum ſupereſt, veluti AD ſacram anchoram confugimus, petimusque, ut uti rem pro imperio deſi-

definire, leges conſcribere, præcepta monſtrare, præceptorum cauſas rationesque ſubjicere: ac modum huic artificio tandem aliquando ponere pro veſtra humanitate velitis. Nos quidquid ex iſto Senatu proveniet, id ratum fixumq́; & immutabilis oraculi loco omnes habebimus. Valete.

Tum Claudius Conſul, Torquato Collega ſuggerente, intuitus in Petrum Bembum; Tuum, inquit, munus hoc eſto, Bembe, ut commentarium perbrevem & capitalem hoc ſuper argumento conficias, atque ad proximas Kal. frequenti Senatu recites. tunc enim rogatis, ut moris eſt, Patrum ſententiis, Senatus conſultum de Inſignium natura conſcribemus. Hæc cùm dixiſſet, Senatumq́ue tenere ſe ultrà negaſſet, Curiâ ſtatim omnes exceſsêre.

Petrus Bembus cognoſcendis Inſignibus præfectus.

ACADEMIA PRIMA.

SIVE,

De ſtylo poëtico, qui partim Poëtis ob oculos poſitis, partim explicata Poëſeos natura monſtratur.

DE triplici ſtylo dicere jampridem aggreſſus (Cardinalis Ampliſſime) poëticæ dictionis, quæ reliqua eſt una controverſiam in præſentia refero ad hanc Sapientium coronam, quam tanta omnium ordinum nobilitate florentem video, venerorque: ac ſpero tam bonis atque excellentibus arbitris facilè poſſe componi. præſertim cùm hac de re plurimum laboris & mihi ad dicendum, & vobis ad arbitrandum hodierna die ſubtractum ſit. Non ſolùm, quia in obſcœnos carminum ſcriptores cùm olim diſſerui multa neceſſariò occupanda fuêre Poëtarũ ſtylo: ſed etiam quia proximis hiſce, qui continenter elapſi ſunt, annis, dum à Poëtico ſejungebam oratorium, atque hiſtoricum characterem; ſæpenumero in Poëtarum confinia pedem intuli, eorumque

rumque regionem oculis attentè luſtravi, ut qui circum ſingulas facultates ducendi limites ſolent, finitor ipſe cognoſcerem. Quare non tam laborandum mihi hodie video, ut ab Oratoribus Hiſtoricisque Poëtas abſtineam, ne prædabundi in illorum dictionem, tanquam in ditionem finitimorum crebrò excurram; quàm ut civiles inter ſe Poëtarũ diſcordias componam, ſi quo modo poſſim, eorumque primigeniæ legitimæque ſoboli majoribus veluti Comitiis principatum linguę decernendum ſedulò curem. Et quamquam tot inter familias Poëtarum, quæ ex una eorum gente proſeminatæ ſunt, haud promptum eſt eam internoſſe, quæ ab ſtirpe rectà pullulet, nihilve in agreſtem ſuccum ſpeciemque degeneret, cùm Poëtarum ſanè ſit nemo, qui ſe germanam Phœbi prolem non venditet, ſidemque apud poſterorum aliquem non inveniat: ſi quidem nos IN VETERUM æſtimatione facilè diſcedimus in ſtudia, proque arbitratu quisque ſuum Poëtarum principem nominamus; tamen & ſplendor ipſe Poëticę majeſtatis, qui demum LUCE ſe prodit ſua, & conſtans ſapientium

Conſiliũ in hac Proluſione.

Difficultas optimi eligendi.

Ratio id præſtandi.

virorum ſuffragatio, habent profectò aliquid, ex quo ſi de Poëtarũ dictione ſententiam feram, haud temerè eã tuliſſe videri poſſim. Accedit hominis non indiſerti hac ſuper re diſputatio, quam, ſi quemadmodum mihi hæret in animo, ita oratione promiſero, næ ego hodie in ſpem venio fore, dignum ut aliquid re, quam molior, dignumque auribus hodiernæ quàm lectiſſimæ concionis afferatur. Age igitur, & quando in hac, cui nuper interfuiſſe me ajo, diſputatione, momenti plurimum putamus eſſe, in eam ſi placet, omiſſis aliis animum atque orationem unà convertamus.

Sermo cũ Alc. Burgio habitus. Burgii commẽdatio.

Eram aliquot antè menſibus cum amiciſſimo capite Alexandro Burgio, Sacrorum ac litterarum Antiſtite apprimè nobili: cujus in recenti obitu jacturam ſanè incomparabilem fecimus quicumque ſalvam Rempublicam litterariam volumus. Erant alii nobiſcum, deq; commentis veterum Poëtarum neſcio qua ſermonis trajectione diſſerebamus. admirabamur aliquorum granditatem atque orationis imperium, placebat aliorum ſuavitas & cultus, nonnullorum acumine contortulisque aptè ſententiis delecta-

delectabamur. cumque, uti fit, alios præ aliis haberemus, jamque in diverſa traheremus paulo pugnacius, nec tam veterum quàm noſtris ingeniis faveremus; negavi tum ipſe ſtatui quidquam poſſe in tanta ſcriptorum varietate, quorum plerique peculiare quid habeant, quo præferantur: ut ſæpenumero qui diſſimiles ſunt, pares nihilominus æſtimari poſſint. Ad hæc Burgius (credo ut pugnaturis anteverteret) præclarum ſanè inventum ad eam quæſtionem opportunè diſſolvendam ſibi relictum dixit ab Hieronymo Amaltheo, viro clariſſimo, quo cum ſene magna tunc ſibi adoleſcenti familiaritas intercedebat. Ego ad Amalthei nomen, quẽ legeram à M. Antonio Mureto laudatum tanquam Poëtarum apud Italos præſtantiſſimum, avidè mentem adverti, unaque cum aliis rogare inſtiti, ut quid illud eſſet non gravatè afferret in mediũ. negavit ille, quidquam ſibi eſſe jucundius, quam de eo viro loqui, à quo tam multa identidem inaudierat de Sadoleto, de Bembo, de Naugerio, deque tota illa doctorum hominum cohorte; ut ſibi videatur illius beneficio, ſuperiori ſe-

Sententiarum diſcrepantia.

Hieron. Amalthei præconium.

culo

culo interfuiſſe. cùm præſertim animadvertam, inquit, hac narratione poſſe me noſtræ huic controverſiæ non uſitata ratione ſatisfacere. Sic igitur accipite.

Alex. Burgii narratio.

Florebant ea tempeſtate Romæ cœtus excellentium virorum, qui ſtatis diebus conferre capita, deque re litteraria verba facere conſueverant. Quem veterem Academicorum morem Romæ repetierant Theodorus Gaza, Flavius Blondus, Platina, Campanus, aliique litterarum Proceres, qui apud Beſſarionem, virum ſanctimonia æquè ac litteris memorabilē, conventus habebant. Quos excipêre non multo poſt Hercules Strozza, Naugerius, Bembus, Parrhaſius, Sadoletus, Caſtilionius, Jovinianus, ejusque notæ complures, quibus interdum coactis Leo ipſe Princeps interfuiſſe dicitur. nam UT ILLE digna carminibus gerebat, ita in primis carminum conditores amabat. Sed horum conventus adhuc ardentiùs celebrari cœptus eſt, cùm ex Germania rediens Hieronymus Alexander, cui poſtea aditum ad Romanam Purpuram virtus aperuit, numerum illum auxit excellentium ingeniorum acceſſu

Academiæ Romæ reſtituta.

Leonis Pontificis amor erga Poëtas Academicos.

Hieron. Alexādri laus.

ceſſu ſuo: &, ut literas non minùs amabat quàm callebat, eratque memori comprehenſione rerum ſupra omnem antiquitatem; ita illam eruditorum ſcholam apud ſe libenter advocabat. Atque hi quidem, quòd noſtrorum temporũ Poëſin recoquendam præcipuo conatu ſibi delegerant; in poëtico ſtylo veterum per veſtigia conformando, exigendoque ad Ariſtotelis normam, multùm operæ collocabant: &, quòd evenire facile fuit, in antiquorum monumentis inter ſe comparandis, Poëtarumque aliis ante alios extollendis quotidie diſſidebant. Jamq; eò factiones proceſſerant, ut palàm eorum aliqui Lucretiani vulgò dicerentur, Statiani nonnulli, alii Virgiliani, nemo non alicujus affectator haberetur: ſeque propterea facetiis invicem peterent, nec factis etiam feſtivioribus, ut eſt ridicula Poëtarum natio, abſtinerent. Sanè Andreas Naugerius Valerio Martiali acriter infenſus, ſolemne jam habebat in illum aliquantò petulantiùs jocari. Etenim Natali ſuo accitis ad geniale epulum amicis, poſtquam prolixè de Poëticæ laudibus ſuper menſam diſputaverat, oſtenſu-

Academicorũ excitatio.

Diſſenſio & factiones eorundem in veterũ Poëtarum judicio.

Naugerii ſolemne facinus in Martialem.

rum

rum ſe ajebat à cœna, quo tandem modo laudari Poëſin deceret. mox afferri jubebat Martialis volumẽ(hæc erat menſæ appendix) atque igni propior factus, illuſtri conflagratione abſumendum flammis imponebat: addebatque eo incendio litare ſe Muſis Manibusque Virgili, cujus imitatorem cultoremque præſtare ſe meliùs haud poſſet, quàm ſi vilia Poëtarum capita per undas inſecutus ac flammas perpetuò perdidiſſet. Nec ſe eo loco tenuit, ſed cùm Sylvas aliquot ab ſe conſcriptas legiſſet, ut ſolebat, in concilio Poëtarum, audiſſetque Statiano characteri ſimiles videri, iratus ſibi, quòd à Martiale fugiens aliò declinaſſet à Virgilio, cùm primùm ſe recepit domum, protinus in Sylvas conjecit ignem, ejusque calore ſucceſſus verſiculos propè extemporarios fudit, quos in eodem conventu, qui proximè coactus eſt, ſub ruſtici Acmonis perſona recitavit in hunc modum.

Martialis Epigrammata in ignem conjecta ab eo.

Idem infenſus Statio.

Andr. Naugerius ſua carmina comburens.

Has Vulcane dicat Sylvas tibi villicus
Acmon,
Tu ſacris illas ignibus ure Pater.
Creſcebant ducta è Stati propagine
Sylvis,

Iamque

Iamque erat ipſa bonis frugibus umbra nocens.
Vre ſimul Sylvas, terra ſimul igne ſoluta,
Fertilior largo fœnore meſſis eat.
Vre iſtas, Phrygio nuper mihi conſita colle,
Fac Pater à flammis tuta ſit illa tuis.

Sed ea res multorum animos offendit, quòd homo Virgilianæ imitationi obnoxius, impunè aliorum exiſtimationem per haſce ambages imminutum iret. Verùm cùm ejuſmodi ſpectacula quotidie ab aliis alia ederentur, tuerenturque ſinguli pertinaci ſanè ſtudio Apollines ſuos; placuit controverſiam credere Jacobo Sadoleto, ejus tum Senatus Principi, quem unicè habebant, in quo nulla factionis ſigna deprehenderant. Quare hominem conveniunt, quantùm arbitrii volentes libentesque ei commiſerint, exponunt: rogant provinciam ipſe ſuſcipiat, deque Poëſi, & ejus natura in illorum cœtu ex intima, quam tenet, arte diſceptet. quid in ea glorioſum & minax, quid languidũ aut exculcatum, quid cultum Muſiſque & Phœbo dignum cenſeat, in medio ponat, ſingulorum dictionẽ, quo quæque

Iacobus Sadoletus Academiæ Princeps.

Controverſiæ definitio inter

Poëtas Sadoleto commiſſa. que loco ſit, liberè commoneat. ſe dicto audientes fore,ſuorumq; faſces ingeniorum, ejus (uti par erat) imperio ſubmiſſuros.Ille gratiis perhumaniter actis facturum quidem ſe,quod cuperent, ultrò recepit, & quoniam tantum ei tribuebant,'etiam conaturum,ut promptis ex Ariſtotele locutionis poëticæ legibus, ipſi de ſe ſententiã ferre poſſent; tamen pro comperto habere,parum hęc ei,quam diu alerent, controverſiæ profutura: ac prævidere jam tum animo, quid ſinguli dicturi ſint: quam enim audient præ cæteris commendari dictionem, affirmaturos certatim omnes, eam planè eſſe, cujus ſpeciẽ ipſi adamant, quam in aliorum pleriſq; deſiderant, atque in ſeſe cõnantur exprimere. ita enim natura comparatum; QUID FACIENDUM ex re ſit, vident omnes eodem modo: quid ex re ſit factum, ſuismet oculis ſinguli vident. Quare ſatius fore aliò transferre cauſam. ſe quidem excogitaſſe aliquid, quod multo faciliùs,ſi aggredi velint,litem dirimat. id eſſe, ſi indicto non tantummodo ſuorum Senatu, ut moris eſt,ſed advocata nonnullis invitationibus audiendia,quisque meditatum domi

Præcipere generatim facillimum.

Inventũ dirimẽdæ controverſiæ.

domi aliquid afferat ad ejus imitationem Poëtæ conformatum, quem præ cæteris laudat: idque in ea omnium ordinum corona proponat. profectò ex auditorum vultu ac nutu animadverſurum unumquemque, quæ dicendi nota populi ſuffragium ferat. POPULUM optimum eſſe arbitrum æſtimatoremque: ad eum ſi provocent, minore invidia componi quæſtionẽ poſſe. Quid multis? ſive quòd vera, ſive quòd facilia dicere Sadoletus videbatur, accepta conditio eſt: modò ipſe non ſe oneri omnino eximeret, ſed aliquo diſputationis invitamento Recitatoribus præiret. Ergo quò res eſſet illuſtrior; alliceretque frequentiorem ſolito concionem; in rem fore viſum eſt, ſi quisque in Comitium veniret ejus Poëtæ habitu ſymbolisque conſpicuus, cujus partes ſibi tuendas ultrò ſuſceperat; ut quoniam jam Bacchanaliorum inſtabant feriæ, ipſi ſuas quoque pompas exponerent, & cum Dionyſiis conjungerent Apollinares ludos. Vix conſilium emanavit in vulgus, cùm ad rei famã ingenti hominum concurſu, tum Alexandri domus, quò conventus erat indictus, tum viarum flexus & capita, qui-

Populus optimus rerum æſtimator.

Academia ſolito celebrior indicta.

Academiæ locus.

Pompa poëtarũ Academiam adeuntium.

ta, quibus eò accedebatur, obſideri cœpta ſunt.

Iovian. Pontanus Statium referens. Equus ſuperbè incedẽs. Primus ſe in conſpectum dedit Jovianus Pontanus, ſatisque oſtendit ab ſe referri Papinium Statium popularem ſuum. Præalto ferebatur impoſitus equo, cui non vulgaris in inceſſu gradus, ſed ſonora alterno crurum explicatu glomeratio; videbatur

Virgil. lib. 8. Æneid.

Quadrupedante putrem ſonitu quatere ungula campum.

Ipſe auro Indicisque diſtinctus unionibus, & tanquam

Stat. in Eq. Do.

---- ſuper impoſito moles gemmata Coloſſo,

eam ſpeciem referebat, quam olim ſpeciem ex poëtico ad Albam certamine victor intulit Romam. nam & lauream capitis, & torquem pectoris auream, quam ei Domitianus impoſuerat, magnificè oſtentabat, identidem inclamans,

Stat. in Eq. Do.

--- medius videor diſcumbere in aſtris
Cum Iove, & Iliaca porrectum ſumere dextra
Immortale merum ----

Balthaſar Caſtilionius referens Proximus ibat Balthaſar Caſtilionius Claudiano ſimilis, gradario inſidens equo, peregrinis phaleris, bracteisque ſonorè tinnientibus inſtrato. veſtitus idem,

idem, qui in ejus marmorea ſtatua ad forum Trajanum viſebatur. plexum hedera capillamentum, chlamys acu picta; nulli in veſte ſinus, aut rugæ, explicata omnia, ac poëtico planè metro compoſita. *Claudianũ. Equus gradarius.*

At Herculi Strozzæ, qui P. Ovidii perſonam gerebat, longè aliud ornamentum. expeditus in equulo ſtatim emicuit, fracto cum arcu telisque ſub Tomitano palliolo; nec facilè apparuiſſet in ea hominum frequentia, equesne an pedes iret, niſi acrem volucremque belluam agitator ipſe callidus in omnem partem ingenioſè flectendo omnium admirationem, quò ſe cumque moveret, excitaſſet. *Herc. Strozza referens Ovidiũ. Equuius agitatus.*

Herculem Petrus Bembus Lucretii ſub perſona ſedatior aliquantò ac tardior inſecutus eſt. Non quòd ei vis ignea furorque ſupra omnẽ Poëtarum inſaniam deeſſet; ſed ſive quia pedes, uti Philoſophum decebat, incederet: ſive quia Philoſophorum pallio Romanam togam ſuperinduxerat; ideo cogebatur operosè ingredi, ac paſſim interſiſtere. lætus tamen illo compoſitæ ab ſe veſtis artificio, ea glorioſè repetebat: *Petrus Bembus referens Lucretium.* *Lucr. lib. 1.*

Avia Pieridũ peragro loca, nullius antè

Trita

Trita ſolo: juvat integros accedere fõtes,
Atque haurire, iuvatque novos decerpere flores,
Inſignemque meo capiti petere inde coronam,
Vnde prius nulli velarint tempora Muſæ.

Janus Parrhaſius referens Lucanũ. Interea exaudiri è proxima vicinia Bætici fragor equi, ac turba latè calcibus ſubmoveri. Erat hic Janus Parrhaſius Annæum Lucanum referens: qui dum quadrupedem paſſim fatigat, eumque modò tolutim ac volutatim incedere, modò ſe in aera ſaltu librare docet, nactus equum refractarium & caducum, excuſſo in terram galericulo minùs bellè pompam equeſtrem dabat. *Equus refractarius.*

Andreas Naugerius referens Virgilium. Sed illinc avertit extemplò in ſe omnium oculos, qui Virgilium agebat, Andreas Naugerius. Quadrigis vehebatur triumphanti ſimilis, regebatque manu equos, quamquam volucres, &

Vir. 12. Æneid.
Qui candore nives anteirent, curſibus auras.

Equi gradarii. ita tamen moderatur, ut ſuſpenſo ad numerum gradu incederent, ungulasque certa per intervalla modulatè colligerent.

Ipſe

Ipſe autem, cui Virga dedit memo rabile nomen *Caivus Poëta.*
Laurea, ----- *Virg. 3. Georg.*

è lauro virgam manu præferebat, toga purpurea indutus, & quaſi pro victoria jam tum vota conciperet,

----- *Victor ego* (ajebat) *Tyrio conſpectus in oſtro*
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus:
Ipſe caput tonſæ foliis ornatus olivæ
Dona feram. Iam nunc ſolemnes ducere pompas
Ad delubra juvat.

Mitto jam reliquos aut mannulis juveniliter exultantes, aut priſca libertate è plauſtro loquentes, aut junctis bobus paſtoritia meditantes. Quos ingens aula cùm accepiſſet, ſediſſentque ſinguli majoribus ſellis, non alio, quàm quo venerant, ordine diſpoſiti, adfuit è proximo conclavi Sadoletus, admiratusq; concionis frequentiam, ac florem Romanæ nobilitatis, traductus penè per humeros ad ſuggeſtum, Poetarum corona, ac tota illa virorum panegyri ſalutata, in hunc fermè modum exorſus eſt. *Turba Poëtarum.* *Celebritas loci.*

De Poeſi verba facientem ſicuti facile eſt in Senatu veſtro perhumaniter *Sadoleti diſputatio*

de ſtylo poëtico. ter audiri (Poëtæ & ingenio, & imitatione clariſſimi) ita perquam difficile arbitror de ea præcipere conantẽ in tanta ſtudiorum altercatione probari, nec quiſquam mihi poſteriorem hanc hodie partem impoſuiſſet, niſi probè intelligerem, non tam expectari à me, ut pugnam conflictatione dirimam, quàm ut claſſicum pugnaturis canam. idque eò libentiùs, quoniam ita voluiſtis, aggredior, quò magis magiſque ſpero, meam hanc orationem, & vobis invitamentum ad dicendum, & cæteris, qui tanquã Judices hîc ſedent, momentum fore ad diſceptandum. Ac mihi quidem poëticam dictionem quaſi veſtem explicaturo percommodè ſe ob oculos ponit amplæ locupletisq; domus veſtiarium, in quo veſtium aliæ ſint viatoriæ atque campeſtres, domeſticæ urbanæque aliæ, aliæ Theatrales, & in uſu tantummodo pomparum. atque ut harum finis omnium idem non eſt, ita nec forma. Viatoribus adſtrictum contractumque convenit tegumentum corporis, non latum & fuſum, ne properantibus mora ſit laxitas veſtium. At dignitas Urbis, atque ipſa Senatus ac fori facies poſcit elegan-

Veſtis, & orationis ſimilitudo.

Veſtis viatoria.

Urbana.

elegantiam & cultum. Verſicolorem verò ſynthesim ſpeciémque peregrinam atque exoticam amat ludus & Theatrum. Ita ſe res habet. VERBA quoddam ſunt veluti rerum indumentum. Hiſtoricum in locorum factorumque narratione properantem caſtigata decet oratio & circumciſa, non compta nimis & otiosè circumducta. Oratori, qui in Senatu ſententiam dicat, aut concionis animos regat, altiùs exaggerata paulloque uberior quęrenda eſt dictio. Demum Poëta Theatro ac voluptati ſerviens, perſonatis quodammodo verbis opus habet, meritoque lepores venuſtatéſque conſectatur omnes, nec ullam omittit pompam pulcherrimæ orationis. Atque ut civis ſi fortè Senatum adeat ornatu ſcenico ludibundus, aut curſor ſenatoria ſuffarcinatus toga contendat in ſtadio, ridiculus meritò habeatur; ita reprehenſione riſúque dignus ſit, qui cum hiſtoricum agat, verborúmque propemodùm neceſſitate metiri ſcriptionem debeat; diverticula Poëtarum identidem quęrat, atque ad voluptatem laxet orationem: aut contra, qui Poëtam cùm referat, obtineátque

Theatralis.

Dictio hiſtorica.

Oratoria.

Poëtica.

Triplex hæc dictio non permutanda.

liberum oblectandi campum; hiſtoricæ ſe contractioni pudoriſque oratorio ſponte ſubjiciat. Verùm de hac permutatione tranſitúque ſermonis dicendum mihi non eſt; ſed tantummodò monſtrandum, quamquam Poëtico characteri finem præſcripſimus voluptatem, non minùs, quàm dignitatem oratorio, atque hiſtorico neceſſitatem; non continuò tamen omnem verborum lætitiam vel de fundo Poëtis hauriendam eſſe: ſed multa circulatoribus ac ſcurris, mimorumque venalium gregibus ultrò relinquenda. Verùm animadverto Poëtarum multos, dum mediam inire nituntur viam, in claſſes diſparari omninò duas: quarum utraque dum ſe ab altero extremo ſollicitè proripit, concepto ſemel impetu tranſilit medium, extremúmque alterum carpit. Atque ut quas ego claſſes hominum loquor apud vos in medio ponam. Prior eſt eorum, qui ſiniſtro Apolline Poëſim aggreſſi nihil in verſu magnifaciunt præter ſententiam. hanc ſublimem electámque volunt; illum ſerpere permittunt, aut etiam jacere: & ſi fortè ad limam revocant, atterunt potiùs atq; arrodunt, quam expoliant,

Summa hujus prælectionis.

Duplex Poëtarum claſſis.

expoliant, & illuſtrent. Hinc infacetum aridumque carmen, hinc coagmentatio verborum hiulca & lacunoſa, hinc Poëſis ingratis planè Gratiis concinnata. Atqui ſi voluptas, qua blandè concilientur hominum animi, finis eſt poëticæ orationi: quo tandem artificio conſectantur ii voluptatem, quove lenocinio carmen architectantur, qui tam jejuno ac ſtrigoſo dicendi genere utuntur? An Poëſis ad amorem ſui quemquam alliciat facie iſta exangui ac penè cadaveroſa? Neque ii malo medentur, qui ſolam dictionis Latinæ munditiam præoptantes, cætera poſt illam habent, verſumque, ut libitum eſt, lacerant atque enervant: cùm in re una partes non expleant ejus artis, quam profitentur omnes, & interea languidam fluxámque Poëſim reddant, quæque elabitur ex auribus, nec ullum ſui veſtigium relinquit. Scio veterum fuiſſe Poëtarum aliquos, qui, ſive natura, ſive judicio hanc elocutionis infractæ nequitiam amarent: quorum ſententiæ interciſæ, diſſilentéſque numeri, ac verſiculi retractantes & calcitroſi in deliciis hodie ſunt apud aliquos, qui

Cur non laudandi.

Cur ſola mundities dictionis non defendenda.

hæc antiquitatis ramenta legunt, & RELIQUIAS imperii veteris ubique exoſculantur. Ego verò etſi illos Poëtarum Proceres veneror ſanè omnes, cùm mihi tamen aures defraudari ſentio ea in arte, quæ aurium inſervit aucupio; commendare admirarique hujuſmodi artificium ex animi mei ſententia non poſſum. Quid enim? Oratori adhibitum ſæpè fiſtulatorem Romano in foro legimus, qui cantu tum remiſſo, tum citato modos orationi faceret, præmonſtraretque numeros, quibus aut jacentem erigeret, aut ferocientem ſævientemque cohiberet. in carmine, quod eſt à cantu dictum, deſiderari concentu dictum, deſiderari concentum, ac Muſas modulatione ſpoliari impunè poſſe arbitrabimur? At ex infractis hiſce & confragoſis verſibus haurire ſe affirmant aliqui ſuavitatem quandam latentium numerorum. Audio, atque admiror, nam ego interrogo aurem meam, quam tamen non experior omnino in aliis reb[illegible]mque ad occultum hujuſce [illegible]nis ſonum, inanem perpe[illegible]mque reperio. Sed nimi[illegible]Pythagoras arcano neſcio quo

Aurium judicium.

Cic. 3. de Orat. Quintilia. l. 1. cap. 10. Fiſtulator Oratori additus.

quo cæleſtium concentu orbium inter mortales unicè fruebatur. Saltem curtum iſtud atque inamabile genus carminis aliquo dictionis ſapore, quod factitarunt veteres, mitigaretur; profectò convicium poëtico nomini haud facerent carmina nonnullorum languida ac febriculoſa. Nam, quod attinet ad acumina ſententiarum, quibus in hoc genere complures ingenium probant ſuum; dicamne hominum vitium eſſe an temporum? Ad Inſulam parum ſalubrem cùm appuliſſet olim Seneca, cœpiſſetque febricula tentari, morbum loci dixit eſſe non hominis. Ita cadit in rem noſtram. Tempus plerumque ſtylum format, atque in orationem facilè immigrant mores. In muſicis (ne longiùs à Muſis abeamus) in cantu vocum atque nervorum, faſtidit hæc ætas noſtra, quem tamen ſuperior quæſivit, concentum ſtabilem & gravem, plenumque authoritatis, modulos neſcio quos amamus & frequentamenta, quibus concidatur minutim cantus, fractuſque diſſiliat, ac plena illa & ſonora vocum vis ac poteſtas enervetur, revocati præmiſſique ex inſperato numeri, colliſi

Argutiæ & acumina ſententiarum.

Quid ſtylo conferat tempus.

Muſica hujus temporis duriuſcula.

colliſi duriùs ſoni, ſuſpenſa illicò vox, & ubi minimè expectes amputata, artis hodie medulla ſunt, plauſumque multitudinis conſequuntur.

Similis aliquorum Poëſi.

An non hæc eadem in Poëſi perverſitas? Sacietas jam nos ſolidæ ſuavitatis cœpit: delicias è fuco quærimus. Vibratæ aliquot ſententiolæ, dicta punctim aculeata, inæqualium morſiunculæ numerorum, hæc languentem plerunque guſtum irritant, oſcitantique hujus ſeculi palato apprime ſapiunt. Cum interim digna illa Muſarum ſpecies, æquabiliſque numerorum volubilitas, ac nativi carminis mollitudo prę iſtis argutiarum præſtigiis facilè contemnatur.

Poëtæ de metromagis, quā de ſententia ſolliciti.

Sed quantum iſti deficiunt ab voluptate propoſito Poëſi fine, tantum finem eundem poſterior Poëtarum claſſis excedit. illi ſic loquuntur, vix ut illi videantur canere: hi verò ita canunt, ut non videantur cuiquam loqui. limati illi quidem, ſed exeſi: hi copioſi, ac contumaces: utrique procul à deſtinato, illi aures defraudant, hi fatigant. Præcipitis opinor (Poëtæ) quo hac altera complectar hominum claſſe. Illas aio ingentes animas, cœlo capita alta ferentes,

rentes, nubes & inania perpetuò captantes, centum linguas, centum ora vel in culice depoſcentes: uno verbo illam Giganteam Poëtarum ſobolem, quam in quotidiano ſermone fulminamus omnes, dictiſque figimus, non tamen omnes, (quid enim diſſimulemus) non, inquam, quotquot hîc ſumus omnes perinde fugimus. Nimirùm arripuit, tenetque hic tumor ætatem noſtram, ut juſto majora omnia peruelimus, & DECRESCENTIBUS in dies, mundi veluti ſenio, corporibus, proceriores tamen animos contumacioreſque geramus. Conſiderate quibus amicimur, veſtes: olim laneæ erant etiam Patriciorum; nam ſericum non tam veſtimentum, quàm ornamentum fuit; adeò ut Valeriani Imperatoris ætate, ſicut Vopiſcum ſcribentem legi, libra ſerici penderetur auri libra: conſecutis inde temporibus vulgarior aliquantò ejus uſus & vilior fuit, diu tamen manſit apud nobilitatem; hodie opificum vulgus ac ſellularii, ſericati & holoſericati tranſlucent. Quid ornamenta domorum? quid aulæa textili auro illuminata? quid vela acu picta pro foribus?

Granditas & tumor orationis.

Seculi vitium omnia augentis.

Sericum quanti olim erat.

bus? quid rhedæ & currus penè triumphales? quid peregrinantis gulæ inque ſuccos omnes inquirentis induſtria? quid purpura? quid argentum? quid domeſticum ſervitium? quantùm luxuria faſtuque ſuperiorem ætatem antecellunt? Orationis idem eſt morbus. Exaggeratas olim eminenteſque dicendi notas, quibus ſermoni conciliabant veteres admirationem, quaſi diuturna conſuetudine protritæ jam ſint, admirationemq; longo uſu amiſerint; nos longè liberaliùs confidentiuſque ſuſtollimus: &, quo loco illi cautè deſierunt ruinam veriti, ſi progrederentur ultrà; nos ſapientiores inde volatum explicamus, deque victa antiquitate per cælum liberi, plaudenteſque triumphum agimus. Hinc omnia ſupra famam & fidem. VERBA tanquam VASA, ſono quæſita, non captu: ſententia prodigaliter elata, & obtorto veluti collo per nubes tracta: verſus de muſto, & lacu fervidi. dictio tota ſuperba & minax, quęque Tyranno ſimilis, malit metui quàm amari. Has verò bullatas nugas dum projiciunt anhelantes iſti Recitatores auriumque carnifices; quàm

Vitia exaggeratæ orationis.

Verba vaſorum inſtar.

quàm ingenti ſpiritu dicunt, Deus immortalis, quàm hiante ore, buccisque inflatis perſonant, perinde quaſi pondus dare fumo, quod ait ille, connitantur? In conventu hoc noſtro audimus interdum ſemipoëtas neſcio quos (liberè ego apud vos loquor, nam pleroſque veſtrûm vidi ad hujuſmodi ſpectacula riſum mappâ compeſcentes,) qui in Muſarum choro ſi Apollinem agerent, næ illi non agerent tam glorioſè: Reſiſtunt initio parumper ea quidem ſpecie, ut jam intelligas adornari pomparum fercula: mox verba ſenſim eliquant proponuntque per otium contemplanda: ſententiam circuitumque verborum antequam deſinant, ſuſpendunt nonnihil quaſi finiendi ancipites incertique: an quòd hærentem in labiis orationem ægrè expediant præ dulcedine? demum expreſſo, quod ſupererat verbo, ambitum illum orbemque ſententiæ feſtivo ridentique nutu capitis concludunt: inter hæc ad auditores identidem oculis provocant, ac mercedis loco plauſum emendicant; quem ſi fortè ſibi conſequi videantur, tum verò beatuli per cælum quadrigis invehuntur

Perſ. Sat. 5.
Proſopopœia Recitantiū.

huntur Jovis: funditant illicò verſus, qui pronunciantis exhauriant anhelitum grandes carminum offas, quibus vel Cerberò ſpiritum intercludant, iterum ac ſæpiùs ingeminant; ſtillant ex oculis rorem, gaudio immodicè gliſcunt, colliqueſcunt. Cùm tamen ſeſquiverſus iſti ſi denique exprimantur, neque ſucci, neque ſani quidquam habeant, præter exuvias inaniaſq; ſonantium verborum. Neque verò hæc à me dicuntur eâ gratiâ, quòd immania iſtorum carmina noſtro è choro ſubmovenda penitùs exiſtimem; quin potiùs ſicuti, qui cothurnos aut ſoccos vendunt, cothurnum ex officina ſuſpendunt in via prægrandem enormique magnitudine conſpicuum, qui nullius quidem pedibus uſui eſſe poſſit; ſed documento ſit prætereuntibus, ibi cothurnos confici diſtrahique; Sic ingentium hæc portenta carminum equidem ante fores harumce ædium propoſuerim, ut ſi minùs cujuſquam præterquàm Gigantum pedibus accommodata ſint, tanquam inſignia ſaltem ac ſimulacra metrorum ſignificent, in hac ſchola habiles poëtico operi verſus conformari.

Soccus ante officinam penſilis.

Hæc

Hæc dùm Sadoletus ſavente mirum in modum concione diceret, interſiſtere continuò cogitur, excitato in vicinia ingenti hominum clamore, incertum plaudentium, an exſibilantium? Scilicet ad Senatum in tempore accedebat Poëtarum additamentum Camillus. Quernus Monopolitanus, is, quem Roma Principi blandita Archipoëtam paulo ante ſalutaverat. Cùm enim audiſſet eo die conventum haberi maximum Poëtarum, ratus abſque ſe Patrum numerum haud legitimum fore, properavit quantùm per quadrupedem licuit ad vulgi clamores ſubinde reſtitantem. Nec aliam induit ſpeciem ab ea, qua pridem Tiberina in Inſula plaudente Populo Romano triumphaverat. Elephantum conſcendit tapete Babilonico inſtratum, ſparſimque argenteis crepitaculis circumſonantem? ipſe ſegmentata veſte conſpicuus, rejecta in humeros verſiculore chlamydula manu lyram tangebat, obvioſque Romanos Proceres extemporario carmine compellabat. capiti illi eadem corona inerat perplexa pampino, lauro, braſſicaque, qua ſuper Tiberim publico

Camillus Quernus Archipoëta.

Ejus pompa ad Academiam contendentis.

Corona ejuſdẽ.

liberum oblectandi campum; hiſtoricæ ſe contractioni pudorique oratorio ſponte ſubjiciat. Verùm de hac permutatione tranſitúque ſermonis dicendum mihi non eſt; ſed tantummodò monſtrandum, quamquam Poëtico characteri finem præſcripſimus voluptatem, non minùs, quàm dignitatem oratorio, atque hiſtorico neceſſitatem; non continuò tamen omnem verborum lætitiam vel de fundo Poëtis hauriendam eſſe: ſed multa circulatoribus ac ſcurris, mimorumque venalium gregibus ultrò relinquenda. Verùm animadverto Poëtarum multos, dum mediam inire nituntur viam, in claſſes diſparari omninò duas: quarum utraque dum ſe ab altero extremo ſollicitè proripit, concepto ſemel impetu tranſilit medium, extremúmque alterum carpit. Atque ut quas ego claſſes hominum loquor apud vos in medio ponam. Prior eſt eorum, qui ſiniſtro Apolline Poëſim aggreſſi nihil in verſu magnifaciunt præter ſententiam. hanc ſublimem electámque volunt; illam ſerpere permittunt, aut etiam jacere: & ſi fortè ad limam revocant, atterunt potiùs atq; arrodunt, quam expoliant,

Summa hujus prælectionis.

Duplex Poëtarum claſſis.

expoliant, & illuſtrent. Hinc infacetum aridumq́ue carmen, hinc coagmentatio verborum hiulca & lacunoſa, hinc Poëſis ingratis planè Gratiis concinnata. Atqui ſi voluptas, qua blandè concilientur hominum animi, finis eſt poëticæ orationi: quo tandem artificio conſectantur ii voluptatem, quove lenocinio carmen architectantur, qui tam jejuno ac ſtrigoſo dicendi genere utuntur? An Poëſis ad amorem ſui quemquam alliciat facie iſta exangui ac penè cadaveroſa? Neque ii malo medentur, qui ſolam dictionis Latinæ munditiam præoptantes, cætera poſt illam habent, verſumq́ue, ut libitum eſt, lacerant atque enervant: cùm in re una partes non expleant ejus artis, quam profitentur omnes, & interea languidam fluxámque Poëſim reddant, quæque elabitur ex auribus, nec ullum ſui veſtigium relinquit. Scio veterum fuiſſe Poëtarum aliquos, qui, ſive natura, ſive judicio hanc elocutionis infractæ nequitiam amarent: quorum ſententiæ interciſæ, diſſilentéſque numeri, ac verſiculi retractantes & calcitroſi in deliciis hodie ſunt apud aliquos, qui

Cur non laudandi.

Cur ſola mundities dictionis non defendenda.

hæc antiquitatis ramenta legunt, & RELIQUIAS imperii veteris ubique exoſculantur. Ego verò etſi illos Poëtarum Proceres veneror ſanè omnes, cùm mihi tamen aures defraudari ſentio ea in arte, quæ aurium inſervit aucupio; commendare admirarique hujuſmodi artificium ex animi mei ſententia non poſſum. Quid enim? Oratori adhibitum ſæpè fiſtulatorem Romano in foro legimus, qui cantu tum remiſſo, tum citato modos orationi faceret, præmonſtraretque numeros, quibus aut jacentem erigeret, aut ferocientem ſævientemque cohiberet. in carmine, quod eſt à cantu dictum, deſiderari concentu dictum, deſiderari concentum, ac Muſas modulatione ſpoliari impunè poſſe arbitrabimur? At ex infractis hiſce & confragoſis verſibus haurire ſe affirmant aliqui ſuavitatem quandam latentium numerorum. Audio, atque admiror, nam ego interrogo aurem meam, quam tamen non experior omnino in aliis rebus eamque ad occultum hujuſce modulationis ſonum, inanem perpetuò jacentemque reperio. Sed nimirum etiam Pythagoras arcano neſcio quo

Aurium judicium.

Cic. 3. de Orat. Quintilia. l. 1. cap. 10. Fiſtulator Oratori additus.

quo cæleſtium concentu orbium inter mortales unicè fruebatur. Saltem curtum iſtud atque inamabile genus carminis aliquo dictionis ſapore, quod factitarunt veteres, mitigaretur; profectò convicium poëtico nomini haud facerent carmina nonnullorum languida ac febriculoſa. Nam, quod attinet ad acumina ſententiarum, quibus in hoc genere complures ingenium probant ſuum; dicamne hominum vitium eſſe an temporum? Ad Inſulam parum ſalubrem cùm appuliſſet olim Seneca, cœpiſſetque febricula tentari, morbum loci dixit eſſe non hominis. Ita cadit in rem noſtram. TEMPUS plerumque ſtylum format, atque in orationem facilè immigrant mores. In muſicis (ne longiùs à Muſis abeamus) in cantu vocum atque nervorum, faſtidit hæc ætas noſtra, quem tamen ſuperior quæſivit, concentum ſtabilem & gravem, plenumque authoritatis, modulos neſcio quos amamus & frequentamenta, quibus concidatur minutim cantus, fractuſque diſſiliat, ac plena illa & ſonora vocum vis ac poteſtas enervetur, revocati præmiſſique ex inſperato numeri,

Argutiæ & acumina ſententiarum.

Quid ſtylo conferat tempus.

Muſica hujus temporis duriuſcula.

colliſi duriùs ſoni, ſuſpenſa illicò vox, & ubi minimè expectes amputata, artis hodie medulla ſunt, plauſumque multitudinis conſequuntur. An non hæc eadem in Poëſi perverſitas? Satietas jam nos ſolidæ ſuavitatis cœpit: delicias è fuco quærimus. Vibratæ aliquot ſententiolæ, dicta punctim aculeata, inæqualium morſiunculæ numerorum, hæc languentem plerunque guſtum irritant, oſcitantique hujus ſeculi palato apprime ſapiunt. Cum interim digna illa Muſarum ſpecies, æquabiliſque numerorum volubilitas, ac nativi carminis mollitudo prę iſtis argutiarum præſtigiis facilè contemnatur.

Similis aliquorum Poëſi.

Poëtæ de metromagis, quã de ſententia ſolliciti.

Sed quantum iſti deficiunt ab voluptate propoſito Poëſi fine, tantum finem eundem poſterior Poëtarum claſſis excedit. illi ſic loquuntur, vix ut illi videantur canere: hi verò ita canunt, ut non videantur cuiquam loqui. limati illi quidem, ſed exeſi: hi copioſi, ac contumaces: utrique procul à deſtinato, illi aures defraudant, hi fatigant. Præcipitis opinor (Poëtæ) quo hac altera complectar hominum claſſe. Illas aio ingentes animas, cœlo capita alta ferentes,

rentes, nubes & inania perpetuò captantes, centum linguas, centum ora vel in culice depoſcentes: uno verbo illam Giganteam Poëtarum ſobolem, quam in quotidiano ſermone fulminamus omnes, dictiſque figimus, non tamen omnes, (quid enim diſſimulemus) non, inquam, quotquot hîc ſumus omnes perinde fugimus. Nimirùm arripuit, tenetque hic tumor ætatem noſtram, ut juſto majora omnia peruelimus, & DECRESCENTIBUS in dies, mundi veluti ſenio, corporibus, proceriores tamen animos contumacioreſque geramus. Conſiderate quibus amicimur, veſtes: olim laneæ erant etiam Patriciorum; nam ſericum non tam veſtimentum, quàm ornamentum fuit; adeò ut Valeriani Imperatoris ætate, ſicut Vopiſcum ſcribentem legi, libra ſerici penderetur auri libra: conſecutis inde temporibus vulgarior aliquantò ejus uſus & vilior fuit, diu tamen manſit apud nobilitatem; hodie opificum vulgus ac ſellularii, ſericati & holoſericati tranſlucent. Quid ornamenta domorum? quid aulæa textili auro illuminata? quid vela acu pićta pro foribus?

Granditas & tumor orationis.

Seculi vitium omnia augentis.

Sericum quanti olim erat.

bus ? quid rhedæ & currus penè triumphales? quid peregrinantis gulæ inque ſuccos omnes inquirentis induſtria? quid purpura? quid argentum? quid domeſticum ſervitium? quantùm luxuria faſtuque ſuperiorem ætatem antecellunt? Orationis idem eſt morbus. Exaggeratas olim eminenteſque dicendi notas, quibus ſermoni conciliabant veteres admirationem, quaſi diuturna conſuetudine protritæ jam ſint, admirationemq; longo uſu amiſerint; nos longè liberaliùs confidentiuſque ſuſtollimus: &, quo loco illi cautè deſierunt ruinam veriti, ſi progrederentur ultrà; nos ſapientiores inde volatum explicamus, deque victa antiquitate per cælum liberi, plaudenteſque triumphum agimus. Hinc omnia ſupra famam & fidem. VERBA tanquam VASA, ſono quæſita, non captu: ſententia prodigaliter elata, & obtorto veluti collo per nubes tracta: verſus de muſto, & lacu fervidi. dictio tota ſuperba & minax, quęque Tyranno ſimilis, malit metui quàm amari. Has verò bullatas nugas dum projiciunt anhelantes iſti Recitatores auriumque carnifices; quàm

Vitia exaggeratæ orationis.

Verba vaſorum inſtar.

quàm ingenti ſpiritu dicunt, Deus immortalis, quàm hiante ore, buccisque inflatis perſonant, perinde quaſi pondus dare fumo, quod ait ille, connitantur? In conventu hoc noſtro audimus interdum ſemipoëtas neſcio quos (liberè ego apud vos loquor, nam pleroſque veſtrûm vidi ad hujuſmodi ſpectacula riſum mappâ compeſcentes,) qui in Muſarum choro ſi Apollinem agerent, næ illi non agerent tam glorioſè: Reſiſtunt initio parumper ea quidem ſpecie, ut jam intelligas adornari pomparum fercula: mox verba ſenſim eliquant proponuntque per otium contemplanda: ſententiam circuitumque verborum antequam deſinant, ſuſpendunt nonnihil quaſi finiendi ancipites incertique: an quòd hærentem in labiis orationem ægrè expediant præ dulcedine? demum expreſſo, quod ſupererat verbo, ambitum illum orbemque ſententiæ feſtivo ridentique nutu capitis concludunt: inter hæc ad auditores identidem oculis provocant, ac mercedis loco plauſum emendicant; quem ſi fortè ſibi conſequi videantur, tum verò beatuli per cælum quadrigis invehuntur

Perſ. Sat. 5.
Proſopopœia Recitantiũ.

huntur Jovis: funditant illicò verſus, qui pronunciantis exhauriant anhelitum grandes carminum offas, quibus vel Cerbero ſpiritum intercludant, iterum ac ſæpiùs ingeminant; ſtillant ex oculis rorem, gaudio immodicè gliſcunt, colliqueſcunt. Cùm tamen ſeſquiverſus iſti ſi denique exprimantur, neque ſucci, neque ſani quidquam habeant, præter exuvias inaniaſq; ſonantium verborum. Neque verò hæc à me dicuntur eâ gratiâ, quòd immania iſtorum carmina noſtro è choro ſubmovenda penitùs exiſtimem; quin potiùs ſicuti, qui cothurnos aut ſoccos venti, qui cothurnos aut ſoccos vendunt, cothurnum ex officina ſuſpendunt in via prægrandem enormique magnitudine conſpicuum, qui nullius quidem pedibus uſui eſſe poſſit; ſed documento ſit prætereuntibus, ibi cothurnos confici diſtrahique; Sic ingentium hæc portenta carminum equidem ante fores harumce ædium propoſuerim, ut ſi minùs cujuſquam præterquàm Gigantum pedibus accommodata ſint, tanquam inſignia ſaltem ac ſimulacra metrorum ſignificent, in hac ſchola habiles poëtico operi verſus conformari.

Saccus ante officinam penſilis.

Hæc

Hæc dum Sadoletus favente mirum in modum concione diceret, interſiſtere continuò cogitur, excitato in vicinia ingenti hominum clamore, incertum plaudentium, an exſibilantium? Scilicet ad Senatum in tempore accedebat Poëtarum additamentum Camillus. Quernus Monopolitanus, is, quem Roma Principi blandita Archipoëtam paulo ante ſalutaverat. Cùm enim audiſſet eo die conventum haberi maximum Poëtarum, ratus abſque ſe Patrum numerum haud legitimum fore, properavit quantùm per quadrupedem licuit ad vulgi clamores ſubinde reſtitantem. Nec aliam induit ſpeciem ab ea, qua pridem Tiberina in Inſula plaudente Populo Romano triumphaverat. Elephantum conſcendit tapete Babilonico inſtratum, ſparſimque argenteis crepitaculis circumſonantem? ipſe ſegmentata veſte conſpicuus, rejecta in humeros verſiculore chlamydula manu lyram tangebat, obvioſque Romanos Proceres extemporario carmine compellabat. capiti illi eadem corona inerat perplexa pampino, lauro, braſſicaque, qua ſuper Tiberim publico

Camillus Quernus Archipoëta.

Ejus pompa ad Academiam contendentis.

Corona ejuſdē.

exceptus epulo inter immania pocula donatus eſt. circum ingens hominum plauſus tanquam in theatro identidem acclamantium,

Acclamatio.

Salve braſſicea virens corona,
Et lauro Archipoëta pampinoque,
Dignus Principis auribus Leonis.

Hac ille ſpecie plauſuque cùm ſe in Senatum intuliſſet ſediſſetque: veritus ſanè Sadoletus, ne quid turbarum afferret popularis ea turba; atque in jocos effuſa, cachinnos (quod propè erat) ſuſtolleret, ludoque iam ſeria ducerentur; conſilium in arena cœpit, ſtatuitque orationem præcidere, ac Poëtarum certamen proferre in alium diem. Ne tamen minus honoris haberet homini, quem noverat Pontifici eſſe inter inſtrumenta eruditæ voluptatis? officii duxit, pauca in ſpeciem ſubjicere, ſed, ut apparebat, animo paulo commotiore. ſic enim addidit.

Hæc verò (Poetæ) quamvis in noſtros carminum buccinatores quotidie ludamus fermè omnes, non tamen huic malo pro eo ac decet medicinam facimus. Serpit in dies magis magiſque hæc affecti corporis prurigo: nec quidquam jam modi pudoriſve

Tranſlationes audaces

pudoriſve ſupereſt in hac arte, quam adeò verecundè caſteque veluti rem ſacram attigerunt Majores noſtri, quibus QUO CORDIS plus erat, eo erat & oris minus. Nam, quæ in hæc hodie confidentia eſt? an tu tibi poeticam mercem ita conduxiſti, ut illam arbitratu tuo contrectes, permutes, dilapides? Cædibus gladium paſci dixerunt Veteres, quaſi magnum quid auſi. tu id legis ſcilicet haud ſine nauſea, nec bene de Poeſi meritus videris, niſi gladio & dentes, & ſtomachum ſuperaddas. Noctem Oceani Terręque partum nominaſſe Veteribus haud parum fuit. quantò ipſe liberaliùs partum hunc alis & foves; dum zonis, faſciiſque cœleſtibus involvis, nocturno rore lactas, lunæ curvatura (cunas tu vocas) jacentem excipis, eique poſtremò ſomnum agitatione cœleſtium orbium, ſignorumq; crepundiis blandè concilias. Sol mundi menſor, dictum eſt perantiquum. ingenioſius jam videtur ſi pluſculum audeas, eumque appelles perpetuum cęli tabellarium, piſtorem lucis, umbrarum carnificem, arvorum cœleſtium aratorem: quòd ſi publicum mundi laternarium

atque inverecunda. Earum aliquot exempla.

riùm

Adverſus hoc genus Poëtas.

rium vocares, lepidius adhuc idcirco foret, quòd in occaſu lampada percommodè aquis extingueret. Itane verò? in Poetæ nomen invadere ſe ſeriò putant, qui hæc dicunt: an potiùs derìdiculi gratiâ pueris ludos faciunt, & CAUDAM à tergo volentes trahunt? nam quid eſt aliud, obſecro, ineptiri, quàm ætatem ingeniúmque inanibus hiſce nugarum commentis terere, iiſque deliramentis (quo enim prætèrea nomine appellem, neſcio) dignitatem majeſtatémque Poëſeos æſtimare? Sed hæc in ea parte diſputationis meæ ſepoſueram ad extremum, in qua, quæ generatim univerſéque de poëtica dictione proluſi, præcipuè ac peculiariter aut excuterem ipſe, aut à vobis (Poëtæ) veſtra in medium afferentibus caſtigarentur. Verùm, ut video, nec mihi operis, quod ſum aggreſſus abſolvendi, nec vobis quod polliciti eſtis inchoandi tempus ſupererat: neque enim hiſce in anguſtiis, quantùm in me erit, habenas ingeniorum veſtrorum circumflectam. Quare, quod reliquum eſt, ſi qui hic eſtis, qui non tam errore animi, quàm ſtudio & factione, de Poëſi aut

ſi aut anguſtius, quàm ejus amplitudo poſtulat, aut confidentius, quàm decet illius verecundiam, cogitatis; nolite per Deum immortalem Poëtæ, ingenium veſtrum ad omnia ſumma natum tam prava imitatione corrumpere. Corrumpitis, mihi credite, dum aut Poëſin ſiccè ac minutim complexi, illius copiam & flumen anguſta quaſi per incilia & colliquias immittitis, atque extenuatam in rivulos diſpertitis, planeque diſperditis: aut impetu delati non ſatis habetis pleno alveo puroque ferri, niſi extra ripas turbidi ac minaces omnia latè loca teneatis; cùm tamen Poëſis nolit vel ſuis aquis orbata, minore gloria: vel turbata, alienis torrentibus majore odio fluere. Ecquam rogo æternitatem carminibus veſtris polliceri poteſt hęc orationis ſive ſiccitas ſeſe ipſam exedens planeque conficiens: ſive TUMOR momento enaſcens, momento evaneſcens? Nimirum quemadmodum in Luſitania ad Oceanum (ut eſt apud Varronem) equarum nonnullæ vento concipiunt admiſſario, atque intumeſcunt: ſed ex his, qui naſcuntur pulli non plus triennium vivunt; ita hæc ſubitaria,

Sadoleti peroratio ad Poëtas.

Vento concipientes.

ſubitaria, ventoſaque carmina, quæ à parentibus inanitate extemplò tumidis emittuntur, brevis omnino vitæ ſunt ventoque facilè diſſlantur ac celeriter evaneſcunt. At verò vos, quorum unicè in ſinum malè acceptę alibi Muſæ hoc tempore confugerunt, agite per veſtram fidem, Poëtæ: &, quo eſtis ingenio, adverſus deſultoriam iſtorum levitatem vires opponite: ſcabiem iſtam minuti neſcio cujus afflatu gregis immiſſam à Poëſi affecta jam, nec dum corrupta prohibete: iſtas gigantum minas, & quas homines inaniſſimi efflant glorias ſpiritúſque comprimite. veteris autem advocatę Poëticæ amorem, numerorum integritatem, dictionis munditiam, carminis majeſtatem: atque efficite, ut ætati huic noſtræ ob Poëſim veſtro merito reſtitutam, omnis hinc ſecutura poſteritas gratuletur. Dixit: Academiamq́ue accitu revocandam ſuo Sadoletus officioſè dimiſit.

ACADEMIA SECUNDA.

SIVE,

De ſtylo poëtico, qui tum admotis rurſum ad oculos Poëtis, tum exemplis ad eorum imitationem conformatis, tum demum judicio de ſingulis prolato, qualis eſſe debeat, oſtenditur.

REDEO ad Academiam poëtarum, quam ante annum de Poëtico ſtylo feſtiviùs aliquantò diſceptaturus inſtitui (Cardinales Illuſtriſſimi.) Redeóque tantò nunc, quàm primò libentiùs, quantò quotidie magis comperi, nullum eſſe opportunius callidiuſque conſilium ferendæ ſententiæ de aliorum ingeniis, quàm, quod olim ſuper diſſidio Poëtarum ſua tempeſtate nobilium à Jacobo Sadoleto Poëta, & ipſo venæ non vulgaris, oſtenſum eſſe multis ex hoc loco docebam. Quo enim modo viris non malè litteratis majore ſtudio, quàm judicio diſſidentibus de veterum æſtimatione Poëtarum: ac ſæpenumero Poëtam aliquem, quòd alter eum poſthabuit, præferentibus; *Ratio ferendæ ſententiæ de aliorum ingeniis.*

rentibus; privata, quis authoritate jus dicat ſine offenſione complurium? à quibus abeundum eſt, ſi uni demum accedendum ſit. Citiùs abs te cauſam rejicias, & digladiantes alleges ad populum, cujus judicium neſcio qua ratione doctiſſimi quique ſecuti ſemper veritique ſunt. ſive quia ſtandum eſſe putarent eorum animis, quorum auribus voluptatique ſcribebant: ſive, quòd IN NUMERO ipſo ſit quiddam magnum, ſuppleaturque ab omnibus, quod ſingulis deeſt. Itaque Pomponius cognomento, non dignitate cuiquam Poëtarum ætate illa ſecundus, ſi qua fortè in re diſſentiret ab amico, cui familiariùs oſtendiſſet fabulas ſuas; dicere ſolebat, AD POPULUM provoco: atque ex multitudinis, apud quam recitabat, vel ſilentio, vel plauſu, aut ſuam, aut amici ſententiam ſequebatur. Atque in hunc modum magnis illis litterarum Proceribus, Herculi Strozzæ, Naugerio, Bembo, Joviano, Parrhaſio, Caſtilionio, aliiſque perpetuò diſſidentibus, in eo, qui tunc ſplendidè cogebatur, Poëtarum cœtu; author fuerat Sadoletus poëtici Senatus illo anno

Populi judiciũ cur magnifaciũ.

Plin. lib. 7. ep. 17.

lo anno Princeps; ut in tanta ingeniorum altercatione non unius ſententiam ſpectarent: neve ſe unum, quem dirimendæ litis arbitrum cooptaverant, magna invidiæ mole nequidquam oppreſſum vellent: ſed exemplo Pomponii, cauſſam cum pluribus communicarent, hoc eſt, ad Academicum conventum ſolito magnificentiùs indictum ſinguli afferrent aliquid à ſe ſcriptum ad ejus imitationem Poëtæ, quem præ aliis habendum tantopere pugnabant: recitanteſque ſubinde intenderent in concionem, agnoſcerentque ex auditorum oculis ac vultu, qui in eorum animos dicendi character ſuaviùs influeret, atque adeò, qui veterum Poëtarum hoc ſeculo plurium ſuffragiis dominetur. Eam ſibi videri litis componendæ viam tutam juxtà ac expeditam: quoniam NEMO ſibi factam eſſe injuriam à multitudine ſeparatim conqueritur: & IN OMNI re quem debeas è multis eligere, populi conſenſu, ſi velis agnoſcere, plerumque monſtratur. Et ſanè res ibat ad votum conſiliumque Sadoleti. nam Poëtæ & alacriter acceperant conditionem pugnæ,

Conſiliũ dirimẽdæ Poëtarum controverſiæ de ſtylo.

Poëtarũ certamẽ acceſſu.

Archipoëtæ dilatũ.

pugnæ, & ingenti omnium ordinum frequentia convenerant recitaturi. Sed dicentem è ſuggeſto Sadoletum, uti juſſus erat, de Poëtico ſtylo, concitaturiſque ea diſputatione præeuntem, Camilli Archipoëtæ repentinus adventus ita turbavit, ut exhilaratæ ad Poëtæ nundinalis aſpectum plus æquo concioni ſeriò intercedendum, ſuorumque certamen utcumque prorogandum exiſtimaverit. Verùm Sadoleti conſilium longè alium exitum habuit, quàm ipſe præceperat animo. Nam cùm apud Pontificem Leonem ſuper menſam, ut mos erat, Camillus argutaretur, homo nihil reticens eorum, quæ grata Principi eſſe ſciret, Poëtarum altercationem conſiliumque patefecit. Et fuit id Leoni perjucundum: qui explorata haberet illorum ingenia, & ſolitus eſſet interdum ſeveritatem Imperii, atque acres generis humani curas eruditis hiſce voluptatibus temperare. Quare juſſit ſuo nomine Poëtis offerret Palæſtram ad hæc Muſarum ſpectacula non paulo ſplendidiorem: propediem ſe in Manlianam otii cauſâ conceſſurum; illuc frequentes convenirent:

Leonis Pontificis humanitas erga Poëtas.

Multitudinis expecta-

venirent: fortaſſe habituros ſe ſuo in cœtu etiam Leonem. Quod ubi permanavit in vulgus; mirum quantum erexit ſubitò ſtudia multitudinis, quæ in rerum novarum famam ſedulò intenta, hunc demum diem veluti primos in circo miſſus penè conviciis flagitabat. Poëtæ verò, quos non tam exſpectatio multitudinis, quàm benignitas Principis præter modum ſollicitos habebat, rati indignum ſe commentiſque ſuis fore, ſi eodem, quo priùs, apparatu ac pompa procederent in Senatum (ut eſt ingenioſa hominum natio) novo ludo plebem paſcere, utque tunc equis, ita nunc aquis invehi (imminet enim Tiberi Manliana villa) optimum factu exiſtimarunt. *tio de Poëtarum pugna.*

Ergo in dextro littore Portuenſis viæ propè Cæſaris olim hortos navigatione adornata, obſeſſiſque frequenti populo ripis, tanquam ad Naumachiæ ludos; tandem ſecundo flumine deferri cœpit ingens immaniſque Rupes, quæ nullis incitata remis, ſed rotis ſenis impoſita, quadrigarum more terebat aquas, ſeque ipſam temperata quadam velocitate *Apparatus Poëtarum.* *Rupes in aquis à ſe ipſâ mobilis.*

citate concitabat. Cujus artificii ratio hæc fermè erat. Latebat intra hujus uterum Montis, in imo ejuſdem ſolo ſeu carina, tractoria machina, quæ vectariis equis obnitentibus circumducta alios atque alios verſabat orbes, quorum converſionibus tranſverſi jacenteſque per carinam axes rotarum, quæ utrimque ternæ, ut dixi, regebant molem, obvolvebantur, quam celerrimè. inde rotæ, quibus de loquor, dum verſabantur, quia in ambitu ſeu curvatura extantes radios denteſve tanquam palmulas habebant, aquis impactæ fluvium ſcindebant remorum vice, Rupemque eodem molimine atque incitatione propellebant. Hęc autem moles, quam ſpeciem referret, Mons ipſe biceps ſeu bicornis, primi in radicibus aditus vepribus impediti & calculoſi, juga explicata, lauroque conveſtita, Pegaſus excuſſo jam fonte ſublimi; non modò facilè ſubjiciebant oculis: ſed etiam, quòd nulla è novem Camœnis appareret, præter Calliopem, quæ carmina libris heroica mandat; Parnaſſi partem heroicis Vatibus ad incolendum attributam non obſcurè

Parnaſſus.

obſcurè ſignificabant. Imò huc etiam aliqui transferebant ſcenas rotas, quibus tanquam totidem pedibus, heroico ſane inceſſu ferebatur Moles. quamquam argutuli nonnulli, Parnaſſum meritò mobilem, rotiſque verſatilem fuiſſe figuratum garriebant, quòd ea res mirificè referret ingenium Poetarum inſtabile, ac tranſlatitium: qui vagi, atque verſatiles (nempe quorum opera verſus eſſent) modò huc, modò illuc accederent: &, ſi fortè ſteriles dominos, tanquam malam viciniam nacti eſſent, colligerent ſubitò ſarcinulas, ſubjectiſque domui rotis aliò cum familia commigrarent. Hac igitur Mole una omnes, quos nominavi, Poetæ, poetico planè navigio vehebantur: ſingulique eam inſedêre montis partem, quæ maximè libuit. Et Jovianus quidem Pontanus, qui Statii Papinii tuebatur nomen, ſublimiorem è geminis Parnaſſi collibus occupavit; conſcenſoque ejus ſupercilio, è rupis eminebat crepidine minax ac penè pręceps: eaque oſtentatione, omnium in ſe oculos, ceu funambulus periculo proximus, attrahebat. Ex altera parte Balthaſar Caſtilio-

Parnaſſus cur ſenis rotis mobilis.

Quam Parnaſſi partē Poëtæ ſinguli tenuerint.

Statius à Pontano relatus.

Claudianus à Caſtilionio. Caſtilionius pro Claudio Claudiano alterum bicipitis Parnaſſi cacumen obſedit, depreſſius illud quidem Statiano faſtigio, ſed explicatius: paulo tamen ſterilius, herbiſque Latio ignotis alicubi conſitum. Sed Petrus *Lucretius à Bembo.* Bembus Princeps Lucretianæ factionis ad radices agebat aliquid: ut enim ipſe genus illud navigii ex antiquitate petierat, didiceratque à Philoſophia motum impertiri rupibus inter aquas; ita ejus machinæ rotarumque temperator ſedulò inſtabat operi: quo fiebat, ut inter ea machinamenta circumſtanteſque vepres, in quas interdum ſeſe induere neceſſe habebat, ſemiconſpicuus appareret, operiſque ſui amore vix inde conſurgeret ad reliquas Poetarum amœnitates. *Ovidius à Strozza.* At verò Hercules Strozza Ovidio ſimilis non loco conſiſtebat uno, ſed Parnaſſum penè totum dexteritate mirabili peragrabat: quamquam ut erat impatiens moræ, quæ in ardui montis jugum contendenti neceſſaria erat, libentiùs curſitabat in imo. Nullus tamen in locum eminuit illuſtriorem, projectioremq; ſub *Lucanus à Parrhaſio.* oculos, quam Janus Parrhaſius Lucani Patronus. Hic Pegaſum ipſum

in media

in media Rupe ſublimem juveniliter animoſeque conſcendit, unaque cum bellua volatum adornante, velle nubes petere videbatur. verùm quia Quadrupes poſterioribus tantùm pedibus inſiſtebat humi, ſublato reliquo corpore, idcirco ægrè locum declivem lapſantemq; Poëta retinebat: ut identidem in poſtrema delatus penè penſilis inhæreret, caſuruſque jam jam ab omnibus conclamaretur. Denique Andreas Naugerius, cui Virgiliana non magis dignitas, quàm virginalis ejuſdē verecundia cordi erat; propè Calliopem Laureto inumbrante conſedit. quo in receſſu fefelliſſet oculos ille multorum, niſi quòd in Calliopem intendere obtutum nemo poterat, qui ſimul aſſidentem inibi Poëtam non videret. *Virgil. à Naugerio.*

Ad hunc ergo modum vehebantur Poëtæ, cum prope Manlianam obvium habuêre ſymphoniacis actum remigibus Phaſelum, cui Archipoëta præibat Delphino impoſitus, Bacchi habitu ſpecieq; : apto nimirum commento ad venæ celeritatem ſuæ figurandam. ipſe autem, quippe remigum moderator atque celeuſtes, juſſis illicò ſymphoniacis ad nauticos modos *Camillus Quernus Archipoëta.*

 inhi-

inhibere remos, extemporali Poetas carmine ſalutavit, invitavitque. Sed illi ludicra hæc perlevi riſu tranſmittentes, deque pugnæ expectatione ſolliciti, exſcenſio facta, ædes ſubeũt, Sadoleto deducente: atque in Aula omnium ordinũ frequentia, & Pontificiis potiſſimùm aſſeclis referta, nullo exedrarum, locique diſcrimine conſidunt. Nam Leo Pontifex ratus inferius eſſe majeſtate Principis, ſi ſe in conſpectum concioni daret; in Aulæ receſſu, loculamento ſe ſuo ſublatus in ſpeculam inſeruerat. Tunc ex altiori ſella Sadoletus totius palæſtræ atque certaminis temperator, pauca præfatus in laudem Principis, amoremque ejus in Poetarum nationem: revocatoque illis in memoriam conſilio, quod inierant antiquæ penitusque alicubi antiquatæ Poeſeos repręſentandæ agerentiam, hortatur, in ea luce, qua ſplendidiorem neque veteres ipſi Poetæ, quos imitabantur, unquã nacti fuerint: effunderent quantùm eſſet virium, laxarentque ingeniis liberaliter habenas: cauſamque, cui quiſque patrocinabatur, dicendo meliorem facerent: ac digna demum illo Procerum conſpectu; digna iis, quos

Academiæ locus.

Leo Põtifex in ſpecula. Sadoletus ad Poëtas

Pugnæ Poëticæ principium.

quos tuebantur Poetis, digna tanti Principis domo proferrent in mediū.

Hiſce ita prædictis converſus ad Janum Parrhaſium Sadoletus; Quoniam, inquit, multùm referre arbitrati ſunt olim Duces in militum delectu, ut boni eſſet ominis is, quem primū appellarent; te ego, Iane, primum nomino, teque recluſo bellum cæteris indico. Age, & Lucanum tuum nobis ſub oculos pone. Tunc ille; Accipio, inquit, omen: primumque locum Annæo Lucano debitum non recuſo. Vos audite facinus Hiſpani Ducis adversùs filium, dignum ea profecto natione facinus, eoque Poeta. *Ianus Parrhaſius.*

AT verò Hiſpanis pluſquàm Mauruſia campis
Arma movet truculentus Arabs, fonteſq; lacusq;,
Et totum galeis Betim victricibus haurit.
Quo magis Alphonſus ſibi credita mœnia luſtrat
Impiger, & latè Mauro defendit ab hoſte
Cartheiam denſa dudum obſidione gementem:
Ecce per hoſtiles reſono clamore phalangas

Bucanus.

Alphōſus Cartheiæ obſeſſæ Dux.

Attolli plauſus, atq; inter barbara ſiſtra
Captũ oſtenturi puerũ videt. Ilicet arſit
Vt natum pater agnovit. ſat nota micantis
Cæſaries capitis, neque fallunt viſcera patrem.
Illum inter comites (& erat hæc una ſuperſtes
Alphonſo proles) agris dũ fortè pererrat,
Abſtulerant hoſtes, nunc, circum mœnia ductum
Objiciunt patris ante oculos, gladiisque minantur,
Ni dedat, quam non longum tutabitur urbem,
Acturos ſeſe nati intra viſcera ferrum,
Et patrium charo ſparſuros ſanguine vultum.
Expavêre alii, atque animum ſubiêre parentis:
Exuit ipſe parens. torvo quin lumine Mauros
Deſpectans, Mene, inquit, deterrere putaſtis
VENALES ANIMÆ, & dominos mutare paratæ?
Si me feciſſet proles centena parentem,
Staret & hoſtili natorũ turba ſub ictu;
Nil me propterea recti de tramite flectant

Captivus filius.

Alphõſus ad Mauros.

Exar-

Ex armentve Ducem lacrymæ, morteſq; meorum,
Mœnia ſunt ferro, non patris viſcera nato
Aggredienda. meam per me concidite prolem,
Dilaniate artus, æquate & vulnera membris,
Et ſemel Alphonſum majorem diſcite patre.
Hæc dicens ſubitò vagina liberat enſem,
Elatoq; minax; Rabies ſi tanta cruoris
Cædisque innocuæ ſtimulat præcordia, ferrum
Hoc, ait, accipite: & FERRVM DE MOENIBVS ALTIS *Patris facinus memorabile.*
PROIECIT PATER: inde ſuos & tecta reviſit
Securus, potuitque paratæ accumbere menſæ.
Obſtupuêre acies, tonitruque ſimillima rauco
Alphonſi vox illa fuit, ferrumque cadentis
Fulminis in morem ſpectantem exterruit hoſtem.
Mox animi rediêre truces, ſubiitque pavoris
Ira locum: certum eſt ulciſci in prole parentem. *Nex filii.*

Tunc ferrum in Venas pueri nil tale merentis,
Et fruſtra palmas ad mœnia nota levantis
Immergunt, donumque patris in viſcera condunt.
It ſubitò ad cœlum clamor: quantusque nivali
Fit ſonus, incubuit Boreas cùm ſtridulus Oſſa;
Tantus ad aſpectum cædis dolor urbe reſultat.
Evocat Alphonſum fragor, atque in mœnia currit:
Et nati aſpiciens letho languentia membra,
Quamquam animo redit uſque pater; tamen excutit illum
DUX MELIOR: civesque objurgans; Hoc erat, inquit,
Quod veluti capta comploraviſtis in urbe?
Voſne puerq; meus caſu pendetis ab uno?
Illum ego nutribam Patriæ: jam reddidi; & urbi.
Hac reor, infenſum placabit victima Numen.
Dixit, & extemplò ad convivia cœpta revertit.
O ingens anime! ô fato inſuperabile pectus!

Digna

Digna erat hac ſcribi Bruti ſub numine virtus,
Ni foret Alphonſi, moresque referret Iberos.

Amor in patriã ſingularis. Alphõſi præconium. De Lucano judicium.

Vix Janus abſolverat, cùm tacita admurmuratione, patuit judicium multitudinis: Nempe ut quiſque de Lucano opinionis anticipatione ſentiebat (ſentiebat autem adeò diversè, ut alii ſummum, aut ſummo proximũ, alii infra infimum recenſerent) ita quoque auditum carmen variè extollebatur, arguebaturq;. in hoc tamen, plerique conſpirabant, atque ita de Lucano universè ſtatuebant: ingenium ei eſſe oppidò magnũ, ſed contumacius, quam ut arte regi poſſet; dictionem ingenio parem, animoſam, peracutam, eruditam: at inamœnam, tragiceq; feralem, & quæ neſcio quas turbas amet, famæque magnæ malit eſſe, quàm bonæ. uno verbo Lucanum eſſe, qui primus inclinaſſe ſtylum auſus ſit. At Sadoletus, nihil ultrà cunctatus, Petro Bembo, qui propter Parrhaſium ſedebat, ſignificavit ut diceret. Cui Bembus; Habeo gratias, Sadolete, quòd Lucretium evocaveris poſt Lucanum: ut quid interſit inter natos Romæ Poëtas, & Ro-

Petrus Bẽbus.

Romana civitate donatos paucis verſibus palam fiat. Quamquam Lucretius comparatione iſta, qua ſibi gloriam quæreret, haud egebat. Atque ut argumento ludam non inani, eos, qui mecum in eadem navi jactantur ſcribendis epiſtolis, rationem expeditiſſimam docebo abſentes admonendi nullis eò miſſis tabellis, nullis tabellariis. res ita ſe habet.

Lucretij ſtylus.

MAGNESI genus eſt lapidis mirabile, cui ſi
Corpora ferri plura ſtyloſve admoveris; inde
Non modò vim, motumque trahent, quo ſemper ad Vrſam,
Quæ lucet vicina polo ſe vertere tentēt:
Verùm etiam mira inter ſe ratione modoque
Quotquot eum lapidem tetigêre ſtyli, ſimul omnes
Conſpirare ſitum motumque videbis in unum,
Vt ſi fortè ex his aliquis Romæ moveatur,
Alter adhuc motum, quamvis ſit diſſitus longè
Arcano ſe naturai fœdere vertat.

Ferrei ſtyli tacti à magnete ſervantes mutuum motum diſtracti diſtantesque.

Ergo age, ſi quid ſcire voles, qui diſtat, amicum,

Ad

Ad quem nulla accedere poſſit epiſtola; ſume | *Planus orbis litteris circumſcriptus*
Planum orbem patulumq́;, notas elementaque prima
Ordine, quo diſcunt pueri, deſcribe per oras
Extremas orbis: medioq; repone jacentē,
Qui tetigit magneta, ſtylum; ut verſatilis inde
Litterulam quamcumq; velis, contingere poſſit.
Hujus ad exemplum, ſimili fabricaveris orbem
Margine deſcriptum, munitumque indice ferri,
Ferri, quod motum magnete accepit ab illo.
Hunc orbem diſceſſurus ſibi portet amicus,
Conveniatq; priùs, quo tempore, queiſve diebus | *Ratio alloquendi abſentem abſque nūcio & epiſtola*
Exploret, ſtylus an trepidet, quidve indice ſignet.
His ita compoſitis, ſi clàm cupis alloqui amicum,
Quem procul à tete terrai diſtinet ora;
Orbi adjunge manum, ferrum verſatile tracta:
Hic diſpoſta vides elementa in margine toto:

Queis opus ad verba notis, huc dirige ferrum,
Litterulaſque, modò hanc, modò & illam cuſpide tange,
Dum ferrum per eas iterumq́; iterumque rotando,
Componas ſingillatim ſenſa omnia mentis.
Mira fides. longè qui diſtat cernit amicus
Nullius impulſu trepidare volubile ferrum,
Nunc huc, nunc illuc diſcurrere: conſcius hæret,
Obſervatque ſtyli ductum, ſequiturq́; legendo
Hinc atque hinc elementa, quibus in verba coactus
Quid ſit opus ſentit, ferroq́; interprete diſcit.
Quin etiam cùm ſtare ſtylum videt; ipſe viciſſim
Si qua reſpondenda putat ſimili ratione
Litterulis variè tactis, reſcribit amico.
O utinam hæc ratio ſcribendi prodeat uſu.
Cautior, ut citior properaret epiſtola, nullas
Latronum verita inſidias, fluvioſve morantes.

Ratio reſpondendi eodem modo.

Commoda hujus inventi.

Ipſe

Ipſe ſuis Princeps manibus ſibi conficeret rem:
Nos ſoboles ſcribarum emerſi ex aquore nigro,
CONSECRAREMVS CALAMVM MAGNETIS AD ORAS.

De Lucretio judiciū.

Finierat: aſſenſuque ferè omnium non tā Lucretius probatus eſt, quàm calliditas Bembi commendata, qui lepido illo documento ſopierit auditorum mentes, abſtraxeritque ab ea ſtyli ſimplicitate numeriſq; penè ſolutis atque innumeris, quibus nihil profectò fuiſſet ingratius, ſi ſoli propinati eſſent. Apparebat tamen doctiores paulo aliter ſentire, atque affirmare ID PROPRIUM eſſe Lucretio, ut ſemper aliquid agat, & doceat: ac propterea docenti orationem illam aptiſſimam eſſe, eorumque palato, QUI ROMANE ſapiunt, ſuaviſſimam videri. Quòd ſi aut materiæ difficultas, aut ſtudium antiquitatis hominem non fefelliſſent, Lucretiano carmine nihil ſane futurum fuiſſe perfectius. Ad Bembi latus aſſidebat Balthaſar Caſtilionius: in quem intuens Sadoletus; Ex te inquit, Claudianum expectamus, ut vides, Caſtilioni.

Balthaſar Caſtilionius.

Tunc ille, ut erat ad omnem urbanitatem aulicamque pompam unicè factus, ſalutata officioſè auditorum corona; Si Poetis, inquit, gratia conciliánda eſſet à patria, quod Bembus exiſtimavit, prodeſſet hodie Claudiano perhonorifica tranſlatio in Florentinū nomen. præſertim cùm NAſci alicubi fortunæ ſit, adoptari verò virtutis. Sed vos, quoniam laudes hominum, non gentium quæritis, quo loco patriaq; ſit digna Claudiani virtus, ex hac una Philomelæ, ac citharœdi concertatione, cui nuper ipſe interfui, judicate.

Ob Leoniē Pontificem.

Claudiani ſtylus. Fidicen. Philomela.

IAM Sol à medio pronus deflexerat orbe
Mitiùs è radiis vibrans crinalibus ignem.
Cùm fidicen propter Tiberina fluenta ſonanti
Lenibat plectro curas, æſtumq́ levabat
Ilice defenſus nigra ſcenaque virenti.
Audiit hunc hoſpes ſylva Philomela propinqua,
Muſa loci, nemoris Siren, innoxia Sirē,
Et propè ſuccedens ſtetit abdita frondibus, altè
Accipiens ſonitum, ſecumque remurmurat, & quos

Ille modò variat digitis, hæc gutture reddit:
Senſit ſe fidicen Philomela imitante referri,
Et placuit ludum volucri dare. plenius ergo
Explorat citharam, tentamentumque futuræ
Præbeat ut pugnæ, percurrit protinus omnes
Impulſu pernice fides. Nec ſegnius illa
Mille per excurrens variæ diſcrimina vocis
Venturi ſpecimen præfert argutula cantus.
Tunc fidicen per fila movens trepidantia dextram,
Nunc contemnenti ſimilis diverberat ungue
Depectitque pari chordas & ſimplice ductu:
Nunc carptim replicat, digitisque micantibus urget
Fila minutatim, celerique repercutit ictu.
Mox ſilet, Illa modis totidem reſpondet, & artem
Arte refert. Nunc ceu rudis, aut incerta canendi
Projicit in longum, nulloque plicatile flexu
Car-

Fidium exploratio.

Par Philomelæ reſpõſio.

Ad Hiſpaniæ citharæ modum. Minuritio.

Par Philomelę reſponſio.

VSQVE adeò & tenues animas ferit æmula Virtus.

de Claudiano judiciũ. Enimverò dicentem ingens Aulæ plauſus excepit, acclamatumq; BELLE, ingenioſè, ſuaviter: mox etiam ſingula diſtinctè laudata. Prima Claudiani virtus pleriſque viſa, argumentum oculis expoſitum, resque ipſæ verbis adæquatæ multos canorum illud in verſu, tractusque nullo ſyllabarum ſeſe cædentium hiatu volubilis mirificè tenuit. fuêre qui vana mirantes, ſimilitudinem neſcio quam affinitatemqne Etruſcæ Poëſeos in Claudiano reperirent, atque Italiciſſantem amarent, dignumque vel hoc nomine cenſerent, qui ab Etruſcis adoptatus fuiſſe diceretur. ridentibus ad hæc judicia nonnullis, & infuſam Latio peregrinitatem ſtyli, numerorum æquabilitatem (quam tamẽ Caſtilionius hic temperaſſet) ſatietatemq;, ſententiarum ambitonem ac pompam ſeriò libereque damnantibus. *Hercules Strozza.* Interea Sadoletus ad Herculem Strozzam converſus joco & urbanitate Caſtilionio proximum, commẽdatione verò paterni in re poëtica nominis etiam ſuperiorem; Age; inquit Hercules Strozza, & Ovidii perſonam,

ſonam, quam tibi Titus pater impoſuit, ſuſtine ut Herculem decet educatum in gremio Muſarũ. Cui Strozza; Contendam, inquit, & ut ſpero, tua præſertim auditorumque fultus humanitate ſuſtinebo. Atque ut me ad Ovidii fingam non modò phraſim, ſed etiam mentem, dicturus de Chryſomagnete ſeu lapide aurum attrahente, non ferrum, cauſam huiuſce virtutis à poëtica Metamorphoſi deduco in hunc modum:

FORTE mihi puero putei ſuper ore ſedenti Ovidii ſtylus.
Annulus exciderat, nec erat ſpes ulla legendi;
Cùm pater è filo lapidem demittit in undas
Prædatorẽ auri: ſubitoq; excitus ab imo
Annulus accurrit fundo, lapidique cohærens
Tanquam hamo piſcis, ſummas effertur in auras.
Talia mirantem pater occupat. Accipe cauſam Vis Chryſomagnetis.
Nate, ait, & lapidem (non longa eſt fabula) noſce.
Deucalion & Pyrrha (genus mortale duobus
In quibus omne fuit quondam, & duo turba fuerunt)

Romana civitate donatos paucis verſibus palam fiat. Quamquam Lucretius comparatione iſta, qua ſibi gloriam quæreret, haud egebat. Atque ut argumento ludam non inani, eos, qui mecum in eadem navi jactantur ſcribendis epiſtolis, rationem expeditiſſimam docebo abſentes admonendi nullis cò miſſis tabellis, nullis tabellariis. res ita ſe habet.

Lucretij ſtylus.

MAGNESI genus eſt lapidis mirabile, cui ſi
Corpora ferri plura ſtyloſve admoveris; inde
Non modò vim, motumque trahent, quo ſemper ad Vrſam,
Quæ lucet vicina polo ſe vertere tentēt:
Verùm etiam mira inter ſe ratione modoque
Quotquot eum lapidem tetigêre ſtyli, ſimul omnes
Conſpirare ſitum motumque videbis in unum,
Vt ſi fortè ex his aliquis Romæ moveatur,
Alter adhuc motum, quamvis ſit diſſitus longè
Arcano ſe naturai fœdere vertat.

Ferrei ſtyli tacti à magnete ſervantes mutuum motum distracti diſtantesque.

Ergo age, ſi quid ſcire voles, qui diſtat, amicum,

Ad

Ad quem nulla accedere poſſit epiſtola; ſume
Planum orbem patulumq; , notas elementaque prima
Ordine, quo diſcunt pueri, deſcribe per oras
Extremas orbis: medioq; repone jacentẽ,
Qui tetigit magneta, ſtylum; ut verſatilis inde
Litterulam quamcumq; velis, contingere poſſit.
Hujus ad exemplum, ſimili fabricaveris orbem
Margine deſcriptum, munitumque indice ferri,
Ferri, quod motum magnete accepit ab illo.
Hunc orbem diſceſſurus ſibi portet amicus,
Conveniatq; priùs, quo tempore, queiſve diebus
Exploret, ſtylus an trepidet, quidve indice ſignet.
His ita compoſitis, ſi clàm cupis alloqui amicum,
Quem procul à tete terrai diſtinet ora;
Orbi adjunge manum, ferrum verſatile tracta:
Hic diſpoſta vides elementa in margine toto:

Planus orbis litteris circumſcriptus

Ratio alloquendi abſentem abſque nũcio & epiſtola

Queis opus ad verba notis, huc dirige ferrum,
Litterulasque, modò hanc, modò & illam cuſpide tange,
Dum ferrum per eas iterumq́ iterumque rotando,
Componas ſingillatim ſenſa omnia mentis.
Mira fides. longè qui diſtat cernit amicus
Nullius impulſu trepidare volubile ferrum,
Nunc huc, nunc illuc diſcurrere: conſcius hæret,
Obſervatque ſtyli ductum, ſequiturq́ legendo
Ratio reſpondendi eodem modo. *Hinc atque hinc elementa, quibus in verba coactis*
Quid ſit opus ſentit, ferroq́ interprete diſcit
Quin etiam cùm ſtare ſtylum videt; ipſe viciſſim
Si qua reſpondenda putat ſimili ratione
Litterulis variè tactis, reſcribit amico.
Commoda hujus inventi. *O utinam hæc ratio ſcribendi prodeat uſu.*
Cautior, ut citior properaret epiſtola, nullas
Latronum verita inſidias, fluvioſve morantes.

Ipſe

Ipſe ſuis Princeps manibus ſibi conficeret rem:
Nos ſoboles ſcribarum emerſi ex æquore nigro,
CONSECRAREMVS CALAMVM MAGNETIS AD ORAS.

De Lucretio judiciũ.

Finierat: aſſenſuque ferè omnium non tã Lucretius probatus eſt, quàm calliditas Bembi commendata, qui lepido illo documento ſopierit auditorum mentes, abſtraxeritque ab ea ſtyli ſimplicitate numeriſq; penè ſolutis atque innumeris, quibus nihil profectò fuiſſet ingratius, ſi ſoli propinati eſſent. Apparebat tamen doctiores paulo aliter ſentire, atque affirmare ID PROPRIUM eſſe Lucretio, ut ſemper aliquid agat, & doceat: ac propterea docenti orationem illam aptiſſimam eſſe, eorumque palato, QUI ROMANE ſapiunt, ſuaviſſimam videri. Quòd ſi aut materiæ difficultas, aut ſtudium antiquitatis hominem non fefelliſſent, Lucretiano carmine nihil ſane futurum fuiſſe perfectius. Ad Bembi latus aſſidebat Balthaſar Caſtilionius: in quem intuens Sadoletus; Ex te inquit, Claudianum expectamus, ut vides, Caſtilioni.

Balthaſar Caſtilionius.

Tunc ille, ut erat ad omnem urbanitatem aulicamque pompam unicè factus, ſalutata officioſè auditorum corona; Si Poetis, inquit, gratia conciliandа eſſet à patria, quod Bembus exiſtimavit, prodeſſet hodie Claudiano perhonorifica tranſlatio in Florentinũ nomen. præſertim cùm NASCI alicubi fortunæ ſit, adoptari verò virtutis. Sed vos, quoniam laudes hominum, non gentium quæritis, quo loco patriaq; ſit digna Claudiani virtus, ex hac una Philomelæ, ac citharœdi concertatione, cui nuper ipſe interfui, judicate.

Ob Leonẽ Pontificem.

Claudiani ſtylus. Fidicen. Philomela.

IAM Sol à medio pronus deflexerat orbe
Mitiùs è radiis vibrans crinalibus ignem.
Cùm fidicen propter Tiberina fluenta ſonanti
Lenibat plectro curas, æſtumq; levabat
Ilice defenſus nigra ſcenaque virenti.
Audiit hunc hoſpes ſylvæ Philomela propinqua,
Muſa loci, nemoris Siren, innoxia Sirẽ,
Et propè ſuccedens ſtetit abdita frondibus, altè
Accipiens ſonitum, ſecumque remurmurat, & quos

Ille

Ille modò variat digitis, hæc gutture reddit: Fidium exploratio.
Senſit ſe fidicen Philomela imitante referri,
Et placuit ludum volucri dare. plenius ergo
Explorat citharam, tentamentumque futuræ
Præbeat ut pugnæ, percurrit protinus omnes Par Philomelæ reſpõſio.
Impulſu pernice fides. Nec ſegnius illa
Mille per excurrens variæ diſcrimina vocis
Venturi ſpecimen præfert argutula cantus.
Tunc fidicen per fila movens trepidantia dextram,
Nunc contemnenti ſimilis diverberat ungue
Depectitque pari chordas & ſimplice ductu: Ad Hiſpaniæ citharæ modum.
Nunc carptim replicat, digitisque micantibus urget Minuritio.
Fila minutatim, celerique repercutit ictu. Par
Mox ſilet, Illa modis totidem reſpondet, & artem Philomelę reſponſio.
Arte refert. Nunc ceu rudis, aut incerta canendi
Projicit in longum, nulloque plicatile flexu Car-

Carmen init, ſimili ſerie, jugiq; tenore
Præbet iter liquidum labenti è pectore voci:
Nunc caſim variat, modulisque canora minutis
Delibrat vocẽ, tremuloq; reciprocat ore.
Miratur fidicen parvis è faucibus ire
Tam varium, tam dulce melos: majoraque tentans
Alternat mira arte fides: dum torquet acutas,
Inciditque; graves operoſo verbere pulſat,
Permiſcetq; ſimul certantia rauca ſonoris,
Ceu reſides in bella viros clangore laceſſat:
Hoc etiam Philomela canit: dumque ore liquenti
Vibrat acuta ſonum, modulisque interplicat æquis;
Ex inopinato gravis intonat, & leve murmur
Turbinat introrſus, alternantique ſonore
Clarat, & infuſcat, ceu Martia claſſica pulſet.
Scilicet erubuit fidicẽ, iraq; calente,
Aut non hoc, inquit, refers Cithariſtria ſylva,

Fidium varia alternaque percuſſio.

Fidium omnium multiplex ac plena cõplexio.

Aut

Aut fracta cedam cithara. Nec plura locutus
Non imitabilibus plectrum concentibus urget.
Namque manu per fila volat, ſimul hos ſimul illos
Explorat humeros, chordaque laborat in omni,
Et ſtrepit, & tinnit, creſcitque ſuperbiùs, & ſe
Multiplicat relegens, plenoque choreumate plaudit.
Tum ſtetit expectans, ſi quid paret æmula contrà.
Illa autem, quamquam vox dudum exercita fauces Philomelæ reſponſure conatus.
Aſperat, impatiens vinci ſimul advocat omnes,
Nequicquam vires. nam dum diſcrimina tanta
Reddere tot fidium nativa & ſimplice tentat Sed impar.
Voce, canaliculisque imitari grandia parvis; Ejus obitus.
Impar magnanimis auſis, imparque dolori Vis æmulationis.
Dejicit, & vitam ſummo in certamine linquens
Victoris cadit in plectrum, par nacta ſepultrum.

VSQVE adeò & tenues animas ferit
æmula Virtus.

de Claudiano judiciũ. Enimverò dicentem ingens Aulæ plauſus excepit, acclamatumq; BELLE, ingenioſè, ſuaviter: mox etiam ſingula diſtinctè laudata. Prima Claudiani virtus pleriſque viſa, argumentum oculis expoſitum, reſque ipſæ verbis adæquatæ multos canorum illud in verſu, tractuſque nullo ſyllabarum ſeſe cædentium hiatu volubilis mirificè tenuit. fuêre qui vana mirantes, ſimilitudinem neſcio quam affinitatemqne Etruſcæ Poëſeos in Claudiano reperirent, atque Italiciſſantem amarent, dignumque vel hoc nomine cenſerent, qui ab Etruſcis adoptatus fuiſſe diceretur. ridentibus ad hæc judicia nonnullis, & infuſam Latio peregrinitatem ſtyli, numerorum æquabilitatem (quam tamẽ Caſtilionius hic temperaſſet) ſatietatemq;, ſententiarum ambitonem ac pompam ſeriò libereque damnantibus. Interea Sadoletus ad Herculem *Hercules Strozza.* Strozzam converſus joco & urbanitate Caſtilionio proximum, commẽdatione verò paterni in re poëtica nominis etiam ſuperiorem; Age; inquit Hercules Strozza, & Ovidii perſonam,

ſonam, quam tibi Titus pater impoſuit, ſuſtine ut Herculem decet educatum in gremio Muſarũ. Cui Strozza; Contendam, inquit, & ut ſpero, tua præſertim auditorumque fultus humanitate ſuſtinebo. Atque ut me ad Ovidii fingam non modò phraſim, ſed etiam mentem, dicturus de Chryſomagnete ſeu lapide aurum attrahente, non ferrum, cauſam huiuſce virtutis à poëtica Metamorphoſi deduco in hunc modum:

FORTE mihi puero putei ſuper ore ſedenti Ovidii ſtylus.
Annulus exciderat, nec erat ſpes ulla legendi;
Cùm pater è filo lapidem demittit in undas
Prædatorẽ auri: ſubitoq; excitus ab imo
Annulus accurrit fundo, lapidique cohærens
Tanquam hamo piſcis, ſummas effertur in auras.
Talia mirantem pater occupat. Accipe cauſam Vis Chryſomagnetis.
Nate, ait, & lapidem (non longa eſt fabula) noſce.
Deucalion & Pyrrha (genus mortale duobus
In quibus omne fuit quondam, & duo turba fuerunt)

Vt

Vt reparent populos, ſua poſt veſtigia juſſos
Projiciunt lapides: lapides ceu ſemina frugum
Molleſcunt, inque oſſa virum mutantur, & ora.
Quamquam homines aliqui nondum digeſta videntur
Effigies, & adhuc retinent de marmore multum,
Duritiaque docent; quæ ſint ab origine nati.
Iam nova creſcebat ſoboles, & cura trahebat
In diverſa animos; nam prout cecidêre per undas,
Aut per agros lapides, aut per ſpelæa ferarum
Aut propter montes ferrique aurique feraces;
Sic genium traxêre loci. venatibus ille
Indulget, terram colit hic, illi æquora ſulcant,
Hi ferri venas, aurumque per omnia quærunt,
Et ſceleris quærunt, mortiſque per omnia cauſas.
Tunc verò hæc oculis invitamenta malorum
Abduxit Natura parẽs, & intima terræ
Viſcera

Cur aliqui durioribus moribus

Vnde morum varietas.

Viſcera contraxit, Maneſque removit ad imos. *Avaritia.*
Sed tamen huc quoque deſcendit furioſa cupido,
Abdita rimatur, terramque eviſcerat omnem.
Scilicet indignato homini Natura. quis ultrà
Finis erit, dixit? tellus exhauſta metallis
Antè gemet. quàm dira fames ſaturata quieſcat.
Dum loquitur, mentem magneſia vertit in arva,
Et puduit vertiſſe. videt molimine lōgo
Inſtantes operi, defoſſiq; ultima mundi
Scrutantes arcana, & opes (ſua damna) petentes:
O PRONA in terram, clamat, perituraque turba
Quodque ſibi fodit prope Tartara, digna ſepulchro
Dixit, & irato tremefecit Numine terram,
Oppreſſitque viros, & gleba immiſcuit artus *Converſio cadaverum*
Quam malè tractabant per aperta pericula glebam. *in magneſia*
Quin flamma è ſtigiis, ut erat vicina, cavernis *ſaxa.*

Illam

Illam membrorum terraque ſine ordine maſſam
Fumida corripuit, coctamque in ſaxa coëgit:
Vnde color, ſpecies & adhuc ſemiuſta remanſit.
Nec tantùm color; at vivos quæ torſerat olim
Magnetes, etiam lapides ſenſuque carentes
Tangit avaritia: utque aurum, ferrumve legentes
Oppreſſit fatũ; ſic ipſa cadavera prædã
Quæque ſuam agnoſcunt, geminaque cupidine fervent
Et trahit hic ferrum Magnes, ille attrahit aurum.
Tunc ego ad hæc patris ridens miracula; Sanè
Quàm metuo, dixi, quando aurum poſcimus omnes,
Ne genus humanum ſaxa in magneſia migret.
Sic me fabellis pater oblectare ſolebat.

De Ovidio judicium. Strozziæ gentis laus.

Conticuit, apparuitque illo concionis applauſu, quid ſtudia, quid judicia valerent. Etenim alii quia Herculis indolem, fatalemq; in ea familia poëticæ laudem admirarentur, ac jam tũ præſagirent animo, fore ut apud eam gentem

gentem (id quod hodieque abundè videmus) Apollinaris haud unquam laurus exareſceret; aliquantò proniùs in Ovidium ferebantur. alii Ovidiana jam pridem facilitate capti, factique ad illam, quidquid ad eam normam, ex eaque officina prodiret, id unicè probant. Et ſanè licet ex hiſce laudibus exciperent multi non pauca; pluribus tamen ſuffragiis evictum eſt; INGENIOSI nomen Ovidio tribuendum: dictionem verò, quæ nonnemini tanquam in triviis invenienda vileſceret, eſſe nimirum ex eo genere rerum, quas OMNES inveniant inventas: poſtremò concluſum, Ovidio cùm in vita, tum in verſu nihil magnopere objici poſſe præter ingenium ſuum, cui ſe moderari, quàm indulgere maluiſſet, næ ille feliciùs ſoboli ſuæ proſpexiſſet & ſibi. Hinc invitatus à Sadoleto Pontanus, doluit mortali voce Statium eſſe referendum, qui aut ſuo, aut Apollinis ore deberet audiri. nihil tamen Statii perire dixit, dum referebatur potiùs, quàm audiebatur, cùm Statianæ magnificentiæ proprium ſit, ut nequeat cujuſquã in ore vileſcere. Idq; oſtenſurum ſe narratione pugnæ, quam

Iovianus Pontanus.

Luſi-

Luſitanus Germanusque milites de bellica laude certantes inière in obſeſſæ Viennæ defenſione. Hanc ille pugnam ad Statiani carminis legem ita exorſus eſt.

Statii ſtylus. Halitus animò corporisque.

IAM ſteterant ambo viſuri judice ferro,
Luſtadane magis præſtent, an Teutones armis,
Largus uterque animæ, ſpes huic cum corpore creſcit,
Illi decreſcit contracta in mole tuendi
Cura ſui, multumq; videt quod in hoſte laboret.
Iamque manu ferale rubens effulſerat enſis,
Extremosque artus animoſum frigus habebat;
Cùm ſubitò à tergo creſcit fragor, armaque miles,
Arma, ſubit muros, & portas ſubruit hoſtis,
Vrbem bellum intrat. Convertit lumina Teuton,
Scandentemque videt ſuperantemque ardua Thracem
Mœnia, vexillumque manu lunare gerentem.
Stat dubius cui bella ferat, cui differat iram.

Luſia-

Luſiademque tuens, & amaro nubilus ore,
Eripit, exclamat, mihi te fortuna: videres
Vane, quid hoc poſſet (ſineret modò patria) ferrum.
Alter ad hæc anceps & formidabile ridens.
Enſe darem (& ſoleo) reſponſa libentiùs, obſtet
Ni commune malum. ſed quid malè perdimus horas? *Ratio virtutis oſtendẽda.*
Vis hanc murorum partem, qua nititur hoſtis,
Tutemur ſoli ſpectet Germania pugnã
Gratiùs, Odryſiusq; expertus cædeſuorũ
Iudiciũ noſtri ferat, indoleatq; ferendo.
Sic placet: amplexique ambo ſe in mœnia ſaltu *Luſitani facinora in urbis propugnatione.*
Proripiunt, agmenq; ipſi gemini agminis inſtar
Incurſant celeres, lævo ſe tramite flectit
Luſiades, Threſſæque locantem inſignia Lunæ
Occupat adverſum, reſupinatumque remittit:
Cui comites jubet ire alios, aut enſe reciſos,
Aut fractos clypeo, aut occurſu pectoris ictos.

Nec

Germani facta non minora.

Nec minùs intereà dextro de culmine Teuton
(Æmula quem virtus acuit, ſuaque admonet ira)
Projicit obſtantes, ſubeuntesque opprimit hoſtes,
Obliquosque rotat procumbentesq́; revulſis
Inſequitur ſaxis, & mœnia mœnibus arcet.
Ecce autem dum tota acies in Teutona rumpunt,
Plumbeus atque unum circa conſumitur imber;

Vulnus Germano illatum.

Horrendas inter flammáque & murmure glandes
Trajectus clypeo, fumantique ære ſiniſtra
Protinus avulſa, ſopitus concidit ictu.
Advolat extemplò lætusque & turbidus idem
Luſiades, ferroque hoſtes procul arcet ab hoſte.

Luſitani auxiliantis fortitudo.

Ipſe ſubit totam pugnæ nubem, ipſe cadentum
Saxorumque pilarumque imbre involvitur, VNVS
PAR BELLO, ET BELLO NON EXPVGNABILIS VNVS.
Et jam ſurgentem clypeo lævaq́; minorem

Hinc

Hinc dolor, inde pudor gemina ſace in arma remittunt
Teutona; cùm lethale volans trajecit arundo
Luſiadis dextram, gladioque affixit: & ille
Hærebat capulo implicitus, haſtamque trabalem
Excepturus erat dorſo: ſed protinus illic
Teuton in gyrum ducto implacidiſſimus enſe
Submovet inſtantes, telumque in terga minantem
Obtruncat, galeamque rotat per nubila plenam.
Donec Luſiades telo extricatus, in arma
(Quamquam impar gladio dextra labente ferendo)
Advolat, & ſocio clypeatam accommodat iram.
Mutua res agitur, clypeo caret alter, & alter
Enſe caret, ſed Luſiadis ſub tegmine Teuton
Dum ſe defendit, dum magni Teutonis enſe
Pugnat Luſiades, unus ſeſe armat utroque:
Vnaque mens animat non diſſociabilis ambos.

Inflictũ Luſitano vulnus.

Mutuũ auxilium.

Stant nexi implicitique ſimul feriuntque dolentque,
Miſſus & unius de vulnere ſanguis utrumque
Sauciat, alteriuſque dolorem ulciſcitur alter.
Iamque cadaveribus latè, ſpoliiſque cadentum
Concluſi denſam præportant pectore ſylvam:
Fracti armis integris animis, A MORTE propinqua
Vim capiunt, iramque ſuam (nova tela) minantur.
Nam dum murorum quatefacto à culmine pendent,
Incerti qua parte cadant; cum mœnibus hoſtem
Invadunt, SEQVE, ET STRAGEM ſuper agmina portant.
Sic obeunt: ſuaque ÆQVATOS VICTORIA CONDIT.

Clades utriuſq; non inniti.

De Statio judicium.

Hæc Joviano concinente, illicò veteres ſuper Statio factiones exarſêre pugnaciter. Acclamare palam alii, veteriqúe forma, grande illud SOPHOS AC PAPÆ ingeminare. iſtuc eſſe heroicè demum dicere, ſeque ſupra cæteros oratione, ac fama ſuſtollere. alii nihil medii, modicique habere:

habere: gladiatoriam carminis immanitatem ludere, numerorum terricula ridere, ſeſquipoetam deſultorium appellare. pauci inter utroſque conſiſtere, remque ita partiri; in Statio plurimùm ſanè poetici coloris atq; ignis eſſe, ſed tantumdem etiam fumi, quo ſtyli candorem nonnihil infuſcavit: carminis majeſtatem Tyranno, quàm Regi propriorem videri: per nubes ire illum quidem, aut certè trahi, ſed inde ad terras non ſemel Icario exemplo deponi: denique Statium inter Poetas (id quod Alexander inter Heroas) MAGNAS VIRTUTES magnis vitiis adæquaſſe. Supererat, præter Camillum Quernum, Andreas Naugerius: qui cum videret expectari à ſe erecta prætermodum concione Virgilium, admonente Sadoleto ut diceret; nihil præfatus in laudem Vatis, quem eſſe aiebat extra omnem judicii aleam, ſed de ſua (ut apparebat) imitatione ſollicitus, argumentum propoſuit Avenionenſis puellæ tota Gallia longè pulcherrimæ, quæ ab Amalio Dynaſta per vim rapta, pudorem tutata ſuum dicitur in hunc modum. *Andreas Naugerius.*

INTEREA è laribus patriis, & pauperetecto *Virgilii ſtylus.*

Theutillam famuli abſtulerant, prædaque potiti
Ibant per noctem; & Domino ſpolia ampla ferebant.

Theutillæ raptus.

Quam miſer ut vidit, veneis namque hauſerat ignem
Altiùs, & nimium hærebat ſub pectore vultus,
Expedit amplexus, & amori immittit habenas.
Illa ſed, in tenera, quæ magnum ætate gerebat,
Regalemque animum, nulli tractabile pectus:

Ejuſdē in tuenda caſtimonia conatus.

Averſata virum: quamquam deprenſa tenetur,
Vt deprenſa gravi venantum indagine cerva;
Excutit amplexus, & turpia vincla reſolvit,
Si qua viam vis inveniat. Stat pectore fixum
Antè mori, quâm ſacra Deo violare pudoris
Iura fidemque ſui, & fœdæ ſuccumbere flammæ.

Somnium.

Noctis erat medium; & ſomnus ſua Regna reviſcens
Amalium cura feſſum, vinoque gravatum

Acceſſit

Acceſſit prope (ſic Superi voluiſtis) & illum
Lethaa mulſit medicati aſpergine rami.
Terque recuſanti mutantia lumina clauſit.
At non, ſollicita eventu Theutilla futuro
Solvitur in ſomnum: ſed enim vigil omnia luſtrat,
Si ſpes ulla fuga, vino dum languidus alter,
Et captus ſomno poſuit caput. at loca latè
Clauſa videns, lacrymiſque genas perfuſa decoras,
En quid agam? (aiebat) rurſumne in pralia, rurſum *Querela ejuſdem & lacryma.*
In fluctus, juvenis ſceleri devota reſervor?
Heu pudor infelix, & FORMA INIMICA PVDORI!
Hactenus eluſi laqueos, vim viribus exii
Sciſſa comas, lacera ungue genas, & dentibus ora;
Pura tamen ſceleris,
At nunc majus opus ſupereſt mihi. vicimus hoſtem
Nempe mero victum: quid cùm vigilaverit, & ſe

 Eluſum

Eluſum agnorit; quo te virguncula niſu
Expedies, & robuſto pugnabis amori?
Tu Superum Regina, nives cui pectoris hujus
Servo libens, tu Diva meo ſuccurre dolori.
Dixit, & Amalii ſupra caput aſpicit enſem
Suſpenſum thalamo: conſpectu protinus illo
Neſcio quid menti magnum ſubit, atque, ſalutem *Subitũ conſilium.*
Hicne mihi dabit enſis, ait, longoque Tyrannum
Componet ſomno? Furiis ita percita ferrum
Denudat, cœptiſque ingentibus effera Virgo
In juvenem fertur, cædiſque interrita ſignat
Antè locum; ſed dextra gelu tardata repentè
Abſtinet, & ſecum mota jam mente; Quid audes
Stulta, nec eventum reputas Theutilla futurum?
Pone animos; pone arma tuis non æqua lacertis.
Iamque recondebat ferrum, cùm ſævior intus

Ira

Ira iterum aſſurgit: jam cordi tota pudoris
Cura redit, jam multa animo IVDITTA recurſat. Exempli vis.
Impellitque manus, operiſque accendit amore.
Hoc placet exemplum: ſeque infert turbida lecto,
Et juveni crinem læva implicat, & ſimul enſem
Intorquens dextra; Dextram tu dirige, dixit, Puellæ facinus.
Non ignara mei victrix Hebræa laboris.
Sic jugulum connixa petit repetitque nec ultrà
Faucibus immerſum capulo tenus exigit enſem.
Illum expirantem famuli, & ſuprema gementem
Audivêre, ſimul furiata mente ruebant
Virginis in cædem:
Ipſe ſed exanimis, ſingultantique coërcens Mors Amalii.
Voce, oculiſque ſuos, Vos (inquit) parcite vitæ,
Parcere nam Superi ſic me voluere pudori.
Dixit, & hac moriens vitam cum voce reliquit.

Thcutillæ præconium.

Sed te Francigenas inter fortiſſima quondam
Nulla dies oblita premet: tuaque inclyta dextra,
ARGVMENTVM ingens patriæ virtutis, in ævum,
(Si tantum ſperare licet à carmine,) vivet:
IVDITTAMQVE SVAM FORTIS QVOQVE GALLVS HABEBIT.

De Virgilio judicium.

Hic nimirum excepto omnium benevolentia aſſenſuque Naugerio, itum eſt ex illo in Virgilii laudes, hominum potiùs admiratione, quàm plauſu: paucìſque, ſed concordiſſimè concluſum, QUÆ QUIS in Virgiliana dictione deſideret, non ea humano ingenio, ſed Poëſi deeſſe. Quamvis hic quoque non defuerint nigræ quædam animæ, quæ Virgilii verſus non rarò jacentes atque intermortuos, certè ſine vitio potiùs, quàm cum virtute, animo quidem ſuo videri muſſitarent. Quorum offenſus judicio Sadoletus, invitandum ſibi putavit Archipoëtam (præſertim cum is prætermitti non poſſet Leonis in villa) ut ſui demum ſapore carminis occurreret aliquorum ſtupori, quorum ſapientiſſimum ſcilicet

Camillus Querinus Archipoëta.

licet palatum auditi modò Poëtæ acerbitas hebetaverat. Ad quę Camillus, ut erat præſenti feſtivitate, comiter hilariterque ſubridens; Ego vero, inquit, ago tibi, Sadolete, gratias, qui me in hunc locum, quæ ea cumque ſit cauſa, reſervaveris. effeciſti enim, ſi neſcis, ut hujus uſura temporis ſubitarios verſiculos meos, nempe hoc ipſo die cum Sole in lucem editos, mecum ipſę retractaverim, eorumque lacunas aliquot (uti fit) nova interim æquatione ſuppleverim. Agite ergo, &, quod heſterno contigit die, dum Hadriani moles feſtis ſub veſperam ignibus Principi noſtro gratulatura fulmine repente tacta, ex inopinato miſſilium flammarum ludos edidit; id à me feſto quoq; feſtinatoque carmine, adumbratum vos accipite, ac mihi fabulam concludenti plauſum adornate. *Ejus ſubitariū ingeniū.*

NOX aderat tandem, & cœlum ex Cyclope diurno
Nocturnus tunc Argus erat; cum Roma feneſtris
Gaudia diſponens velarat tecta domorum
Torque Lucernarum, & collo ſuſpenderat alto

Archipoëtæ ſtylus. Nocturna lumina & ignes per urbem.

Verſicoloratis contexta monilia flam-
mis.
Quin etiam in triviis Cynici verſatile
tectum,
Et veteres Bacchi exuvias damnaverat
igni.
Moles Hadriani. *Vltima reſtabant Thuſcæ ſpectacula*
Molis,
Vnde ſuos contra cælum Romana Gi-
gantes
Ætna movere ſolet. magicæ hic mira-
cula dextræ
Cernuntur: calamus ſubitò nam tactus
in angues
Vertitur, ignivomos angues; rurſum-
que videbis,
Nil præter calamos ſupereſſe ex anguibus
illis.
Iamque propinquabat tempus: ſtudio-
que videndi
Quiſque oculos in ſublimem projecerat
Arcem.
Et jam concentu horrifico centum ora
canebant
Ferrea, multiplicesque exploſa metalla
ſonores,
Et tormenta dabant peracutos muſica
fatus.
Tormẽta bellica. *Ipſa autem querulo Moles paritura ge-*
mebat

Murmure,

Murmure, & ignita edebat ſuſpiria cælo.
Hæc inter cœpit obnubi nubibus æther. *Vera tonitrua.*
Orbari ſtellis orbes, veroque tonitru
Cælum indignari; Romæque indicere bellum.
Roma nec adſiſtit. dumque hinc atque inde tonabat,
Alterniſque choris cælumque ſolumque canebant;
Fallebat ſpectatores graviſſimus error,
Anne darent plauſum nubes, anne æra tonarent?
Cæleſti clauſum fureret ſub nube metallum,
An nubes fureret Romano incluſa metallo?
Ne multis, finem pugnæ cognoſcite mecum.
Non una eſt aliis erecta in turribus Arcis *Tubuli papyracei circa malos.*
Arbor arundineo frontem circumdata ſerto.
Germinat hæc numquam, niſi quando accenſa capillos
Explicat in flammas, calidamque è vertice ſylvam
Fundit, ramoſoſque expanditur arbor in ignes,

Ergo dum vero baubatur murmure cælum,
Scinditur in rupes, & aperto apparet ab ore
Lingua triſculca poli: cadit illa & fulminat Arcem,
Diſpoſitumque alta ſuccendit in arbore textum,
Arbor it in flammas, proque uno fulmine reddit
Fulmina mille, ſagittiferoſque irata maniplos,
Explicat, haſtatoſque ſuos, haſtaſque micantes
In cælum movet. at clypeo ſeptemplice cælum
Obſtat, & ad terras ea tela retuſa remittit.
Illa quidem redeunt, animaſque per aëra fundunt,
Sulphureas animas, crepitantique imbre queruntur
Victa mori, atque atro peragunt ſibi funera fumo.

Fortuita tubulorum conflagratio.

Vidimus hæc, Princeps, nuper ſpectacula, Cælo
Indulgente tibi. Cælum ſpectare ſolebat,
Tunc actor fuit, & ludos te Principe fecit.
Nempe tuas, Leo Magne, Pilas orbeſque decebat,

Aſſentatiuncula.

Cælum

Cœlum par opifex ut tormentarius eſſet,
Supremuſque tuis colluderet Orbibus Orbis.

De Archipoëta judicium.

Dixerat, ac theatrali ſcilicet hilaritate Aula perſtrepuit, ſæpiuſque repetitum, EUGE POETA. ſive id fieret Aulicorum ingenio Principi ubique blandientium, ſive conductis pretio acclamationibus, ſive quòd aliqui id ſeriò ſentirent, nec lapides interea pertimeſcerent. Certè tunc primùm in ea Vatum corona prodire eſt auſa, & tanquam in theatro judicium multitudinis experiri portentoſa illa Poëſis, quæ poſtea familiam duxit eorum, qui Camilliano exemplo Archipoeticè dicere inſtituerunt, in quos diſtricturus erat pro re nata ſtylum Sadoletus, cùm ecce repentino tubicinum cornicinumque clangore Manliana perſonare cœpit. quod etſi primò ad Camillum relatum eſt, quaſi diſpoſitis ejus gratiâ ſuccentivis tubis ante fores; tamen ubi nuncios adeſſe victoriæ à Pontificiis copiis relatæ in Ciſalpinis auditum eſt, tumultuante jam ac dilabente concione, Sadoletus, ne illi priùs audiendi finem facerent, quàm ipſe dicendi; ſurgit è ſuggeſto converſuſque

Dictionis Archipoëticæ initia.

Anceps judiciũ multitudinis. verſuſque properè ad ſuos; Bene habet, inquit: ite in hac publica lætitia, vos quoque Poetarum Proceres, & fortunatiſſimo Principi, cujus in domum Mars & Apollo opportunè conſpirant, Ciſalpinam victoriam, Muſarum nomine, gratulamini: judiciumque, quod apud multitudinem anceps experti eſtis, ab illo demum Leone, qui UNUS par eſt, theatrum ingeniis veſtris, certum atque etiam in hac gratulatione munificum expectate.

Hæc habuit Jacobus Sadoletus apud Poetas: hæc eadem nobis Alexander Burgius enarravit: ſic ille Academiæ ſuæ; hic controverſiæ noſtræ aliquando finem impoſuêre.

FINIS.

JANI

JANI BODECHERI
BENNINGI

SATYRICON,

In corruptæ juventutis mores corruptos.

PRÆFATIO

Ad Illuſtres Nobiliſſimoſque Viros,

FRANCISCUM AERSSENIUM, Equitem Auratum, Sommerſdijkæ Plátæque Toparcham, ac Status Fœderati Belgii Conſiliarium:

NICOLAUM CROMHAUTIUM, Toparcham Vryhovæ, Curiæ Hollandiæ, Zelandiæque Præſidem:

ET

ÆGIDIUM GLARGIUM, Toparcham in Eleſmes, Reipub. Harlemenſis Syndicum:

Academiæ Lugduno Batavæ
CURATORES.

SEmper quando humanas calamitates & mortalium flagitia contemplari ſoleo, Illuſtres Nobiliſſimique Viri, ſubit animum meum cogitatio, oportere, ut debitis laudibus in cœlum evehatur ille, cujus integram bonamque naturam illecebræ peccantium non corrumpunt. Vtpote quanquam nihil tam altè ſit poſitum, quò non virtus eniti valeat, tamen licenter agimus plerumq;, exempliſq; circumducti veram probitatis imaginem dediſcimus. Pecorum ritu ſequimur præcedentium greges, ac veluti in peſtilentiâ corpora noſtra inquinantur veneno, ita mentes commaculat

*maculat teterrima ſordes immanium vitio-
rum, quæ etiam tùm, cùm eorũ luto immerſi
ſumus, capitali odio averſamur. Suſpectam
potentiam, aut fulgorem nimium virtutis,
Athenienſes olim, cordati ceteroquin mor-
tales, exilio puniebant & nemo inter eos vi-
vere poterat, qui excelleret. Ita Themiſtocles,
ita Cimon, ita Ariſtides, innocentes animæ,
abacti fuerunt. Et tam ſpiſſâ ſæpenumerò cæ-
citate laborabant, tantoq; præjudicio erant
faſcinati, ut condemnarent aliquem, quia
alii illud æquum eſſe putaverant, neq; ullam
honeſtatis aut Iuſtitiæ, quam Iovis filiam
credidit veneranda antiquitas, haberent ra-
tionem. Vnde accidit quandoq; fuiſſe pulſos
ex urbe præſtantiſſimos heroas, quorũ ſi me-
rita prudenti judicii lance perpendiſſent, ta-
le quid vel cogitaſſent neutiquam, atq; de eo
deliberare duxiſſent crimen igni et aquâ ex-
piandum. In Ariſtide clarum hujuſce rei ſi-
mulacrum ſe nobis offert, licetq; conſpicere,
quemadmodũ in ſpeculo perverſam exulan-
di poteſtatem, quæ publicis comitiis per teſtã
denunciabatur. Sedebat in turbâ magna-
nimus Ariſtides, nullo flagitio infamis, niſi
quòd durum humanæ genti onus injiciebat
invidendâ ſuâ probitate: & ſedebat ſecurus,
exſpectans, quid de ſe pileata plebs decerne-
ret. Proximo loco Ruſticus erat ſtolidus val-
dè ac more ſuorum æqualium de ſapientiâ*

parum

parum ſolicitus, qui cùm fortaſſe benignæ naturæ munera in natali agello procreata ad mercatũ detuliſſet, ingenitâ curioſitate concupiit noſſe, quid in foro Attico fieret. Itaque poſteaquam nomen ſuum dederat, ad Ariſtidem quoq; teſtulã detulit, quò reum ſuffragio damnaret. Qui cùm an hominem vel de facie cognitum haberet interrogaſſet, negavit id inſulſus Agricola. verùm quoniam reliqui hoc arbitrabantur ſe in eandem ſententiam deſcendere. Pedarius Senator ille, vervex potiùs quam homo, colonias longè extra terminos Athenarũ uſq; ad hoc, in quo vivimus, ævum transfudit, fertili mediusfidiùs & fœcundo proventu. Siquidem multi etiam hodie aliorum, judicantes de hominum moribus, negligentiam malunt æmulari, quàm diligentiam adhibere, ut ipſi, quid ſit rectum perſpiciant. Publicus favor vultũ ſuum ab iis avertit, qui diverſum à populo tramitem premunt, imò Thetys omnibus ſuis fluctibus eos à criminis opinione nequit purgare. Hujuſmodi, quia non peccant, merentur famam peccati, & quia digni ſunt laudibus, vituperantur maximè, atque ignominiæ ſtigmata frontiſpicio inuruntur. Verùm etſi in omni ætate, qui rectè ſapiunt apud vulgũ contemtui habeantur, tamen nullibi magis, quàm inter illos, qui in lubrico adoleſcentiæ ſunt conſtituti, contingit vigere corruptã ſententiarum

tiarum atrocitatē. Etenim neq; flagitiū credunt ſcortari, potare, fores effringere, taliaq́; facere, quæ à lucifugis conſueverunt fieri, ſed præterea ludunt eos, qui hæc non imitantur, ac plus quàm fatales leges autumant, ſemel inſanire. Atque iſta ratio me impulit, cur in Iuvētutis vitia luſum inceptaverim, voluerimq́; referre, ac depingere tanquā in tabulâ, quæ quotidie perpetrātur. Aliis, magnis ſanè viris, alia jocandi quandoque occaſio oblata fuit, at mihi dū juvenis ipſe ſum, nihil placuit præter juveniles errores taxare. Cùm autē hoc, quod nunc feci, facere in animū inducebā, trepidè velare meum nomen cogitabā ſub Hermophili Tanugrienſis titulo, ut invidiam eorū declinarē, qui nimiùm in aliena ſcripta ſunt ingenioſi. Sed poſteaquam internum mihi teſtem advocaſſem, me dixiſſe quidē de vitiis, at perſonis peperciſſe, mutavi conſilium, & libellū hunccce fidenter clauſtra frangere fui paſſus. Tamē invenientur quidā male-feriati, qui plurima carpent, quæ nec capiunt fortaſsè, nec probant; quibus ut reſpondeam vobis arbitris, Viri Maximi, meâ intereſſe arbitror. Nimirū & Academia noſtra cura commiſſa eſt veſtræ prudentiæ, & me vigeſimo tertio ætatis anno ad publicā in eâ Profeſſionē vocare voluiſtis. Adeò ut præter communē cauſam, quare rationē reddere mei facti debeā, alia privata, quæ propriè ad

me pertinet, plus adhuc urgeat vos participes meæ deſtinationis efficere. Culpabunt ipſam vocem Satyrici, at infames erunt miſerrimæ paginæ, antequã vel ſemel ſint viſæ, quoniã minax inſcriptio ſimulatũ Sauream & Demeam ſuperciliofum promittit. Atq; excuſationẽ non audient, venuſtaſq; reprehenſionis à M. Catone in A. Albinũ profectæ videbitur ipſis in me mirificè quadrare. Scilicet is, cùm Romanas res oratione Græcâ celebraſſet, putaſſetq; neutiquã convenire, ut aliquis ſibi ſuccenſeret, ſi quid, natus in Latio, parũ compoſitè minuſve eleganter protuliſſet, ingens nugator eſt appellatus, quòd maluerit culpã deprecari, quàm omni culpâ carere. Quippe poſtulare veniã oportet, quando imprudentes erravimus, aut quando noxã cõmiſimus imperio compellentis. Me verò nemo perpulit ad Satyricũ ſcribendi genus, neq; Iudex ſum electus, ut tanquã in ſpeculâ ſingulorum mores curioſè inſpiciã. Dicam, quod pro me facere exiſtimo. Maledicendi mordacẽ pruriginẽ ita ſemper ipſe ſprevi, ut eos, quorum linguæ hoc modo ſunt tinctæ, relegãdos ducã, ubi plorare continuò cũ Heraclito addiſcant, neq; horã benigniorẽ unquã nanciſcãtur, quâ valeant ſibi voluptatẽ extorquere, ac petulanti ſplene ſonare cachinnos. Verùm ſi vitiorũ inimicitiã terroremq; movere non ſit conceſſum, tribunalia, templa, atq; hoc Lugdunenſe Palladium

dium erit claudendũ, neq; Ianus Patulcius illa ullo tẽpore debebit aperire. Quod pœnarũ metu conficit Magiſtratus, concionibus ad incautũ popellum ſanctiſſimi Eccleſiaſtæ, adhortationibus ſcientiarũ Doctores, hoc ego iſto Satyrico ſum conatus: nec reor me adeò quartâ Lunâ eſſe genitũ, ut mihi per jocos poteſtas denegetur, quã aliis ultrò & seriò capeſſere fraudi nequaquã vertitur. Nihil niſi ludo, riſuq; ingenuo admiſſus oberro circa ſcelerũ præcordia, atq; flagitiorũ turpitudinẽ defigo. Propoſiti mei eſt oſtẽdere nefas æſtimandũ in alienâ trutinâ ſeſe examinare, ac mores imbibere, quos turbida Iuvẽtus elevare novit. Et tales qui paſtillos, & tales qui hircũ olent, calamo ulciſcor, ſi flagitioſa compita frequẽtent, habitentq; accẽſi tetrâ libidine in luſtris intẽperantiæ, tranſigantq; diẽ ſomno, corporis oblectamentis noctẽ, quâ diffluant molli deliciarũ affluentiâ. Ceterùm quanquã neq; ab extis minùs lætis, neq; ab aviũ volatu cognoſcã, nihilominùs certò augurari poſſum, nõ fore ut hîc contineant impetũ ſuũ homines notiſſimæ temeritatis, qui accuſationem mei propter criminũ penuriam convitiis implebunt: Clamabunt palã, me propriã meam improbitatẽ detegere, dum Iuventutis mores carpo, quippe cùm fieri vix poſſit, ut is qui ſordibus ejuſmodi nunquã fuerit conſpurcatus hæc in mediũ producat. Atq; me ridentẽ quã-

doque

doq; verum loqui, mutatoq; nomine de me narrare fabulam audebunt aſſerere. Verùm hoſce, qui ita cucurbitæ geſtant capita, indignos judico, quibuſcũ verba conferã. Etenim neq; laudare meã debeo continentiam, neq; decet ut credã de memet ipſo, me penitus tenere poſſe vitæ meæ modũ. Venient etiã viri ſeverioris notæ, qui Romanã verborũ licentiam, & Macedonũ libertatẽ, quâ ſcapham ſcaphã vocare ſolent, nullâ ratione patiẽtur æquâ mente. Tabellã ſuſpendent meo capiti, citabuntq́; me ante Caſtitatis tribunal, cujus leges me eſſe prætergreſſum teſtabuntur. Et ſanè hiſce ego, hominibus tenerioris auditus, ſponte herbã donarẽ, ſi finẽ potiùs propoſuiſſem inficere honeſtas aures, quàm deterrere. De plano, citra figmenta mendaciorumq́; involucra rẽ aggredior, ac ea, quæ refero, ſic cõtemno, ſic increpanda ſumo, ut me nihil minùs, quã probare hoc propter quod exſultare videor appareat. Quãvis herculè magnorũ mortaliũ authoritas ad aliã ſcribendi faciẽ impellere potuiſſet, quâ Thalaſſionem verbis Thalaſſionis dicere haud erubeſcerẽ, & gravitatẽ deponerẽ ſtolati pudoris. Nobiliſſima autẽ & Illuſtria veſtra nomina, Summi Proceres, huic meo Satyrico præfigere volui, ut & lucẽ, quã ex ſe non habet, aliunde mutuaret, & quantum ego vobis obſtrictus vivã, ubiq́; fateretur. Si aliorum calumnias evitare non valeam,

valeã, concoquere deſtinavi ſtomacho verè Stoico, atq; manere contentus, dummodò veſtrũ favorẽ poſſim mihi conciliare: & invidiã facile ſuperabo, ſi vos benevolentiæ favonio benignè mihi aſpirare velitis. Veſtris in oculis ego adoleſcentiam meam tranſigo, & quemadmodũ prodigioſa Ægyptus narratur tanquã numina adoraſſe feles, canes, ſimias, ceteraq; monſtra deformitate ſuſpicienda, at tẽpla exteriùs exornaſſe concinnâ ſtructurâ precioſâq; lapidũ congerie, ſic quoq; ego, ipſe debilis pectoris mentiſque robore, veſtro me ſplẽdore velare ac obtegere conſtitui. In laudes vobis debitas, quas finitimi mirantur atq; colunt populares, non tranſibo: quia & tu, Aerſſeni eximie, tot legationibus ad Reges Populoſq; immortalẽ gloriã comparaſti, tuq; Crombauti prudẽtiſſime, dignitati magis tuæ es ornamento, quã quòd ornamentũ inde capias, ac præterea tu, placlare Glargi, in Harlemenſium Repub. ingentẽ inviolati animi famã es conſequutus. Adeò ut ſicuti omnes humanæ meditationes atque negotia ſub acumen ſtili compingi queunt, contrario prorſus modo vos virtute immunes ſitis tã à Satyræ dentibus, quã à præconiis, quæ merita exæquare poſſint. Nã nemo jure poterit accuſare veſtram probitatem amoremq; in patriam, aut ſatis ut oportet extollere. Lugd. Batav. ipſis Kalend. Febr. ClↃ IↃ C XXXI.

JANI

IANI BODECHERI
BENNINGI
Sive
HERMOPHILI
TANUGRIENSIS
SATYRICON.

QUIA liber ſum, neque virgarum laſciviam metuo in tergo ſervili, liberè eloquar quid ſentiam de hoc ſeculo. Regnat ubique nequitia, & in deterius res humanæ atq; in omne nefas labuntur. Etenim experiendo didici, paucos eſſe, qui, vitiorum inimici, rectum iter vitæ inſpiciunt. Quiſquis nomen à me quærit, meritò curioſæ malignæq; ſolicitudinis pœnas lueret, ſi illud reticerem; cùm indignanti ſtilo malos perfodere decreverim. Verùm quia nullius boni illudere famæ mihi eſt animus, ultrò me ipſum detegam: Hermophilus appellor. Patriam ſi quis ſcire deſideret, Tanugriam vocant: eſtq; regio ſoli fertilitate, amœnitate paſcuorum, leni fluminum ſuſurro, & blando aëre, cœliq; clementiâ valdè felix. Hanc olim habitabant homi-

nes, qui neque ſubdoli erant, neque vafri, ſed adeò à vicinarum gentium fraudulentis blanditiis alienati, ut nihil unquã in pectore clauſum haberent, quod linguâ occultabant. At nunc, dii boni, quanta facta rerum eſt mutatio! Defecit ingenuæ ætatis ſimplicitas, & precium bonæ conſcientiæ, cujus fiduciâ freti ad probitatis amorem olim ducebantur, putabantque, neq; loricam, neque gladium firmius munimentum eſſe homini, quàm inſontem ac liberum ab omni trepidatione animum. Quæ ipſe vidi, quæ feci, quæ paſſus ſum, poſterorum memoriæ relinquam, ut paternis flagitiis deterriti, ſi nondum omnem rejecerint pudorem, peccandi finem ſibi imponere poſſint, & repetere primordia virtutum.

Cùm primùm ad magna tendens ex ignorantiæ tenebris pedem moviſſem, & jam aliquid ultra ſcholaſticum pulverem ſaperem, urbem in quâ puer vixeram deſerui, inque aliam ſum delatus, quæ Caſtalium dicitur, ubi non properarem ad vota, ſed adoleſcentiæ rudimenta deponerem, atque aſſuefacerem modicis contentus eſſe, & ſumma poſſe tolerare, ſi benignior fortunæ aura faveret. Caſtalium autem, pulcherrima civitas, & non magis fœcundo glebarum cultu quàm

inge-

ingeniorum æſtimanda, ad excelſa honorum faſtigia viam monſtrare videbatur audentibus. Sed ego, poſteaquam appuli in eam, nec innocuas literarum delicias ſequi potui, nec amare bonam mentem: ita me fucata virtus à rectæ rationis tramite transverſum egit. Igitur primo die, circa medium, cùm jam punicantibus phaleris flagrantia ſolis arderet, cœpi per jucunda Caſtalii loca obambulare, & omnia luſtrare emiſſitiis oculis, quæ ſuſpenſus ſæpe totius orbis conſono ore celebrata audiveram. Verùm, dum ignarus viarum, quocunque ieram eodem reverterer, tandem fatigatus ac ſudore madens ad ampliſſimam domum perveni. Quatuor columnæ, per quatuor diſperſæ angulos, ſtatuas oſtentabant Palladis Deæ, quia urbem poſtquã illius libertatem, quam nemo vitâ dignus niſi cũ animâ amittit, defendiſſet armis, ſapientiæ fluctibus inundaverat, & Martis expulerat ferociam. Ipſa ædis extima fabrica aliquid divini monſtrabat prætereuntibus. Nam & roſcidi tegminis vertices aurea ſidera pulſabant, & continuata arborum ſeries lætiſſimam umbrã præbebat ambulantibus, & venerabile ſenio flumen argenteo alveo lambebat domus latera. Solus aſpectus admirabili

gaudio me perfundebat; arbitrabar enim non niſi craſſis oculis ac obſtinato corde inde tædii participem diſceſſurum.

Sed cum cuncta circumiviſſem, cruciabili deſiderio motus intus me recepi, ut aventem meum animum rerum novarum cognitione imbuerem. Illic ſenem vidi calvum, tuberosâ fronte, & tunicâ nigrâ non vulgari filo contextâ veſtitum, è ſublimi cathedrâ neſcio quos obſcuros quæſtionum nexus explicantẽ capillatis juvenibus. Apud quos poſtquam ego, prius flexu corporis ferè ad adulationem confiſto, conſediſſem, ſatagebam me implere laudabili ſucco eruditionis. Verùm cùm pedeſtris ſtili elegantiâ, atque ſubtilibus nodis mirificè delectarer, apparitor ſecuri ac faſcibus ſuperbus ingredítur, ad cujus conſpectũ auditores incondito petulantiq; pedum ſtrepitu finem diſſerendi impoſuerunt. At me novum Caſtalii civem, intermiſsâ declamatione, velut ex officio blandè ſalutans, ingens globus juvenum ſepſit. Qui cùm neque ex vultu meo, neque ex verbis ſigna intellectæ ſuæ petitionis deprehenderent, unus illorum jam antequã Caſtalium appellerem mihi notus, Damon nomine, ab aliorum conſortio me paullulum ſeduxit, ac quid factu opus foret edo-

ret edocuit. An ignoras, inquit, Hermophile, ſtatutam majorum placitis conſuetudinem poſtulare, ut ſodalium, quibuſcum vives, humanitati meritam gratiam referas? An neſcis primam tibi in hac civitate curam incumbere, ut proximos familiarium, ejusdemque natalis urbis conſortes ſpumanti calice aſpergas, atque libes Apollini Lauripotenti nocturnis Orgiis inverecundi Lyæi? O te miſerū! niſi me inveniſſes; ut te amanter agnitum amplecterer, atque ſævientis fortunæ minas à tuo capite inhiberem. Ego nec auguria intelligo, nec Mathematicorum cœlum inveſtigare novi, & tamen colligo divinatione infallibili, ſi non ſuaviſſimâ remiſſione animos ipſorum & linguas condias, & ſeram veſperam teras bibendo, nec tu ſecuræ te unquam quieti dabis, nec tuæ habitationis feneſtræ. Ideò ſi ſapere conſtituiſti, Hermophile, latam conſuetudinem, quam pro lege habemus, ſequi oportet: ſi deſipere, ſociorum ludibria exſpectare, & fortaſſe manus prurientes. Horrui ad tam acrem Damonis increpationem, & Gallicâ nive factus frigidior oravi veniam, atque rogavi ut ignoſceret lapſo, duceretque in ſemitam veteris moris, à quâ non malevolentiâ, ſed inſonti inſcitiâ
 con-

conſuetudinis deſciveram. Subriſit Damon ad meam ſimplicitatem, & ego, inquit, jam te pænæ eripui, adeò ut exiguũ tuum peccatum non ſinat te amplius periclitari. Fac modò quod te decet, ac ferè iratas humaniſſimorum ſodalium mentes blandâ oratione demulce, eosque ad pervigilium invita, quod venuſto Semeles puero conſecrabis. Vix continui in tanto meo caſu lacrymas, atque mihi fui gratulatus, quòd me meliorem ſuis exhortationibus callidiſſimus Damon feciſſet. Miniſtrantem autem famulum numeratâ pecuniâ ad macellum & œnopolium dimiſi, ut ea compararet, quibus cogentes convivas exciperem. Ipſe ſuſpenſo gradu ad hoſpites ire perrexi, ſingulosque eorum compellans, comem quidem in cunctis humanitatem reperi, ceterùm nemo ſe venturum negavit.

Iam diei ſenium in mare Solem præcipitabat, jamque geniales tenebræ ſenſim irrepentes, voluptatem ſuadebant, cùm properantes convivæ ad me acceſſerunt. Ego ſingulis porrectâ benignâ manu ſalutem dixi, quibus, donec menſa inſtrueretur, videbatur conſultum ambulare in priori ædium parte. Interim quidam picturas ad cultum Tanugriæ noſtræ receptum affixas parieti, tanquam in pinacothecâ

thecâ contemplari occeperunt. Sed nihil ipſorum oculos magis detinuit quàm Bacchi, cui nunc facere decreverant, effigies, quæ pingui corporis filamento, tuberoſiſſimoque ventre dolio inſidebat, ebriis Thyrſigeris & Mænadibus cincta, atque pocula rorantia pleno hauſtu ingurgitabat. Erant quoque qui in hiſce verſibus, quos ad oram tabulæ neſcio quis poëta poſuerat, hæſerunt.

Sum, Deus, & ſummi ſoboles Iovis, ecce caterva
Quæ mea pone legat veſtigia, quæque ſuperbos
Ante ferat greſſus, en quiſq; haſtilia circũ
Vincta gerit foliis, redimitaque tempora myrto.
Silenus ſenior, vino bene potus, aſello
Vix lentùm gradiente ſedet, vannumque ſcyphumque
Impletum dextrâ vitis de nectare geſtat.
Hinc duo dii cyſtam, quæ ſacris conſcia noſtris,
Supportant humeris; gemmataque pocula ſorbet
Ebrius ore Maron, Botrus, Staphilusque madentes
Vix bene procedunt: jacet & madefacta Lyæo
Prona Methe, gravis ipſa gravi collapſa ruinâ.

At mihi quæ patria ſedes ſub judice lis eſt.
Arabiæ in medio celebri notiſſima famâ
Nyſa jacet, natum hîc me fingunt eſſe, patriſque
Exutum femore, at quam mendax Graia vetuſtas!
Ad Rhenum mihi culta domus, quâ limen adivi
Luminis in terrâ primum, veſtigia paſſim
Hîc mihi certa manent, nec & hîc mihi deerit hoſpes,
Qui laudes magnumq́ meum memorabile nomen
Efferat, & torvum mihi caprum mactet ad aram.
Ac meritò: ambroſius liquor hîc, quo fabrica vaſti
Exultat mundi, catus Anglus, & accola Tibris
Italus, ac Rhodani potor, Maurusq́ repoſtus.
Quin pater ipſe meus, quos & tenet ætheris aula.
Ipſa quidē dulces opulenta Hiſpania ſuccos
Donat, & ipſa meo quoque munere Creta ſuperbit;
Nec neglecta jacet mihi Gallica terra, racemos
Nutrit & ipſa ſuos, ſed tu Germana coronā
Vva tenes meritam, meritò dominaris in omnes

Quot-

Quotquot ubique virent vites, Germania quin ſit
Patria terra mihi, Germane hoc cive triumpha.
Delius in Delo poſuit de cornibus aram,
Quæ tulit alma parens nemorum Dea: quin mihi pleno
Qui cornu & fruges, & vina liquentia dono,
Et ſimul, & ſolus, ſimilem Rheni accola ponat?
Quin & in hac poſitâ mihi libet frugis honorem?
Dum cadit incurvâ frumentum falce refectum,
Grataq; dum plenis ſpumat vindemia labris.

Bis coqui interpellaverant prolixũ carmen, monentes intempeſtivâ lectione corrumpi dapes, cùm ego meos hoſpites ad triclinium perduxi, ubi modica fercula manebant eorum hilaritatem. Jamque paullulũ ſaginati ſumus epulis, ac aliqua cœnæ quies intervenit, quando blandiſſimo vultu ad aurem meam Damon acceſſit; &, Nolo, inquit, tibi tam vehementer placeas, ut putes ſingulorũ convivarum amicitiam mediocri hauſtu nõ eſſe ſanciendam. Pudebat me officium meũ diſtuliſſe donéc à Damone increpa-

rer. Itaque me ipſum rogare cœpi, an poſſem tantum bibendi certamen inire: atque extemplò, quamvis animo reluctanti, plura pocula aut libavi, aut effudi in pavimentum. Interim laxabatur hoſpitum lætitia, cùm omnia ſpiſſiſſimo plauſu perſonarent, & mihi quoque necdum conſummata ebrietas tantùm non adimeret ſobrios pedes. Circa convivii autem exitum quidam ebrio ructu totam paropſidem evomebant, alii verò gravi veſtigio ne quidem domum ire poterant, ſed à crateribus revulſi incumbebant meo lectulo. Erant etiam qui importunâ morâ, & neſcio quo peſtilenti fumorum flumine, me penè ad ultimam cogebant indignationem. Etenim herbæ cujuſdam, quæ ſimul cum novo orbe nobis innotuit, ſiccata folia, inque exiguas portiones cultello dilacerata, terreæ tibiæ canali iudebant, & attractâ flammâ tartareum vaporem ſpirabant ex ore & naribus. Ego cùm aversâ facie tantas delicias auderem aſpernari, meorum convivarum quendam incitavi, ut magnâ animi contentione panaceæ iſtius dotes enarraret. Plantam dicebat eſſe, quæ noxios humores innato calori inſidiantes conſumat, & ſpiritum diutius corpori annectens falſitatis arguat Coum Senem,
quando

quando loquitur brevem vitam. Famem ſedare ac mederi immoderatis corporis doloribus affirmabat, imò non minùs lætitiæ datorem eſſe quàm Lenæum:

Qui mentem vitrei manante liquore racemi
Lenit, ut aſſumpto diffuſus nectare flocci
Cuncta putet, luctusq; omnes ſeponat, & ictus
Non timeat duros, nec fauces carceris altas,
Pectore nec mordens vulnus, nec mortis amictus.

At ego miratus fœtentes rivos, neque ſapere amplius potui, neque inſaniam meam abnuere inſanientibus. Igitur cùm à tam olidis bellariis mei convivæ ſurrexerunt, viſum illis diſcurrere per plateas, &, ut metum incuterent nocturnis graſſatoribus, quiſque gladio cinctus ſalutis ſuæ præſidia ſecum geſtabat. Verùm quoniam tenebræ oculorum aciem confundebant, horribilem clamorem ſuſtulerunt, &, ne quid deeſſet tam dulci harmoniæ, ſilices rubiginosâ enſium cuſpide adeò verberarunt, ut ignem exſpuerent, haud ſecus quàm iratus Iupiter, quando Cyclopum manu fabricata fulmina torquet in noxios mortales.

Tandem autem procedentibus nequi-

tiis ad diverſorium aliquod pervenimus: quod ingreſſi, ego tardè, imò jam ſeriò intellexi me in fornicem eſſe deductum. Nam poſteaquam acquievimus, recrudnitque inter ſocios potandi deſiderium, applicuit ſe meo lateri puella omnibus ſimulacris emendatior. Oculi morſicantes quavis ſtellâ clariores nitebant, frons lata erat, ſupercilia quaſi acu picta, nares retortæ, atque oſculum quale Veneris, quando blandiebatur Paridi, aut è conchâ ſurgebat, Manuum, menti, cervicis tantus candor, ut Phidiacum ebur ſuperaret. Inordinatus verò & non operoſus ornatus adhuc majorem addebat gratiã. Quippe uberes crines, leniter in genas ac faciem emiſſi, lineaque faſciola, ſororiantes papillulas de induſtriâ potiùs obumbrans quàm verecundiâ tegens, in crutiatum impatientis libidinis me pertraxerunt. Igitur arctius puellam complectens, preſſimque adhærens, baſium tuli, quod cœleſtem invidiã merebatur, atque omnem illius exploravi habitudinem, mentẽ ad Pygiaca ſacra intendens. Ignoſcite Catones cenſorii, habetis confitentem reum, qui & homo eſt, & adhuc juvenis, ac placebit vobis, ſi culpam emendare permiſeritis,

Dum inter Sirenum blanditias oble-

ctor,

ctor, vix tandem notavi ſociorum abitū. Etenim poſtquam aliquas noctis horas malè ſoporati conſumſerant, lenone, qui vim intentabat, verberibus caſtigato, diſceſſerunt, meque meos amores coegerunt relinquere. Neque ſtetit illic impetus, ſed efferâ jucunditate cuncta, quæ in iſtâ domo vitrea erant, luminis receptacula fœdè ſuis gladiis effregerunt.

Ad illud nocturnum murmur vigilum cohors acceſſit, & humaniſſimè ſuaſit, ut cubitum iremus. Verùm ſocii mei calumniis debacchati pugnæ ſe componebant. Itaque ut excubantes ad denegatum aliquandiu certamen compulſi ſunt, teretibus ſuis haſtis non perfunctoriè nos dedolarunt. Ego me quantum poteram tuebar, ſed auxiliatores ejuſmodi graſſationibus aſſueti, crebris molliti ictibus fugam capeſſunt, atque me crudeliter tradunt vigilum ludibriis. Illi cùm in ſolum tutiùs ſævirent, me cuſtodiæ mandandum cenſent, & ſiſtendum tribunali.

At ego in ignominioſo carceris ſqualore nihil aliud totâ nocte quam ubertim flebam, ingenti affectus triſtitiâ, quòd nuper Caſtalium venienti & lupanar, & captivitas dedecus inurerent: jamque forum ac mortis ſupplicium, jam ipſum carnificem mihi imaginabar. Nocte autem

tem diſcuſsâ ſub rubentis Auroræ diſceſſum, viſitarunt me heſterni mei convivæ, afferentes bonum animum, jubentesque contemnere ridiculum fortunæ luſum, qui Caſtalii incolas ſæpe ſolet laceſſere. Aut te impunitum, inquiunt, dimittent Iudices, aut nos audaci manu carceris fores laxabimus. Adhuc erant in minantiū labris dyræ, cùm intromiſſus eſt de juſſu magiſtratuum nuncius prolixiori barbâ metuendus, qui me ad ſanctiſſimum judicii ſacramentum perduceret. Ego velut piacularis victima, dejectis in terram, imò in inferos, oculis, per curiæ poſticum ad togatos patres procedo. Quibus cùm omnia ſimplici & verâ narratione faterer, mea innocentia fautores habuit, tamq; candidè facinus ad aures ipſorum pervenit quàm geſtum erat. Quippe confeſtim è carcere liberatus fui, ac à Senatus principe dignis increpationibus verberatus, ut deinde in me impedirem quod in aliis nequibam corrigere.

Ceterùm poſteaquam mei compos ſum factus, adoleſcentiam honeſtarum artium cultu tranſigere deſtinavi. Et cùm conſiderarem noxiis curarum vacuitatibus, præſertim in primæ ætatis terminis, animum reſolvi, tantamque eſſe naturæ humanæ infirmitatem, ut mentis vigor facilè

facilè ſit diſſociabilis; decrevi meam alacritatem, qua tam pronus eram in illecebras peccantium quàm in tranquillæ virtutis ardorem, trahere ad pulchritudinem ac ſpeciem excelſæ indolis. Quia verò intellexeram ſæpe deſuetudinem pigritiam, pigritiam veternum parere, & ingenium abditum in vagina deſidiæ hebetari torpore diutino, ſicut gladius rubiginem ſitu contrahit, cogitavi tardum eſſe differre quod emolumento ſit futurum. Igitur me continuò domum recipio, & fugiens ſociorum, qui me periculis cautum fecerant, commeſſationes, me literis totum immergo, atque jacturam præteriti temporis etiam reparo noctiũ uſura: neque votis ſaturari poſſe videor, antequam & veram ſapientiam, & facundiam auguſtiorem hauſiſſem. Interim dum animo meo doctrinæ cupiditatem inſtillo, habitationis clauſtra non egredior, niſi urgente aliqua neceſſitate, quæ me foras propellebat; reputans in hominum confluxu diſcere etiam integerrimos quandoque viros ignoſcere vitiis blandientibus, atque admittere iniquam improbitatis excuſationem. Scilicet & forum, & curia, &, ſi dicere liceat, ſacratæ templorum poſtes magno conſenſu laſciviam nobis commendant.

Quam-

Quamvis autem ſtudiis penè macerarer, domique plerumque reſidens, in ſemoto ſeceſſu tantùm familiaritatem cum Muſis colerem, tamen ſanctam Minervæ ædem, in qua Caſtalium primùm veniens audiveram diſertiſſimum Senem declamantem, crebrò frequentabam. Etenim ſentiebam illic & à vitiorum confinio me pelli, & talibus fomentis leniri ad virtutis deſiderium, ut confiteri cogerer, neq; ingentium divitiarum ſplendorem, neq; eximiæ potentiæ voluptatem, neque omnium rerum affluentiam hominibus largiri quod eſt optimum. Sentiebam illic ita mitigari meum ingenium, & multijuga cognitione imbui, ut longo die ſolitaria lectione, ſi domi unguem roderē, conſequi non poſſem quod hîc ſæpe una horula conſequebar, qua mihi imperabā iſtas diſſertationes auſcultare. Atq; ideò tacitus apud me ipſum mirabar aliquando juvenum multorum ſtolidam vecordiam, qua aut contemnebant illas penitùs, aut negligebant: prætexentes hanc veniam ſuæ culpæ, quòd toto anno haud abſolvatur conſummata quædam ſcientia, ac omnibus integrum non ſit tantum temporis terere in una arte addiſcenda. Quis enim, mihi objiciebant, delectatur Logica, vel Phyſica, vel Ethica Ariſtotelis in

lis in infinitum volvere, cùm exiguo ſpatio, quicquid in iis cõtinetur, egregii addiſcere poſſit? Quis ſuſtinet immenſas explicationes librorum Moyſis, quibus multa ſupervacua ac nunc obſoleta ingeruntur de Cherubinis, ſtructura Templi, atque cæremoniali Aaronis ſacerdotio? Quis geſtit audire longas conciliationes, in Pandectis, aut Codice Iuſtinianæo: & tædioſum examen verborum Hippocratis, vel abſolvendi homini vix ſemel in vita, etiam diuturna, Galeni? Verùm etſi talia mihi objicerent inſulſi quidam Corydones ex fungino genere, quibus terrere meum animum conabantur, trahereque ad inertiam, quæ ipſis pro doctrina eſt, quando ad duos treſve annos in deſidia ac otio Caſtalii ſunt commorati, tamen non mutabant meum propoſitum. Quippe noveram illud aureum dictum Romani Sapientis, *Non exiguum tempus nos habêre, ſed multum perdere:* & arbitrabar bonas ſuas horas malè collocare eũ, qui rivulos ſectatur, & fontes, ex quibus puriùs aquæ bibuntur, prætergreditur. Etiam animadvertebam me improbo labore tantum perſpicere non poſſe, quantum doctiſſimi Interpretes, qui ætatem inter experimenta conſumunt, poterant ſuggerere. Nam ſive rerum divinarum ac huma-

humanarum cognitione pectus tingere percupiebam, ſive ardebam cupiditate præſtantium virtutum, & cognitione, & virtutibus rigabant me Viri Clariſſimi, quorum integritas atque innocentia ſeculi invidiam ſpernebat.

Memoria teneo quòd quodam die, cum rabidi canis ardor publicâ Sapientiæ Doctoribus quietem indicere feſtinabat, tam purum, tam preſſum, tam profluentem ſermonem auribus acceperim, qui mihi, ſi fata non negaſſent, dum vita ſuppetet potuiſſet prodeſſe. Subibam curis plenus Palladis ſacrarium: quod ingreſſus repentè video parietes ſerico tapetibusque elegantiſſimè veſtitos, atque adeò ingentem conglobatam juvenum turbam, ut vix in conclavi locus ſupereſſet ſedendi. Ecce autem dum in veneratione tantæ ſedis vagi oculi in varia luxuriant, brachiis ac cruribus à circumſtantium caterva in diverſas partes propellor. Et cùm indignè ferrem ita me quaſi ludibriis laceſſiri, conſpicio ab utroq; latere graviſſimis viris viam pandi, quorum quidam in ſimplici toga, quidã intexta argenteis literis procedebant. Poſteaquam verò omnes conſediſſent, ſedilibus ad ſolis majeſtatem adornatis, ſublatus eſt in inferius ſuggeſtum adoleſcens

s concinnus, pulcher, totusque de
a,ac cum eo in ſuperiorem cathe-
homo mediæ ætatis, vividis lumi-
, ac qui vel ſolo aſpectu non vulga-
pientiam promittebat. Atque qui-
primùm adoleſcens ille orationem
t, quam neque referre poſſem, ſi
n, neque vellem etiam ſi poſſem:
e ego eum cum erudito Luciani A-
tineris ſui diſcrimina enarrare arbi-
r. Sed cùm finiiſſet, ſublimius ſug-
m aſcendit, conſtititque ad ſiniſtrã
ım iſtius viri, in cujus vultu ſapien-
ucebat. Et is liberrimi oris, tanta
vocis ſuavitate diſſeruit, ut mihi ad-
hodie uſu veniat, quod iis, quibus
s mulcentur concentu Muſico, atq;
rent lepidiſſimi ſermones. Quia ve-
cilius eſt ardentes favillas lingua
primere quàm luculentæ diſſerta-
is ſervare ſecretum, eam quantum
to penicillo verborum adumbrabo.
itaque geſtibus ſermonem guber-
ibus eſt orſus.

*ùm hodierno die ad dicendum me ac-
am, Auditores, ut hunc juvenem plu-
s virtutibus inſignem promoveam ad
tos honorum gradus, hâc prævià meâ
ione aut ſtultitiam, aut ſuperbĩam ef-
re non potero. Nam ſi ſcientiæ, cui ſe-*

dulam

dulam dedit operam. decus coner aſſerere, ſeptus laudum numero deſperato exitu ſtupebo; quippe cùm tam fandi potens non ſim, neque labiis meis tam larga, tamque felix copia inſideat, ut invenire queam vocis lenocinia ſatis apta depingendis grandibus ſcientiarum meritis. At ſi vitia eruditorũ ſtili ferociâ acerbè ulciſci aggrediar, veniã petere & invidiam deprecari debebo: quia indiſcreta doctorum pediſſequa eſt ſuperbia, atq; vix cuiquam contingit & abundare cognitione, & indigere arrogantiâ. Adeò ut is, qui labes ipſorum detegit, videatur cum Gigantibus Pelion Oſſæ imponere, fatalemque pugnam adverſus æternos cœli incolas ac ipſum Iovem ciere. Certè ita comparatum eſt cum ingenio humano, ut quiſque, quod tenet optimum, ſemper credat; ac contemnat ea, quæ non intelligit. Vile ſolet eſſe quod latet, & animus errore lentus aliorum infamiam diligit, gaudetq; ſi omnes infra ſe ponere, & injuriis opprimere valeat. Ideò neque ſcientiarum fucos abluere, neque præſtantiam laudibus hinc inde conquiſitis extollere conabor. Sed tamen quoniam publicâ authoritate mihi dicendi neceſſitas eſt impoſita, linguæ vincula relaxabo, & verba faciam de ſapientiſſimo Bianno Biantis dicto, qui cùm Priene, patriâ urbe, ab hoſtibus captâ, nudus

opum

opum egrederetur, omnia ſe ſua ſecum portare affirmabat. Ille, ſimplicis & excelſi animi homo, neque pecunias, neque tecta magnifica, neque honores, neque imperia, neque eas, quibus plures maximè adſtricti ſunt, voluptates in bonis rebus numerandas eſſe duxit. Ille hæc fortunæ ludibria ne ſua quidem putavit, quippe cùm illa omnia relinqueret, & ſolâ virtute atque ſcientiâ contentus extorris domo, penatibus, foro, congreſſu æqualium evaderet. Atque profectò, Auditores, etſi totus populus in alia diſcors, in hoc conveniat, quod divitiæ & dignitates plurimum polleant inter res humanas, imò etſi ſuſpiciant fulgorem auri & gemmarum, quæ aut è terræ viſceribus effodiuntur, aut eruuntur è profundis vadis Oceani, tamen cùm inconſtans ac inſtabilis ſit illarum poſſeſſio, ſapientis eſt illas contemnere. Solus Priamus, quamvis exemplis talibus plena eſt Antiquitas, in ſcenam venire poteſt, & oſtendere, diem fugientem obrutum calamitatibus aliquando vidiſſe eum, quem veniens ſuperbum viderat. Adeò ut nemo ſecundis rebus nimiũ debeat confidere, vel Divos tam faventes exiſtimare, ut audeat ſibi craſtinum polliceri. Et propterea Bias opes ac honores ſua non eſſe eſt arbitratus. Illi verò, qui diverſam opinionem tuetur, & quotidianis querelis

relis repetit amiſſa, hac tantùm ratione Fortuna poteſt os obturare. Cùm te homo matris ex utero natura produxit, ego ſuſcepi nudum rebus omnibus atque inopem, & circumdedi ſplendore facultatem, quæ mei ſemper juris fuerunt. Nunc largam manũ lubet mihi retrahere, nec ullam tibi injuriam facio, imò tu, niſi ingratus eſſe ſuſtineas, mihi gratias, velut uſus alienis, cogeris habere. Dominam famulæ meæ cognoſcunt; mecum veniunt, meque abeunte iterũ diſcedunt. Sed quid incaſſùm verba profundo? Nobiles Romani conſtantem inſtabilis Deæ inconſtantiam non ignoraverunt, cùm lunulis ornarent ſuos calceos, quippe iis, ſi oculos in pedes conjicerent, admonebantur Fortunam mutari poſſe; haud ſecus quàm Lunæ facies mutatur. Quid eſt igitur, quæret aliquis, quid eſt, quod ſecum ſe aſportare Bias jactabat? Cultam ſcientiâ mentem præditamque honeſtâ virtute ſibi eſſe ſentiebat, atque ideò putabat maximas ſe & certiſſimas poſſidere divitias. Nolo divitiarum precium magis quam feci flocci pendere, aut laudare eruditionem, quia ſcio quemadmodum nemini conceſſum eſt nitidum Solis jubar exprimere vivis coloribus, aut cani maris longè remotos fines brachiis circumcingere, ita quoque nemini datam eſſe poteſtatem latè fulgentem ſapientiæ ar-

cem aſcendere. Verùm enimverò ſi callidi rerum æſtimatores prata & areas quaſdam pluris æſtiment quàm immenſi argenti aurique pondus, quia ei generi poſſeſſionum minimè quaſi noceri poteſt, quanti eſt æſtimanda virtus & ſcientia, quæ nec eripi, nec ſurripi poſſunt unquam, neque naufragio, neque incendio perire, nec tempeſtate, nec temporum permutatione mutari? His præditi ſoli ſunt divites, ſoli habent res fructuoſas & ſempiternas, ſoliq; contenti ſunt ſuis rebus, nihil appetunt, nullâ re egent, ut in heroico Biantis animo liquet. De ipſo verò tacere ſatius judico, quam plura dicere, quia quicquid proloquar, minus ſemper erit, & faſtigium ſublimis erectaque iſtius indolis nunquam tangere potero exili meâ voce. Ad te converto orationem Magnanime Iuvenis. Tu te longo tempore eruditione perfundere & ingenium tuum felici ſucceſſu artium fulcris ita ſuſtentare voluiſti, ut tibi doctrinæ titulos denegare non potuerimus. Igitur oſculi vice tibi dexteram porrigo, tanquam teſtem, te noſtrum in numerum hoc die, hac horâ recipi.

Hucuſque non ineptum declamatorem intelligebam, atque aures meæ ſuavi ambroſia paſcebantur. Sed poſt ultima illa, quę retuli, verba, tantùm murmur ſubitò & immitis ſonitus ſermoni obſtrepebat,

pebat, ut penè crederem me ad ferocis Nili oſtia habitare. Spargebantur enim inter auditores chartæ, quibus carmina in iſtius juvenis cathedræ impoſiti laudes erant impreſſa, & eas quiſque ſibi accipere deſiderabat tam cupidè, ut inter quoſdam ferè pugna oriretur. Ego, cui ſine moleſtia caſus talem papyrum obtulit, lectionem diſtuli donec ritus perfecti eſſent, & vidi, quamvis audire nihil liceret, pileum rotundum, quale Quirinus fortaſſe geſtavit, capiti imponi, & aureũ annulum indi priori digito. Diſtribuebantur etiam veteri more inter præcipuos manicæ, quas aliquando petulans juventus iis, quorũ curę commiſſæ erant præripiebat, quaſi parum intereſſet apud quos inſcio poſſeſſore permanerent. Poſteaquam verò omnia peracta ſunt, domũ deductus eſt novus ille docto titulo inſignis albæ gallinæ filius, medius inter duos togatos, quos plures alii ſequebantur. Tum ego cœpi evolvere meam chartulam, ac hoſce verſus honori ipſius dicatos etiam in platea perlegere.

Tu quem culta cohors doctorum extollit, & audet
Non faſtiditis annumerare viris.
Accipe clara tui præconia nominis, etſi
Supprimat ingeniũ gloria tanta meum.

Accipe

Accipe quæ faciles dictant mihi carmina Muſæ,
Non quia ſic Phœbus, ſed quia juſſit amor.
Scilicet es longo mihi fœdere cognitus, alter
Nec fuit in totâ carior urbe mihi.
Et quæ ſerta tuam nunc cingunt laurea frontem
Sint tibi grata licet, ſunt mihi grata magis.
Dic puer, virtutis amor quem ad culmina laudis
Ducit, & ad cœli ſydera celſa vehit.
Qui ſublatus humo volitare per ora virorum
Gaudes victor ovans, & ſuperare ſenes:
Quod vaga ſors terrâ, quod fati numina cœlo,
Quodque colum ſubigens fert Acheronte ſoror,
Hoc rapit incertum tempus, finemque caducis.
Imponit rebus poſtuma ſponte dies.
Nil mirum, leges ac jura tyrannidis atrox
Illa habet, ac ſævo proterit omne gradu:
Inclyta ſed ſemper tua fama decusque vigebit.,
Nec Libitina caput merget iniqua tuũ.
Nempe negat Phlegethon, & avarus portitor orco,

 Innuba

Innuba quos Pallas non ſinit eſſe feros.
Ergo, die puer, vivas in ſecula felix,
Virtutisq; tuæ præmia multa feras.
Quò patriæ ſis grandis honos, ſeriq; nepotes
Sacra tibi faciant, buſtaque ſacra colant.

Interim dum hæc ſuſurranti ore rumino, fit populi concurſus, & ingens clamor ferè volantes aves dejicit. Ego ſcire avidus quid rerum ageretur, me turbæ immiſceo, & intelligo quendam mirificè ira exacerbatum, propter injuriam, quam paullò ante in Minervæ templo ſe accepiſſe putabat, quia pedes ſibi erant conculcati, alium, quem iſtius criminis ſubdebat reum, ad ſingulare certamen extra urbem evocaſſe. Ad quod conſpiciendũ cùm me quoq; comitantibus quam plurimis præcipitarem, ſiſteremque ſtatuto loco, ecce cerno duos ſuperiori parte corporis ſola ſubuncula indutos, ita fremere evaginatis gladiis, ut non unam necem metuerem. Damnavi verò ſtatim ſtultitiam illorum, quòd tam levi de cauſa vitæ periculum adirent, atque non vererentur ſpiritum effundere, cùm tamen tali lucta patriæ nihil proſint. Si ſe fortes præbere velint, experiantur vires ſuas in bello, interque armorum crudeles ſonitus, atque illic oſtendant ſe obfirmatos eſſe

eſſe adverſus rigidiſſimos nigræ mortis inſultus, neque putent ſe nunc laudem ſibi parare, quia pugnant ſine commodo Reip. cui vitam debent. Verùm poſteaquam uterque alienam aciem intueri, & ſuam ſtringere aggreditur, imploravi ego omnium Deorum Dearumque opem, ut eos à fatali certamine liberarent. Quippe videbam gelidum per oſſa ipſorum horrorem currere, & effuſum ſudorem timidiſſimas frontes rigare. Tandem ut ſine metus contumelia ambo diſcederent, litem adſtantes compoſuerunt, ea lege, ut in reconciliationis ſignum familiari potatione injuriarum memoriam abluerent: atque ſic illi ſe receperunt in ſtabulum, ego abii, ridens vanitatem eorum, qui ſe prius atroci duello præparabant, & deinde dabant fumum ex fulgore.

Iveram per aliquod ſpacium, ſolitaria cogitatione lætiſſimus, & conjiciebam meæ mentis oculos in beatam tranquillitatem eorum, qui doctrina ſe penitus innutriebant, rurſusque me convertebã ad talium fatuitatem, qui perverſos ſeculi mores ſectabantur. Et ita meditabundus, teſtudineo gradu incedens, caſu ſiſtor ante fores ædium, quæ ſuſpenſo ſigno ſubſcriptoque nomine ſphæriſteriũ

pollicebantur. Ergo me in illas proripio, ut corporis exercitio vires meas refocillarem, aut fortaſſe aliquantum labefactatas inſtaurarem modico ſudore, grato magis quàm fuerat is, qui ignominiæ notam inuſſerat modò in arena conſtitutos Thraſones. Nimirum ſicut animus longa quiete veterno corripitur, ſic mēbra, niſi quandoque delaſſata exſpirent pravos humores, fomitemque ac ſentinam morborum, moriuntur antequam veniat fatalis hora, atq; valdè flacceſcunt marcore miſerabili. Ingreſſus tantas lautitias conſpexi, quantas Trimalcio, lautiſſimus homo, neque capere potuit, neque ſatis mirari.

Tres adoleſcentuli ſtabant inſtrumento armati, quod tenebant in manu, facto ex ovium inteſtinis obduratis ſole, & complicata flexura adſtrictis craſſo vimini. In medio circi laxata funis pendebat, atque pilæ hîc & alibi ſparſim jacebant neglectæ. Supra retia circumcinxerant totum intervallum, quibus nimis in altum projectæ reciperentur: ac ab utraque parte duo erant foramina. Quisque ludentium unum foramen tuebatur, arcebatque ex eo vibratas artificio pilas. At cùm ego me iis quartū conjunxiſſem, neque modum ludendi intelligerem, ſtatim

tim plurimas meo foramini callidè intruſerunt, multaſque etiam ipſe perdidi, ignarus quomodo vel excipiendæ eſſent, vel propulſandæ. Quocirca mox debitor factus aliquot aſſium, quod ferè adhuc ignorabam unde contigiſſet, deſiſto ab hoc luſu. Etenim quemadmodum Demoſthenes pœnitere tanti non emebat, quando Lais, famoſa meretrix, pro nocte decem millia drachmarum poſtulabat; ita quoque ego defatigatos artus tanti non emebam, ut plures nummos quaſi aquæ immergerem. Igitur dum ſudorem linteis abſtergo, cuſtos ſphæriſterii monſtrat cubiculum, in quod ſecederem, promitque cereviſiam, quam, infuſo ſaccharo ac nuce moſcata, dicebat optimè conducere ad facilè veſicam exonerandam.

Poſteaquam verò intraviſſem, inveni menſæ aſſidentes, qui forum aleatorium calefaciebant, & nullo modò, Auguſtum Cæſarem imitantes, expaveſcebant aleæ tumorē. Illi tantùm intenti in hoc, quod erat agendum, ſedulò conjectabant apud ſe jacta alea quorſum maculæ impreſſæ ſcrupos tranſire vellent, aut ubi miſſo cane, vel ſimplici duplicivè ſenione eſſent vincula in alveo ponenda. Nec ſanè ſimpliciter ac oblectamenti cauſa ludebant, ſed ſinguli ſemper conferebant in

medium aliquot aureos, quos tollebat univerſos qui Venerem jacerat. Iamque fortuna quæ in omni re dominatur, præſertimque in hujuſmodi ſupra nos curat negotium, auferebat omnem pecuniam unius, quando manus oculatas claudunt, perguntque ſine præſenti pretio. Atque tùm porrò iſti, cui tam malè Mercurius faverat, abrepti ſunt neſcio quot centena florenorum, eſtque paſſus admodũ æquo animo, deditque ſyngrapham, qua ſanctè fatebatur ſe tantum alteri debere. Non ſuſtinuit deinde prætere continuare, ſed hoc damno contentus, manſit in pervicaci & adamantino propoſito, eſſe deſiſtendum.

Verùm victor, qui hactenus orientem proſperitatem moderatè & prudenter tulerat, inſtar Alexandri ad ultimum magnitudinem ejus non cepit: atque neutiquam in animum inducens fortunã mutabilem, cùm amplius proficere nequit, reverti, ingenti clamore rem geſſit, quo perſuaderet adverſario, oportere nondũ interrumpi, claro etiamnum die, amabile conſortium. Itaque is mutata ſententia iterum ſe compoſuit ad derelictos jam ſcrupos, ac unico tenore primum quidẽ ſyngrapham, poſtea reliquum nummorũ recuperavit. Et tunc æquales viribus, at
diverſo

diverſo mentis tumultu concitati, à principio redintegrabant luſum. Ibique qui ſuperior fuerat, inferior, evadebat, & tantam pecuniarum vim conſumebat, ut ambigerem ego, ex veſtibus hominem dijudicans, an eſſet ſolvendo. Saltē erant quamplurimi denarii. Ac videbatur mihi ancipiti ratione inquirere, utrum ſubita nece conficere deſtinaret iniquam hanc jacturam. Sed antequam quid aggrediamur conſulto opus eſt, & ille cùm non conſuluiſſet, neceſſitate fuit coactus libros ſuos, quos habebat in pluteo, ut eos nocturna diurnaque manu verſaret, ponere tanquam obſides & vades, qui propter penuriam venum irent. Dehinc mœſtus & irata triſtitia propè furibundus domum properavit, egoque etiam, gaudens aliena experimenta me docere, meos lares & poſt pauxillum temporis cubile petii.

Poſtridie autem cùm largiori ſomno refeciſſem caput pridianis iſtis turbis acerbiſſimo dolore attritum, cœpi componere ſarcinulas, ac me itineri præparare ut Caſtalium, cui jam adulta æſtas aliquam quietem pollicebatur, ad tempus relinquerem. Fortè dum in hanc curam totus incumbo, intravit cubiculum, ferè antequam viderem, Damon ille, cujus

noxia familiaritas mihi & lupanar,& triſtem carceris ſqualorem oſtenderat. Et poſt prima ſalutationis officia oblita blandiſſimo adulationum fuco, ecquid iter ſuſcipere deſtinaſſem interrogavit. Ad quod cùm ego reſpondiſſem, me cogitare Plutium, opulentiſſimam totius Tanugriæ civitatem, ut illic non viſos dudum amicos, quorum præſentiam deſiderabam, viſitarem, is ſe viæ comitem humaniſſimè præbuit. Atq;,inquit, Hermophile tanta feſtinatione tibi opus non eſt, quippe cùm poſſimus circa veſperā, in proximo pago, qui Dorpigra dicitur intercipere navem venientem Soliva, optimè noto in vicinia oppido, in quo vetuſtum eſt duro fabricatum marmore Themidis templum, ad quod tanquam ad oraculum confluunt omnes hujus terræ populi.

Ego, quoniam necdum ſatis benè nefarias Damonis fraudes animadverterā, lætatus ſum tam oportuna diſcedendi occaſione,ac me donec dies in veſperam declinaret expectaturum incautus recepi. Sed iſto conſilio me totum vicit improbitas,& ſpurca vitiorum moles penitùs oppreſſit, contaminavitque tali luto, quod nunquam pater Ennoſigæus ſuis undis abſterget. Nam poſtquam apud

Damo-

Damonem invitatus prandium ſumſiſſem, quo animum meum feſtivitate jocorum quovis melle dulciori ita tinxerat, ut in mero gaudiorum ſalo fluctuarem, ambulavimus ſimul Dorpigram verſus, ut nos appropinquanti navi crederemus.

Dùm autem in via ſumus cœpit Damon, ne nihil loqueretur, mihi varias narrare fabulas, & quandoq; mutato nomine de propria laſcivia, quaſi bene geſta re, gloriabatur. Scilicet non obſcuris ſignis colligebam, eum nullas occaſiones prætermittere libidinis exercendæ, niſi ſe ſatiaſſet, & gaudere ſi triumpharet, quemadmodum Nicomedes de Cæſare triumphare debuit. Inter cetera rem ſua memoria factam exponebat, quam illi ipſi contigiſſe vix dubito. Et quia exemplum eſt violatæ pudicitiæ ſceleſta fraude, non reticebo, ut Tanugrienſes mei ridere poſſint, & iraſci ita vagari extra probitatis orbitam mortalium mores.

Erat, inquit, quædam virgo tam notæ caſtitatis, ut etiam licitam hilaritatem petulantiam duceret. Hæc cùm amorem, qui juveniles animos detorquet, tanquã Scylla aut Charybdis, nunquam adhuc eſſet experta, tandem didicit humanæ fragilitati injuriam facere eam, quæ ſatagit ge-

git generoſum hunc affectum effugere. Frequentabat illius lares quotidie juvenis venuſtis adeò moribus, tantæque pulchritudinis, ut neque puderet Narciſſum talis formæ, ſi flumen inſpiceret. Atque crebrâ illa præſentia cupiditatem peperit, cujus ſolum nomen puellæ horrere ſolent, antequam naturalis ardor conceptam de ſervanda virginitate opinionem ſupergreditur. Itaque ſecretò inter illos duos de matrimonio convenit, & quia facilè perſpiciebat virgo, non parentes, non propinquos clandeſtinam fidem ſine conſenſu ipſorum pactam approbaturos, cogitavit illud facere cum ſuo amatore, quod Alcumena cum Iove fecit, quando is tenebras duplicabat, atque obſequebatur ſuo animo. Tempus & hora dicitur, qua intempeſta nocte ſimul cubent in ipſa Patris domo. Accidit ut circa illam Venerius nepotulus, qui ſe pluſculum invitaverat in cæna, ac in more habebat ſcitum ſcortum viſere, illuc tranſiret. Et cùm haud procul abeſſent ſcel[illegible]iſſimi nebulones, qui alicui palliū [illegible], ac minitabantur perfodere, [illegible] ante ædes hujus puellæ, [illegible]em ſuum expectabat. Illa [illegible]ans eſſe amatorem, qui ſe ea [illegible] fuerat pollicitus, ſubmiſsa voce

voce intrare juſſit, ne Pater exaudiret. Poſteaquam foret intromiſſus, ſtaretque ante lectum, in cubiculum enim eum deducebat, voluit ut exueret veſtimenta. Quæ omnia cùm tacitus & ſtupens peregiſſet, gaudium tulit, quod alteri debebatur, atque ſuo aratro ſulcavit agrum alienum. Ceterum cum puella diuturnius illius ſilentium miraretur, nam vocem ſuam data opera comprimebat, extorſit ab ipſo linguam, verbis inter iram & jocos trementibus. At tum demum miſerabilem clamorem ſuſtulit, quippe ſponſum non eſſe cognoſcebat, atque verebatur patris & peregrini iſtius, quem in tenebris non agnoverat, ſenſeratque tamen in thoro, conſcientiam. Imò quaſi pedibus anguem calcaſſet perculſa, laceravit vehementius genas, ruptisque crinibus nudavit innoxium caput. Verum ut in ſe ſecedens cogitavit, mentem peccare non corpus, & unde conſilium abfuerit culpam abeſſe, decretum iniit non perſeverare in dolore ſupervacuo, & nihil profuturo gemitu quo pectus diducebat. Ideoque rogavit mæchum, ut obliviſceretur ſua veſtigia illic eſſe, ac poſtera nocte Sponſus venit, excuſans quòd heſterna impeditus fuerit ab iſtis graſſatoribus, qui alium eò dejecerant: & ho-

neſto modeſtoq; vultu exceptus ingreſſus eſt ſemitam ſibi præparatam, ac poſt exiguum temporis puellam ex voluntate parentum, quoniam erat vitiata, uxorem accepit.

Hæc cùm narraſſet Damon, Dorpigrã venimus, atque illic mox voluit contractam inter eundum ſitim depellere, & me in fornicem Caſtalii multò pejorem deduxit. Ego ſtabam in aditu; ac jam pedem rurſus domo extuliſſem, niſi me brachiis ſuis alligaſſet impia quædam meretrix, rapuiſſetque in ſecretiſſimam domus partem. Interim morabatur in atrio nequiſſimus Damon, &, ut poſtea mihi narravit, apud ſummœnianas deridebat labilem meam caſtitatem tali epigrammate.

Laſcivæ Veneres, Cupidinesque,
Nunc blandi domitrix amoris ultrò
Ceſſit blanditiis amoribusque.
Riſus, oſcula, pectorumque motus,
Nictus, & manuum pedumq; preſſus,
Et quot denique baſiationes
Quintâ parte ſui imbuit Dione,
Pellunt ingenuum cor ac pudicum.
Et nunc Hermophilus tumente venâ
Formoſæ cadit in ſinum puellæ.
Et rurſus gremium puella pandit,
Quò quam dicimus omnium parentem
Lætetur

Lætetur cupidam fricare criſtam.
Sed jam caſte pudor vale ſupremum,
Nam bellum Hermophilus facit protervum,
Luctamque aggreditur libidinoſam.

At ego quid facerem? Solus cum ſolâ ſemotus ab arbitris conſidebam, expulſa erat ſapientiæ recordatio, omneſque virtutes in exilium erant actæ, adeò ut nihil uſquam honeſti conſcientiæ meæ occurreret. Lupa, quæ mihi libidinis fervorem excitabat, vinum promi juſſit, atque afferri ſaccharum, ut & ſuæ cupiditati ſatisfaceret, & liberali potu in me pudoris extingueret ignaviam. Dum autem pitiſſamus, ac ſorbillando frequentia alternamus pocula, factus fuit tandem, vino victus, non animo ſolùm verùm etiam corpore ad libidinem pronus. Illa igitur, aſſueta tali ludo, ſe in me rejecit quàm familiariter, tentans omnes vultus quos inter amantes riſus, jam edocta ſuam artem ſolebat frangere, ac penè nolentem ad Venerem coëgit. Ulnis ſuis mollioribus plumâ me ſuaviter implicitum tenuit, & corallina labella ſua ad mea labra colliſit mille oſculis. Fatebor ingenuè quod feciſſe pudet. Rurſus ego quoque apud me non fui, tetigique eam partem corporis quam ne quidem

quidem nominare inter res ſerias fas eſt. Et cùm ulteriùs, adhuc novus in hoc prælio miles, nihil auderem attentare, cavâ manu poma legit, quæſivitque, credo ut ſuccurreret meo pudori, an funeratum mihi eſſet illud membrum quo iſtâ ætate Achilles eſſe debebam. Rogas, inquam ego, mea ſoror, potius quàm facis experimentum? Et cum dicto in amplexum ejus immiſſus ſum, inque ſtratum ibi lectulum inſiliimus, ubi mutuo ac petulanti ambitu circumcinctus, uſque ad ſatietatem fruor robuſta & ſolida voluptate.

Hoc opere inter ſudorem & anhelitum peracto, acceſſi Damonem, dixique me diutius abfuiſſe, quia an navis advenifſet, ſpectaveram. Ille quamvis animadverteret mendaciū, & ſuſpicaretur id quod erat, noluit tamen meam nondum obfirmatam frontem proſtituere. Sed ſibi illam fidem eſſe ſimulavit, &, ſeptus duabus puellis, me ſpumanti patera excepit. Atque quia fœcundi calices diſertum fecerant, poſtulavit ut iſtum potum libarem nudæ Veneri, ac rigido hortorum cuſtodi Priapo. Et converſus ad aſſidens Glycerium, cui concutiebat amabiliter interiorem palmam, addidit temulenta voce,

Quod

Quod meus hortus habet ſumas impunè licebit,
Si dederis nobis quod tuus hortus habet.

Dum hæc cantillat ebrius Damon, ſubduxit ſe poſt tergum meum una puellarum, cantharum nondum evacuatum abſportans, atque reverſa duplicata creta binas notas fecit. Quod cum ego cernerem, neque auderem tamen contrà hiſcere, Damonem admonui tempus flagitare, ut in navem iremus: metuebam enim & omne quod reſtabat nummorum abligurire, & tum verberibus, ſputisque extra januam ejici. Quippe hìc ſpes nulla erat egrediendi armata vi, quemadmodum in Caſtalio factum memineram.

Etſi verò diſcedendum nobis eſſe arbitraremur, ac jam ego petiiſſem quid foret perſolvendum, tamen mirabilis caſus nos paullò diutius detinuit. Ingrediebatur lupanar juvenis exercitati vultus, tonſo capite, hirquina barba & in gyros circumpexa, ceterum qui majorem gravitatem præ ſe ferebat quàm anni requirerent. Veſtis erat ex nigro panno, pileus altitudinem communis moris excedebat, pallium ferè uſque ad talos demittebatur, atque collare brevius in ea cavas rotunditates admodum ſtabat elatum. Quem cum ego conſpicerem,

cerem, cœpi excuſare meam impietatem; nam ex eorum numero apparebat, qui erudiuntur ut cœli fores recludant. Primùm autem verbum, quod proferebat, erat, anne reperirentur illic quæ libidinem ſuam venderent. Omnes quotquot aderant, in effuſiſſimum riſum erumpebant propter urbanitatem tam ſtultam. Et una meretricum non ſine lepore conſcientiã ipſius appellabat, quòd ſacris initiandus frequentaret loca adeò indecora. Is verò cauſſam reddidit ſui facti, ſe neque vitia increpare poſſe, neque eorum turpitudinem oſtendere, niſi ipſe ſe iis aliquando polluiſſet. Deorum delubra hoc petere, nec meliùs aliquem reprehendere avaritiam, luxum, ceterasque pravas artes, quàm ſi quid illæ ſint fuerit expertus. Hîc obtinere id quod Dictator Julius continuò in ore habuiſſe dicitur:

Nam ſi violandũ eſt jus, regnandi gratiâ
Violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.

Etenim ſi tranſilienda ſint virtutum clauſtra, cultus divini gratiâ tranſilienda, in reliquis actionibus immutabilem eſſe illum circulum. Parum aberat quin nos quoque dicteriis laceſſeret. Verùm, inquit, ſi me veſtitus naturam ſequi Ducem prohibeat, en collare meum,

quod

quod me maximè nigro carbone notat, projicio, & protero pedibus. Velis modò meum cor, meum delicium, mea ſuavitas (tenacibus digitis puellæ unius mentum palpavit) ego nunc tibi mutatus in aliam figuram adſto. Per formam tuam te rogo, ne faſtidias hominem ignotum inter cultores admittere; invenies talem qui te adorare volet, quique novit Jovem arcem Danaes ſub imbre aureo perrupiſſe.

Quomodo res illa proceſſerit, ego amplius ignoro. Nam quia Damon carebat omni monetâ, & quia timebam, ne, ſi negarem, nomen meum traduceret, dedi totum, quod petebatur, atque ita junctim adveniente nocte in navem ivimus. Illic mox Damon probè potus in altiſſimum ſoporem eſt delapſus. Ego verò facinus heſternum reputabam, atq; ingens anxietas animũ meum perfodiebat, quòd tantum flagitiũ commiſiſſem. Eſt enim quando primùm in vitia ruimus, ſuavis illa quidẽ & grata voluptas, ſed tamen talis quam erubeſcimus, poſtquam irrequietus & exultans calidæ libidinis ardor deſæviit. Ita ut tum, ſi mentes recludas, queas aſpicere laniatus & ictus, quibus, quemadmodum corpora verberibus, animus dilaceretur.

Quid,

noxia familiaritas mihi & lupanar, & triſtem carceris ſqualorem oſtenderat. Et poſt prima ſalutationis officia oblita blandiſſimo adulationum fuco, ecquid iter ſuſcipere deſtinaſſem interrogavit. Ad quod cùm ego reſpondiſſem, me cogitare Plutium, opulentiſſimam totius Tanugriæ civitatem, ut illic non viſos dudum amicos, quorum præſentiam deſiderabam, viſitarem, is ſe viæ comitem humaniſſimè præbuit. Atq;, inquit, Hermophile tanta feſtinatione tibi opus non eſt, quippe cùm poſſimus circa veſperá, in proximo pago, qui Dorpigra dicitur intercipere navem venientem Soliva, optimè noto in vicinia oppido, in quo vetuſtum eſt duro fabricatum marmore Themidis templum, ad quod tanquam ad oraculum confluunt omnes hujus terræ populi.

Ego, quoniam necdum ſatis benè nefarias Damonis fraudes animadverterá, lætatus ſum tam oportuna diſcedendi occaſione, ac me donec dies in veſperam declinaret expectaturum incautus recepi. Sed iſto conſilio me totum vicit improbitas, & ſpurca vitiorum moles penitùs oppreſſit, contaminavitque tali luto, quod nunquam pater Ennoſigæus ſuis undis abſterget. Nam poſtquam apud

Damo-

Damonem invitatus prandium ſumſiſſem, quo animum meum feſtivitate jocorum quovis melle dulciori ita tinxerat, ut in mero gaudiorum ſalo fluctuarem, ambulavimus ſimul Dorpigram verſus, ut nos appropinquanti navi crederemus.

Dùm autem in via ſumus cœpit Damon, ne nihil loqueretur, mihi varias narrare fabulas, & quandoq; mutato nomine de propria laſcivia, quaſi bene geſta re, gloriabatur. Scilicet non obſcuris ſignis colligebam, eum nullas occaſiones prætermittere libidinis exercendæ, niſi ſe ſatiaſſet, & gaudere ſi triumpharet, quemadmodum Nicomedes de Cæſare triumphare debuit. Inter cetera rem ſua memoria factam exponebat, quam illi ipſi contigiſſe vix dubito. Et quia exemplum eſt violatæ pudicitiæ ſceleſta fraude, non reticebo, ut Tanugrienſes mei ridere poſſint, & iraſci ita vagari extra probitatis orbitam mortalium mores.

Erat, inquit, quædam virgo tam notæ caſtitatis, ut etiam licitam hilaritatem petulantiam duceret. Hæc cùm amorem, qui juveniles animos detorquet, tanquã Scylla aut Charybdis, nunquam adhuc eſſet experta, tandem didicit humanæ fragilitati injuriam facere eam, quæ ſatagit ge-

git generoſum hunc affectum effugere. Frequentabat illius lares quotidie juvenis venuſtis adeò moribus, tantæque pulchritudinis, ut neque puderet Narciſſum talis formæ, ſi flumen inſpiceret. Atque crebrâ illa præſentia cupiditatem peperit, cujus ſolum nomen puellæ horrere ſolent, antequam naturalis ardor conceptam de ſervanda virginitate opinionem ſupergreditur. Itaque ſecretò inter illos duos de matrimonio convenit, & quia facilè perſpiciebat virgo, non parentes, non propinquos clandeſtinam fidem ſine conſenſu ipſorum pactam approbaturos, cogitavit illud facere cum ſuo amatore, quod Alcumena cum Iove fecit, quando is tenebras duplicabat, atque obſequebatur ſuo animo. Tempus & hora dicitur, qua intempeſta nocte ſimul cubent in ipſa Patris domo. Accidit ut circa illam Venerius nepotulus, qui ſe pluſculum invitaverat in cæna, ac in more habebat ſcitum ſcortum viſere, illuc tranſiret. Et cùm haud procul abeſſent ſceleſtiſſimi nebulones, qui alicui palliū detexebant, ac minitabantur perfodere, occultavit ſe ante ædes hujus puellæ, quæ amatorem ſuum expectabat. Illa verò exiſtimans eſſe amatorem, qui ſe ea hora ſiſtere fuerat pollicitus, ſubmiſsa

voce

voce intrare juſſit, ne Pater exaudiret. Poſteaquam foret intromiſſus, ſtaretque ante lectum, in cubiculum enim eum deducebat, voluit ut exueret veſtimenta. Quæ omnia cùm tacitus & ſtupens peregiſſet, gaudium tulit, quod alteri debebatur, atque ſuo aratro ſulcavit agrum alienum. Ceterum cum puella diuturnius illius ſilentium miraretur, nam vocem ſuam data opera comprimebat, extorſit ab ipſo linguam, verbis inter iram & jocos trementibus. At tum demum miſerabilem clamorem ſuſtulit, quippe ſponſum non eſſe cognoſcebat, atque verebatur patris & peregrini iſtius, quem in tenebris non agnoverat, ſenſeratque tamen in thoro, conſcientiam. Imò quaſi pedibus anguem calcaſſet perculſa, laceravit vehementius genas, ruptisque crinibus nudavit innoxium caput. Verum ut in ſe ſecedens cogitavit, mentem peccare non corpus, & unde conſilium abfuerit culpam abeſſe, decretum iniit non perſeverare in dolore ſupervacuo, & nihil profuturo gemitu quo pectus diducebat. Ideoque rogavit mæchum, ut obliviſceretur ſua veſtigia illic eſſe, ac poſtera nocte Sponſus venit, excuſans quòd heſterna impeditus fuerit ab iſtis graſſatoribus, qui alium eò dejecerant: & ho-
 neſto

neſto modeſtoq; vultu exceptus ingreſſus eſt ſemitam ſibi præparatam, ac poſt exiguum temporis puellam ex voluntate parentum, quoniam erat vitiata, uxorem accepit.

Hæc cùm narraſſet Damon, Dorpigrã venimus, atque illic mox voluit contractam inter eundum ſitim depellere, & me in fornicem Caſtalii multò pejorem deduxit. Ego ſtabam in aditu; ac jam pedem rurſus domo extuliſſem, niſi me brachiis ſuis alligaſſet impia quædam meretrix, rapuiſſetque in ſecretiſſimam domus partem. Interim morabatur in atrio nequiſſimus Damon, &, ut poſtea mihi narravit, apud ſummœnianas deridebat labilem meam caſtitatem tali epigrammate:

Laſcivæ Veneres, Cupidinesque,
Nunc blandi domitrix amorũ ultrò
Ceſſit blanditiis amoribusque.
Riſus, oſcula, pectorumque motus,
Nictus, & manuum pedumq; preſſus,
Et quot denique baſiationes
Quintâ parte ſui imbuit Dione,
Pellunt ingenuum cor ac pudicum.
Et nunc Hermophilus tumente venâ
Formoſæ cadit in ſinum puellæ.
Et rurſus gremium puella pandit,
Quò quam dicimus omnium parentem

Lætetur

Lætetur cupidam fricare criſtam.
Sed jam caſte pudor vale ſupremum,
Nam bellum Hermophilus facit protervum,
Luctamque aggreditur libidinoſam.

At ego quid facerem? Solus cum ſolâ ſemotus ab arbitris conſidebam, expulſa erat ſapientiæ recordatio, omneſque virtutes in exilium erant actæ, adeò ut nihil uſquam honeſti conſcientiæ meæ occurreret. Lupa, quæ mihi libidinis fervorem excitabat, vinum promi juſſit, atque afferri ſaccharum, ut & ſuæ cupiditati ſatisfaceret, & liberali potu in me pudoris extingueret ignaviam. Dum autem pitiſſamus, ac ſorbillando frequentia alternamus pocula, factus fuit tandem, vino victus, non animo ſolùm verùm etiam corpore ad libidinem pronus. Illa igitur, aſſueta tali ludo, ſe in me rejecit quàm familiariter, tentans omnes vultus quos inter amantes riſus, jam edocta ſuam artem ſolebat frangere, ac penè nolentem ad Venerem coëgit. Ulnis ſuis mollioribus plumâ me ſuaviter implicitum tenuit, & corallina labella ſua ad mea labra colliſit mille oſculis. Fatebor ingenuè quod feciſſe pudet. Rurſus ego quoque apud me non fui, tetigique eam partem corporis quam ne quidem

quidem nominare inter res ſerias fas eſt. Et cùm ulteriùs, adhuc novus in hoc prælio miles, nihil auderem attentare, cavâ manu poma legit, quæſivitque, credo ut ſuccurreret meo pudori, an funeratum mihi eſſet illud membrum quo iſtâ ætate Achilles eſſe debebam. Rogas, inquam ego; mea ſoror, potius quàm facis experimentum? Et cum dicto in amplexum ejus immiſſus ſum, inque ſtratum ibi lectulum inſiliimus, ubi mutuo ac petulanti ambitu circumcinctus, uſque ad ſatietatem fruor robuſta & ſolida voluptate.

Hoc opere inter ſudorem & anhelitum peracto, acceſſi Damonem, dixique me diutius abfuiſſe, quia an navis advenîſſet, ſpectaveram. Ille quamvis animadverteret mendaciũ, & ſuſpicaretur id quod erat, noluit tamen meam nondum obfirmatam frontem proſtituere. Sed ſibi illam fidem eſſe ſimulavit, &, ſeptus duabus puellis, me ſpumanti patera excepit. Atque quia fœcundi calices diſertum fecerant, poſtulavit ut iſtum potum libarem nudæ Veneri, ac rigido hortorum cuſtodi Priapo. Et converſus ad aſſidens Glycerium, cui concutiebat amabiliter interiorem palmam, addidit temulenta voce,

Quod

Quod meus hortus habet ſumas impunè licebit,
Si dederis nobis quod tuus hortus habet.

Dum hæc cantillat ebrius Damon, ſubduxit ſe poſt tergum meum una puellarum, cantharum nondum evacuatum abſportans, atque reverſa duplicata creta binas notas fecit. Quod cum ego cernerem, neque auderem tamen contrà hiſcere, Damonem admonui tempus flagitare, ut in navem iremus: metuebam enim & omne quod reſtabat nummorum abligurire, & tum verberibus, ſputisque extra januam ejici. Quippe hìc ſpes nulla erat egrediendi armata vi, quemadmodum in Caſtalio factum memineram.

Etſi verò diſcedendum nobis eſſe arbitraremur, ac jam ego petiiſſem quid foret perſolvendum, tamen mirabilis caſus nos paullò diutius detinuit. Ingrediebatur lupanar juvenis exercitati vultus, tonſo capite, hirquina barba & in gyros circumpexa, ceterum qui majorem gravitatem præ ſe ferebat quàm anni requirerent. Veſtis erat ex nigro panno, pileus altitudinem communis moris excedebat, pallium ferè uſque ad talos demittebatur, atque collare brevius in ea cavas rotunditates admodum ſtabat elatum. Quem cum ego conſpicerem,

cerem, cœpi excuſare meam impietatem; nam ex eorum numero apparebat, qui erudiuntur ut cœli fores recludant. Primum autem verbum, quod proferebat, erat, anne reperirentur illic quæ libidinem ſuam venderent. Omnes quotquot aderant, in effuſiſſimum riſum erumpebant propter urbanitatem tam ſtultam. Et una meretricum non ſine lepore conſcientiã ipſius appellabat, quòd ſacris initiandus frequentaret loca adeò indecora. Is verò cauſſam reddidit ſui facti, ſe neque vitia increpare poſſe, neque eorum turpitudinem oſtendere, niſi ipſe ſe iis aliquando polluiſſet. Deorum delubra hoc petere, nec meliùs aliquem reprehendere avaritiam, luxum, ceterasque pravas artes, quàm ſi quid illæ ſint fuerit expertus. Hic obtinere id quod Dictator Julius continuò in ore habuiſſe dicitur:

Nam ſi violandũ eſt jus, regnandi gratiâ
Violandum eſt, aliis rebus pietatem colas.

Etenim ſi tranſilienda ſint virtutum clauſtra, cultus divini gratiâ tranſilienda, in reliquis actionibus immutabilem eſſe illum circulum. Parum aberat quin nos quoque dicteriis laceſſeret. Verùm, inquit, ſi me veſtitus naturam ſequi Ducem prohibeat, en collare meum, quod

quod me maximè nigro carbone notat, projicio, & protero pedibus. Velis modò meum cor, meum delicium, mea ſuavitas (tenacibus digitis puellæ unius mentum palpavit) ego nunc tibi mutatus in aliam figuram adſto. Per formam tuam te rogo, ne faſtidias hominem ignotum inter cultores admittere; invenies talem qui te adorare volet, quique novit Jovem arcem Danaes ſub imbre aureo perrupiſſe.

Quomodo res illa proceſſerit, ego amplius ignoro. Nam quia Damon carebat omni monetâ, & quia timebam, ne, ſi negarem, nomen meum traduceret, dedi totum, quod petebatur, atque ita junctim adveniente nocte in navem ivimus. Illic mox Damon probè potus in altiſſimum ſoporem eſt delapſus. Ego verò facinus heſternum reputabam, atq; ingens anxietas animũ meum perfodiebat, quòd tantum flagitiũ commiſiſſem. Eſt enim quando primùm in vitia ruimus, ſuavis illa quidẽ & grata voluptas, ſed tamen talis quam erubeſcimus, poſtquam irrequietus & exultans calidæ libidinis ardor deſæviit. Ita ut tum, ſi mentes recludas, queas aſpicere laniatus & ictus, quibus, quemadmodum corpora verberibus, animus dilaceretur.

Quid,

Quid, dixi intra me ipſum, quid ego nunc in poſterum conſilii capiam? Quo me vertam, ut fœdiſſimam ignominiam, quam mihi inuſſi poſſim eluere? An non fama mea & honeſtum nomen à Damonis linguâ dependet? qui fortaſſe, quoniam ipſe omnem virtutis amorem depoſuit, mea vitia in ſinum cujuſvis effundet. O feros juventutis impetus! ô inanes adoleſcentiæ deſtinationes! Utinam ego de fine priùs cogitaſſem, antequam ſuccepiſſem actionem tam periculoſam! Sed non potui me continere inter blandientes cupiditates, ac me hominem eſſe ſenſi, à quo humani nihil eſt alienum. Si verò Damon adhuc mihi parcat an credendum eſt, quod conclamatæ vitæ meretrices tacebunt? Non me herculè, non tam benignè mecum Fortuna aget. Illæ, ubicunque me viderint, digito monſtrabunt, dicentque, hic eſt, qui nuper noſtrâ in domo anteactæ ſuæ ætatis verecundiam excuſſit, didicitque virilis petulantiæ legem accipere. Bene cecinit ſuaviſſimus Vates, qui naturæ compendium fuit:

Omnia ſi perdas, famã ſervare memento,
Quâ ſemel amiſſâ poſtea nullus eris.

Verùm quid parva loquor? Sileat Damon, ſepeliant apud ſe meam laſciviam impu-

impuræ meretrices, non tamen latebit, non latebit, ô dolor! ſummum ac æternum ſpeculatorem, qui noſtros actus proſpicit à primâ luce in ſeram noctem, cuique nemo humanâ calliditate poteſt imponere. Nullum eſt dubium quin deſtitiſſem à libidine, ſi homo aliquis per rimam oſtii applicuiſſet oculum curioſum, atque auſus fui eâ me commaculare, cùm perſpicax ille judex ac teſtis conſpexerit.

Tandem verò fatigatus iſtis cogitationibus minimum veluti geſtum hauſeram ſomni, at citâ agitatione expergefactus, intellexi Damonem vigilare. Imò fortiter & ex animo præliabatur cum adventitiâ, quam illic caſu deprehenderat, etſi tamen, ſicut mihi Plutium appulſo fuit relatum, plerunque ultrò citroque ſpe lucri illud mare navigent puellæ ad patiendum geſtientes. Indulſi igitur ipſius voluptatibus quibus ſe hianti ore ingurgitabat, & tacui, meque oſtendi poſſe diſſimulare. Ceterùm mirabar in navi eum facere id quod commodiùs Dorpigræ potuiſſet, niſi fortaſſe hæc ad concubitum ipſi familiaris foret.

At ego cùm relicto Damone ad antennas caput efferrem, terrasque quæ ſe da-

ſe dabant conſpiciendas tractusque maris, & cœli cærula colluſtrarem, cernebam Solem coruſcantem jam rorem lambere, atque argenteam Lunam locum facere fraternis radiis. Et in prorâ conſidebant aliquot naſuti homines, qui acuminatâ linguâ plerosque carpere conſueverant, ac narrationem dulcedine devorabant moram longæ navigationis. Unus, poſteaquam ego me illis adjunxiſſem, factus ad omnem urbanitatem & nugas; multa jactabat in deteſtandam mortalium avaritiam, ac poſtremò tali ſermone aſſidentium vultus in ſe convertit. Ævo priori credebatur fortes fortibus naſci, nec degeneres columbas aquilam progignere, & quisquis de liberis erat ſolicitus eligebat ſibi vitæ ſociam, quæ verâ virtute & naturæ bonitate commendabatur, Sed nunc ultima quæſtio fit de moribus. primaque eſt conſideratio quot agros poſſideat, quantumque in arcâ ſervet. Quin plures tam abjecti ſunt animi, ut etiam petere vellent, dummodo ſcirent aulam cuſtodiri, filiam Euclionis, qui aquam profundere verebatur quando lavabat, & follem obſtringebat gulæ, ne quid animæ amitteret, quando ibat dormitum. Novi juvenem, qui Labienus dicitur

citur, ad cujus aures cùm rumor deferretur, in propinquo pago degere rusticolam, tam proſpera fortuna, ut aurum modio metire poſſet, cui unica erat nata, matura viro, ceteroquin ſtupidiſſima, contulit ſe ad eam (Nyſæ nomen habebat) ut in matrimonium poſtularet. Et cùm veniret ad tugurium, ubi ſola vivebat cùm patre decrepito unaque ancilla, reperit ſtantem ante fores ancillam, viliori fortaſſe habitu non indutam, quàm Nyſa procedebat. Ignoſcat mihi tuus genius, noluiſſes de manu illius panem ſumere, eratque dignum tali familia famulitium, Nam vaccarum inſtar ubera uſque ad genua propendebant, & facies ex ardore Solis ſemicocta videbatur. Naſus incurva flexura ferè mentum attingebat, frons inſignis erat lata planitie, atque capilli confundebant ſupercilia. Malæ ſtabant tumentes quaſi tibiam inflaret, & collum erectum longumque ſicuti gruis ſuperabat croci flavedinem. Pedes craſſæque manus monſtrabant non ineptam eſſe ad eos efformandos ceſpites, quibus focus nobis incaleſcit; pollex verò adeò latus, ut ad mulgendum maximè eſſet idoneus, Tamen Labienus cùm ſe Nyſam inveniſſe crederet, nihilque curaret externa

terna faciei delineamenta, capta diſſerendi occaſione, prædicavit beatum, qui procul à negotiis, ut inter priſcam gentem Fabticius, Serranus, & Curii, paterna rura bobus ſuis exercet; anguſtâque casâ contentus, omni fœnore manet ſolutus, neque horret claſſicum aut iratum mare, neque forum vitat, aut potentiorum civium ſuperba limina. Ego, inquit, quamvis in urbe ſim natus & educatus, ita ſemper ſimpliciſſimam agricolarum vitam dilexi, ut omnia mea vota enumeraverim, ſi dicam nihil me magis optare, quàm mugientium errantes proſpectare greges, & innocuos homines falce ſudantes ac gravi aratro. Imò poſteaquam te vidiſſem, decora virgo, certò ſtatui nunquam quieſcere antequam te conſequar uxorem, cum qua liberet jacere modò ſub umbroſa ilice, modò in gramine tenaci, ubi manantes lymphas fonteſque aquæ audire liceat, atque aves in ſilvis cantillantes. Et cùm hæc dixiſſet, adjecit omnia, quæ noverat blandimenta, quibus ſimulatæ puellarum mentes emolliuntur, ptimaque vice propemodum devicit facilem amicam. Conjiciebat enim ancilla ex liberali ſchemate, majoris eſſe conditionis hominem, quàm ipſe

erat:

erat: & cùm curioſa interrogaret quis eſſet, Labienus eam nihil ſivit ignorare, ac fortaſſe pluris æſtimavit ſuam ſortem, quàm erat æſtimanda. Verum tandem animadvertit ſe ab improba cupiditate probè dolis eſſe circumventum. Nam ancilla inter loquendum heram nominabat, quo andito ſermones deduxit in compendium, ac diſceſſit, neque unquam auſus fuit ad Nyſam remeare. Scilicet Penelopes amatoribus ſimilis non erat, qui deſperantes de domina famulas aggrediebantur. Æquales autem re cognita ridebant affatim, cunctique hoc ipſi meritò contigiſſe fremebant.

Ego poſt hanc narrationem, propter amorem ſtramineis fulcris ſubnixum, exclamabam non ſine indignatione,

Difficile eſt ſatyram non ſcribere; nam quis iniqua
Tã patiens urbis, tã ferreus ut teneat ſe?

Præſentium alius excepit hoſce verſus, dixitque bellè hiſtrioniam Labienum exercuiſſe, qui ſe huic ancillæ ita inſcius non devinxerat. Se autem exemplum habere, quo ingentem pœnam ſuæ voracitatis ferebat quidam (nomen ſanè excidiſſe dolebat) cui quoque divitiarum acervus mentem faſcinaverat: quippe ſoc-

pe ſoccum cum cothurno commutabat. Fuiſſe non ruſticam ſed urbanam puellam, majori animo quàm decebat præditam opibus adeò modicis, quæ calliдiſſimo aſtu ad ſe pertrahebat juvenem, cujus deſiderio cruciabatur. Quotidie juvenis, inquit, bis terve ad ſua negotia peragenda præteribat illius ædes, & quoniam iterata toties via communem notitiam ex occurſu acquirebant, geſtu blandiſſimo tollebat ſemper pileum. Illa autem tam crebra ſalutatione irritata cœpit furtivum ignem nutrire, qui venas populabatur. Atque cùm nullam occaſionem valeret comminiſci, qua ſermonis commercium cum ipſo iniret, deliberavit aliquid facere, quo certiſſimè juvenis hic arbitraretur ſe opibus admodum pollere, ut ejuſmodi odore corruptus porrigeret ad humanitatem ferè invitantis victam manum. Igitur ſcribam adit, qui, magiſtratuum authoritate ad id conſtitutus, ſecretiſſimas quorumvis cogitationes chartis illiniebat. Is erat cognatione junctus juveni iſti in quem fabam cudere habebat in animo. Et cùm ad illũ intraſſet, ubi cita manu currentem calamum vibrabat, ſeptus aliquot pueris, qui præſcriptas confusè regulas nitidè deſcribebant, petiit lo-

cum

cum, quo ſola cum eo poſſet colloqui. Hìc verò faſſa eſt, ſe quidem adhuc eſſe in primâ ætate, tamen æquè mortalitati ſubjectam, quàm vergentes ad ſenium. Velle ergo quia orba erat, parentibuſque & fratrum ſororumque manu deſtituta, teſtamentum conficere, quo poſſeſſionum hæreditas perveniret ad illos, quibus optimè cupiebat: ſed obſtinatum ſilentium ab ipſo requirere, ad quod etiam juramento obſtringebatur. Noſſe enim ſi imminentes ſibi fortunas, quidam amici reſciſcerent, preces in templis ad deos laturos, alioſque, quibus pauxillum ultima voluntas promittebat, ſerenam frontem mutaturos in nubilam. Et poſteaquam ſcriba taciturnitatem quoque ultra Sigalionis leges eſſet pollicitus, tantam opum vim pauperibus, conſanguineis, ac intima neceſſitudine adſtrictis, deſtinavit, ut ſcriba ſtupens, puellamque ſæpius aſpiciens, dubitaverit an auribus fidem negaret. Adjunxit denique hæc omnia fore irrita, ſi nupta legitimos liberos nanciſceretur. Igitur cùm jam ſigillo teſtamentum eſſet obpeſſulatum, teſteſque nomina adſcripſiſſent, fortè, paullò ante egrediente puellâ, ingreſſus eſt cognatus ille, qui tali fraude illaqueari debebat. Cumque, ut fit, lu-

dens ſcriba aſſereret, deliberandum ipſi nunc de uxore, quò augere ſuum genus poſſet, & plantare novos mundi ſurculos, reſponſum tulit, non arridere ſibi conjugium, niſi adeſſent facultates, quibus latiorem laxioremque togam aſſumeret. Scriba nihilominus urgebat magis, atque affirmabat ſe ſcire virginem ditiſſimam, neque detegendum eſſe unde ſciat & tandem nominabat hanc, quæ familiaris erat cognati oculis. Ille itaque ſe ad eam conferebat, miſereque ineſcatus procabatur ſatis cupidè, atque inter paucas hebdomadas conſequebatur puellam. Nos autem dum ita ſuperamus itineris tædium, multo die Plutium ſumus ingreſſi. Cumque naulum ſinguli ſolviſſemus, ego & Damon, qui jam tùm palpebris adhuc ſomnolentis quaſi è caveâ prorepebat, reliquis, qui nobiſcum fuerant gratias egimus, pro conſortio non ſine ſale neque inficeto. Sed Damon lepidum ſuum eleganſque ſcortillum non alloquebatur, etſi ſæpius dixerat, ſe rumores ſenum ſeveriorum vix unius aſſis æſtimare.

In pomerio Plutii mox fanum invenimus Reginæ Pecuniœ ſacrum, ubi tot mirabilia à me conſpecta fuerunt, ut ſi narrarem, æquè audientes in ſtuporem adducere

adducere poſſem, quàm ipſe ſtupebam. Stabat ante januam magnificam ſatis, & aureis clavis ſerâque aureâ ſuperbam, Paupertas, dolata ex fago glandiferâ arbore, atque ab unâ parte Fames macie deformis, ab aliâ Sitis patulo ore eam cingebant. Parietes verò fani exteriores nitebant intexto ebore, & multi lapides ſervabant adhuc innatum ſibi gemmarum ſplendorem, imò integrum tectum ac altiſſima turris ex puro candentique argento erant fabricata. Ego ſuſpiciebam tantas opes, & cogitabam interrogare prætereuntes, quis hominum Deorumve tales ſumptus perferre poſſet, quibus argenteam turrim extruerent? Dum hoc conſilium mente volvo, ecce feſtinat ad me è porticu monſtrum tam horrendum, ut gelidâ formidine ferè mortuus Damonis laciniam arriperem, atque exclamarem. Serva me frater, periimus, in antrum Cyclopis deſcendimus, & pugna nobis cum immiti Polyphemo erit ineunda. Accedebat enim aliquis aſpectu faciei adeo fœdo, ut ipſum Therſitem vel Æſopum vinceret; quippe capite procedebat porcino, quamvis erecto corpore hominem mentiretur, Et, quod maximè admirabar, veſtibus erat indutus valdè precioſis ex purpurâ,
 atque

atque infulæ, quoque Tyrio colore tinctæ, ſuſpicionem mihi ingerebant Sacerdotem eſſe. Ille autem cùm exaudiri potuit, oculos ſuos in nos conjectans, grunniit, non loquutus eſt, tam inconcinnè, ut neque volam neque veſtigium ſermonis perciperemus. At poſteaquam magis appropinquaſſet, videbatur nobis, quibus membra frigido horrore quatiebantur, quod diceret, proſperâ fortunâ Thalaſſii, qui conſueverat ſuperbum Baſilomum punire æquoreis pugnis, acceſſiſſe tectum hoc & iſtam turrim templo Reginæ Pecuniæ, quia ſuperiori anno integram claſſem omnibus divitiis majorem ſecum adduxerat, refertam maximâ argenti mole. Nunc verò ex iſtâ turri argenteâ nocte vigilantes lucernas oſtendi, quibus etiam in remotiſſimis oris vaferrimi Nautæ placidum mare navigant, illudque lumen illis magis tutum eſſe, quàm lumen tabeſcentis deſiderio Heronis Leandro fuit, quandò mortis ipſi cauſſam attulit, eo tempore, quo immodicis fluctibus ſe commiſerat. Cùm hæc dixiſſet, expanſâ manu carmen monſtravit, quod ibi in tabulâ deſcriptum pendebat ex annoſâ quercu.

Solverat audaci nuper de littore fortis
Miles,

Miles, & æquoreis non ſegnis Navita ſpumis
Turgida nimboſis laxarat vela procellis.
Iamque theatrales radiabat in æquore circos
Ridebatq; minas pelagi, cùm protinus omne,
Quod natura ferax felici ceſpite ſepſit,
Eripit Heſperiæ Regi, puppeſque tumentes
Argento populator adit, nudoſque Hiſpanos,
Neptuno inviſos multùm, inviſoſque Tonanti,
Mittit ad Herculeas Gades, nunc grandibus aſtris
Læta coronatis fumant altaria donis.
Nunc ridet Fortuna potens, gaudetque triumphis
Talibus, & nimium felix Tanugria tandem
Proteret immanes uno certamine Iberos,
Ditabitque ſuos auro fulgente penates.

Plura ſequebantur, atque arbitror his haud inferiora, ſed non vacabat tum carmina legere, quippe religioſo paſſu ad intimos fani receſſus properabam. Cùm igitur me in illud, quàm maturrimè recepiſſem, artis ſolertiam ita certare cum natura vidi, ut vix ipſe meis luminibus haberem fidem. Poſtes omnes ex auro erant, cui aliquando puriſſimi adamantes, tanquam maculæ intermiſcebantur, tam tenaciter adhæreſcentes,

ut nullâ vi poſſent divelli. Quamvis hîc & illic ſigna conſpicerentur irritæ ſpei illorum, qui ſacrilegium tentaverant. Trabes, quæ tectum ſuſtentabant, & muri, luxuriâ laſcivientes, variis picturis inſignes nitebant, quarum quædam vetuſtate Apellem æquabant, vel Zeuxem, qui pulcherrimam Helenam pinxit ex variarum formarum mixturâ tam egregiè, ut neque Leda cæleſti partu pulchriorem edere, neque Homerus divino ingenio magis exprimere eam potuerit. Hæc, quia omnes referre alias infinitum foret, maximè feriebat meum animum. Jupiter Rex Deorum & hominum, qui juvenis eandem ſuo patri Saturno injuriam fecerat, è cœlo pellebatur cum Junone conjuge ſuâ ac ſorore, atque aulam æthercam Regina Pecunia non ſine faſtu occupabat.

Ego ingemiſcebam perculſus hoc portento, atque reputabam Fata, quæ terræ obices tranſcendunt, & Olympum ingrediuntur, iis, quos pro ſcelere ulciſci velint, ſecundiores interdum res atque diuturniorem impunitatem largiri, quò gravius ex commutatione doleant. Heu homines, dicebam, quid ſumus, aut, quid altos geſtamus ſpiritus, ſi neque Diis immortalibus de potentatu conſtare certò

queat?

queat? Rotam volubili orbe verſat Fortuna, & ſumma infimis, infima ſummis permutat; quin ſi maneat, Fors eſſe deſiſtit. Ite nunc mortales & in utramque aurem dormite, cùm vos ſatiavit ſuis muneribus. Gladii, & tela, & haſtæ, & acuta ſpicula veſtris cervicibus impendent, minanturque perpetuò jugulum infringere, ac eripere conceſſas dignitates.

Ceterùm dum viſum circumfero, & mei immemor obſtupeſcens hæreo in iſtis imaginibus, recepit ſe Damon ad aram, quæ in medio templi ſtabat. Illa tota erat ex gemmis, nam videbatur aurum argentumque, cum ſtrueretur, Dea loci contemſiſſe, putaſſeque non eſſe ſatis ſimplici arâ adorari. Gratæ ſua viriditate Iaſpides, & craſſi coloris Smaragdi, & Margaritæ albeſcentes, & Cylindri, & Amethyſti, & tranſlucentes Pyropi, aliæque, quarum nomina ignoro, aciem mihi perſtringebant. Ipſum verò Numen oſtro præcingebatur, inſigne erat coronâ ac ſceptro, ſedebatque in curuli ſellâ ſuper aram adeò divinam. Lineamenta pinguiſſimi vultus, & tuberoſiſſimum corpus vitam deſidem & otioſam facilè ſignificabant, & oculi, ſive hoc à nativitate haberet, ſive illam juſtiores Parcæ provectiori ætate ita damnaſſent,

ſuperciliorum velis latebant abſconditi. Tamen poterat & annuere votis blandientium, & indignos à ſe quàm longiſſimè removere. Non procul ſimulacrum conſiſtebat, tam concinnum, ut ſi Vulcanus Phœbo grates referre velit, propterea, quòd Martem oſtenderit adulterium cum Venere patrantem, poſſit ab iſto ſimilitudinem capere, quo etiam tale fabricet. Ante aram procumbebant flexis genibus homines variæ conditionis, inter quos Solis radiis aduſti Nautæ, atque callidi Mercatores maximum faciebant numerum. Accedebant his non pauci cauſſarum Patroni, qui litem ex lite trahunt, & Medici, quibus curæ eſt divitum fatiſcentes morbos in proprium commodum diutiùs fovere. Jacebat Damon ad horum latus, ac devoto geſtu ſic affabatur Reginam Pecuniam.

Regina cœli, quam colunt, alti ætheris
Siderei proceres, & quiſquis in terris agit.
Quam Pluto pallet ac ferox Proſerpina,
Quam Stygii metuunt manes, & horret Cerberus.
Tu vel tremendos ſæva reges proteris,
Vel reficis miſeros, ac volvis humanum genus.
Tu fumidas procumbere ante aras jubes
Quos ſpatioſus habet quadruplici mundus plagâ.

Et

Et me cadentem cogis ad ſacros pedes,
Thuricremoſque focos, votiva ferre carmina.
En ô Dearum ſumma, quæ ſtellas tenes,
En tibi tendo manus, en concidit pium genu.
Per hoc ſuperbum purpura decus precor,
Per capiti rutilo impoſtum tyara fulgidum:
Ne te novercam præbeas, aut belluam,
Septa feris canibus, quæ dente mordaci furit.
Contemno Divos, & nihil virtus valet,
Si tua dona frequens largaſq; dotes offeras.
Quærenda primùm ſemper eſt pecunia,
Et poterit probitas implere ſedem proximam.
Hæc Ianus infimus ſupremuſque imperat;
Corruit aula Iovis, nec ſervat aulam Iupiter.
Tu numen ingens pellis è cœlo Deos,
Teque capax retinet lato nec orbis ambitu.

Ego amplius non tuli hæc deliramenta, verùm me ſubduxi extra templum, Damonemque deſerui crebra ſuſpiria ducentem inter ſuas preces. Neque poteram inclinare ad vanam hanc ſuperſtitionem, quia adhuc recenti memoriæ inhærebat oratio illa, quam Caſtalio diſce-

diſcedens in Palladis æde audiveram.
Antequam autem oſtium exirem, hoc Epitaphium ſe offerebat meis oculis, ita ut lectionem omittere non poſſem.

VIATOR
Adſta, & pauca lege.
D. M.

T. CIMMERIO TENEBRIONI, QUI MULTUM AURI ARGENTIQUE RELIQUIT, QUO IPSE, DUM VIVERET, CAREBAT, MONUM. POS. LÆTI HÆREDES.

Abi & Ride.

Poſteaquam verò proceſſi per mediam urbem, ubi formicarum inſtar multos homines curſitare vidi, & lubrica vicorum huc illuc penetrare, tanquam jam mœnia hoſtis obſideret, veni tandem ad plateam, quæ ab utraque parte oſtentabat domos artificio & ſplendore illuſtres. Et, quia Plutium profectus eram, ut viſerem amicos, contuli me confeſtim ad ædes Chryſii cujuſdam, ſanguine mihi juncti. Is ſtabat in atrio, ac ut me conſpexit, manum extendens, Hermophile, inquit, Salve, ut nunc lubens fruor tuâ præſentiâ! Etenim hodiè quoſdam neceſſarios

ceſſarios ad cœnam vocavi, atque gaudeo te nunc tam oportunè adeſſe, ut illorum hilaritatem poſſis paſcere. Imò te quoque hujus convivii non pœnitebit; nam aderunt aliquæ ex ſequiori ſexu jam nubiles, quæ, ſi Paris viveret, judicium ejus poſſent confundere. Hoc dicto ridere cœpit, & amabili brachio cingere mihi corpus, atque concutere meum latus. Verùm, inquit, ut Caſtalii litterarum ſtudia nunc procedunt? Anne putas te illic ad aliquem fructum poſſe pertingere, quo te non degenerem mundi incolam præbeas. Ego, quid reſponderem? Caſtalium ipſum, neque illius moderatores contemnere poterá, quippe cùm Muſæ nullibi magis, quam illic floreant, ita ut Apollo à Græciâ pulſus perpetuas ſibi ſedes in amœniſſimâ iſtâ civitate videatur deſtinaſſe. Ideò omnia, quę debebam, magnifica de Caſtalio ſum pollicitus, at liberæ juventutis fervidos mores pertinaci ſilentio diſſimulavi. Tandem Chryſius deduxit me in interiorem thalamum. Hìc animus meus quaſi veterno tangebatur, adeò ut ſi dedecus ac ludibria non fuiſſem veritus, me iterùm ex iſto cubiculo clam ſurripuiſſem. Aliquot virgines miſtæ juvenum choro, fallebant innoxiis jocis mo-

ræ faſtidium, donec reliqui convivæ accederent. Omnes tali formâ erant præditæ, ut ſi flores carperent, nécterentque corollas, metuere poſſent æque Plutonis raptum, quàm Proſerpina eum pertulit. Una tamen inter ceteras eminebat, & ſi non Dea foret, habebat ſaltem aliquid, quo cœlum laceſſeret. Nulla vox eſt, quæ pulchritudinem ejus poſſit dicere. Luminum vigor, quem modeſtiſſimâ lege vibrabat ipſum Solem pertrahebat in periculum ſui nitoris. Naſus nec magnitudine excedebat, nec craſsâ mole, ſed utrique genæ, quæ ſanguineo ſuo rubore triſtia Adonidis fata excuſabant, faciebat umbram nigreſcentem. Flexi crines & ſuſtentaculo parùm elevati inſidias parabant incautis ſpectatoribus; & purpureus labiorum color continuum humani cruoris potum videbatur ſignificare. Alba cervix, circumcincta aureis cathenis, delicato initio geminos folles promittebat, qui, quovis lacte dulciores, credi poterant totum Cupidinem ſpirare ex interſtitio & calenti vallo. Statura autem parva erat, taliſque, quæ Andromaches moleſtam longitudinem palam partium ratione damnare audebat. Igitur magis mutus fui ac ſi me ex improviſo lupus vidiſſet, at poſtquam ſpiritum colle-

collegiſſem, ſuccurrit feſtivum illud dictum infelicis poëtæ, quem Corinna Tomos relegaverat:

Parva vehatur equo, quòd erat longiſſima, nunquam
Thebais Hectoreo nupta reſedit equo.

O ſi, cogitabam, liceret oſculum ſumere, ſi tam divina labella premere meis labris, cochleæ in modum iis uſque ad extremum ſpiritum adhærerem, & rurſus iratus meæ ignaviæ repetito baſio redirem ad priſtinas vires.

Sed poſteaquam illa, quam nunc me amare ſentiebam, noluit refragari, quippe humaniſſima erat, circumſtantium votis, quibus rogabant, ut tenellis digitis pulſaret cymbalum, ac cœleſtem cantum miſceret ſonoris fidibus, mihi ſimul cum ſenſu mens è pectore evolavit. Quicquid tamen cordis ſupererat, vacabat tantùm huic meditationi: Felicem eſſe cuí conceditur tam pulchram faciem luſtrare, & audire tam ſuavem harmoniam, verùm ſortem nanciſci cum deorum ſorte non commutandam, qui virginem ita omnibus numeris conſummatam ſibi conjugem poſſet accipere, Dum ſtupeo, dum tremo, dumque faveo miſerrimis meis cogitationibus, intervenit convivii magiſter, omneſque aſſidere

dere juſſit. Ego quamvis aliquantum remotiorem locum à Roſillâ meâ (ſic puella iſta vocabatur) occupaſſem, identidem viſum ad illam inflectebam: ut ferè mihi indubitatum fieret, iacere in eo vultu magnetem, qui ferreos meos oculos moveret. Ceterùm dum blandior cupiditatibus, officium ſuum dentes, & palatum, & eſuriens ſtomachus obliviſcebantur, etſi cibi forent menſæ impoſiti, qui etiam ſaturorum conſtantem abſtinentiam potuiſſent corrumpere. Lepores, perdices, ficedulæ, & Galli ſpadones aſſati molliter, ac leni butyro tincti, perforatique tenui larido, ornaverant ſaliares epulas. Verùm lautitias cœnæ, aliaque, quæ ibi erant parùm ſtudui perdiſcere, ita in Roſillâ magis hærebam. Et cùm reliqui aſſidentibus ſuis puellis ferculorum portiones bifurcato ferro comi receptoque more dividerent, ego ſolus, quaſi abſens, non meminetam tempus lætitiam poſtulare. Semel iterumque auſus fui Roſillæ propinare meum poculum. quod Baucidem, callidiſſimam mulierem, trahere in ſuſpicionem animadverti. At dum ſecundis menſis cupediæ parabantur, & rotundi panes, quos Marcus Medicus dicitur inveniſſe, aſſurgentibus aliquot ego quoque

ſurrexi,

ſurrexi, reverſuſque eâ libertate ſum uſus ut locum mutarem, meque ad latus ponerem formoſiſſimæ meæ Roſillæ. Dii deæq; quis tunc meum animum pinxiſſet? Titubabat lingua, & qui ſuperbire poteram facili facundiâ nunc mirum in modum balbutiebam. Tandem poſteaquam ſubruſticum pudorem viciſſet amoris vehementia, hæc verba ſum proloquutus, manumque Roſillæ premens, geſtu adhuc certiùs expreſſi, quid vellem.

Pulcherrima virgo, quam mater immunem à tenebroſo Acheronte debuit peperiſſe, Niſi ego probè forem conſcius, ipſa numina non tam accuratas preces curare, aut hymnos lepidè conſictos, quàm innocuam caſtamque mentem, dolerem irrevocabile fatum mihi hâc veſperâ tantum onus impoſuiſſe. Etenim quamvis nullus vel ſolertiſſimus ſperare audeat, ſe poſſe dignas præclaris tuis meritis voces reperire; tamen ego, qui ita me victum ſentio fervido amore, ut præcoces tricipitis Cerberi latratus incipiam vereri, ſi mei non miſerearis, malui infantiam prodere, quàm inſontem meum animum ſilentio trucidare. Unum hoc indubitatâ veritate cognoſce, neminem vivere mortalium, quem præ te diligam, adeò ſuis ſagittis crudelis Cupido

Cupido præcordia penetravit. Neque putes ſubitum eſſe calorem, qui levi frigidæ aſperſione poterit extingui. Mens mihi præſagiebat, cùm primùm triclinium hoc intrarem, ipſos deos voluiſſe fatalem ardorem me hîc adoriri, & arbitror illos non magis faciles futuros in tollendo hoc morbo, quàm in infligendo fuerunt. Pro te verò, Nympha, ſanguinem effundere paratus ſum, ac necdum tuas dotes mihi ſatis eſſe cognitas ſcio. Nimirum ſicut è longinquo altiſſimorum montium culmina uſque ad nubes pertingere non videntur, ſed caſtigant fidem viatoris quando propiùs accedit, ita quoque excellentium tuarum virtutum fulgorem melius cognoſcam, quando longiori conſuetudine familiares evaſimus. Concede modò mihi opportunitatem, & commoda tempus, ut meam cupidinem, quali nunquam antea fui contactus, tibi latiori colloquio poſſim explicare.

Interim dum hæc tremens metu & amore, profero, Roſilla nihil aliud, quàm me limis oculis aſpicere, atque aliquando rurſus ad propinquos inflectere, an nemo diligentiori curâ noſtros nutus notaret. Verùm nullus (nam ego etiam quandoque reſpiciebam) moleſtus nobis erat

erat ejuſmodi ſollicitudine niſi ſola Baucis, & fortaſſe inter tot formoſas plures reperiebantur eodem igne aduſti. Ceterùm juvenis, qui è regione ſedebat, aureum craterem admovit, ut operculum tollerem, ſimulque cum Roſillâ meâ biberem, inſiſtens illius virginiſque ſibi vicinæ veſtigiis, ſalutem amicæ. Ego legeram illum verſum Martialis,

Nævia ſex calathis, ſeptem Iuſtina bibatur;
Quinque Lycas, Lyde quattuor; Ida tribus.

Propterea cum exiſtimarem, & nomen adamatæ mihi puellæ eſſe detegendum, & tot evacuandos ſcyphos, quot litteras illud nomen continet, recuſavi poculum accipere; atque apud cunctos tam frigido ſchemate ingentem riſum excitavi. Roſilla autem inſuſurrabat ex lege tantum unam pateram ſiccari, ac ego pudore manifeſtoque rubore ſuffundebar, adeò incommodâ occaſione me eruditionem meam ventilaſſe. Igitur cum prævaricator ille poculum tradidiſſet, Roſillam petii, ut labia ſaltem apponeret, quò vinum poſſet dulcius ſapere. Illa non denegavit, ac tantum abſumſit, quantum potuit pipillans paſſer Catulli. Sed poſt opem adeò largam halanti baſio gratias retuli, atque fui conſequutus

quòd,

quòd, cùm eam primùm videbam, habueram in votis. Et tum poſui mea labra ubi ſua labellula rubicunda poſuerat, dixique nunquam mihi ſuavius fuiſſe, quippe cùm & felicem potum liceret bibere, & attingere cyathum redolentem cinnameum odorem. Ideoqne ſæpius repetii idem beneficium, ſemperque ad ſimiles grates obſtrictus, optavi iterum epigrammate aliquo ſplenis titillationem movere. Atque ut Roſilla me ſciret poëtam, qui in Tanugriâ noſtrâ, & præſertim Plutii, uno die ſæpe tot naſcuntur, quot nunquam unâ nocte fungi, hoſce verſiculos, poſteaquam pateram hauſiſſem, ad aurem ipſius cecini:

Si te puer Diones
Videret ô Roſilla,
Iam te feriret arcu,
(Hoc pulchra forma poſcit)
Et intùs ad remotas
Te tangeret medullas.
Sed tu proterva ludis,
Et, quos amore perdis,
Quos pellis ad furorem,
Mactas atroce tabo.
Venena ſpargis ore,
Quæ ſæviunt voraci
Nocentius cicutâ:
Gutturque viperino

Cruore

Cruore, quaſi frangunt.
Tamen Roſilla, quando
Tango premoque labris
Labella mollicella,
Et oſculum tenellum,
Quo te beavit alma
Gnydi Paphique cuſtos,
Cœleſte, dii deæque!
Mox nectar inde ſugo.
Nec ſentio venena,
Quæ ſæviunt voraci
Nocentiùs cicutâ:
Gutturque viperino
Cruore quaſi frangunt.

Jam Aurora roſeis quadrigis lucidum diem vehebat, fugabatque minores ſtellas, cùm intraverunt cytharædi, & pantomimi, ita compoſiti ad omnem mollitiem, ut Sardanapali viderentur ſatellites. Et poſtquam menſę remotę forent, illi ſeſe ad cantum ac Symphoniam, maxima pars convivarum accingebant ad choreas. Hîc vero amor meus in Roſillam haud exiguum capiebat incrementum: nam omnibus puellis agili pedum membrorumque jactatione palmam eripiebat, & multos juvenum laſſabat non interruptâ ſaltatione. Imò ego, qui obnixè ſtudebam quavis in re illud agere, quod Dominæ placeret, tam diu conti-

nuabam

nuabam, etiam ultra poteſtatem, ut ferè lumbifragium inde auferrem. Rapiebat Roſilla omnes in admirationem ſuâ hilaritate, & quotquot aderant ex tantâ lætitiâ gaudium ſentiebant, quippe & uxorem Catonis, & horribiles Sabinas delectare potuiſſet. Quin ipſe Cato, qui fortè immoto vultu Floralia ſpectavit, ac Craſſus, qui ſemel tantum fertur riſiſſe, animos ſuos exhilaraſſent. Verùm, cùm exactioris ætatis hoſpites graves palpebras diutiùs non ſuſtinebant, fecerunt diſceſſionem, ac noſtra tripudia flacceſcere cœperunt. Igitur virgines domum deduximus, & omnis ſymphonia ſequebatur, atque lautâ modulatione ipſarum auribus inſidias ſtruebat. Ego autem à Roſilla diſcedens diſſimulavi, quamvis ægrè, meum amorem: exhorrebam enim fidem præſentium, atq; conjiciebam ex oſcitatione, quę ſemel iterumque repreſſa nihilominus eruperat, dium Somnum virgâ ſoporiferâ illam tranſiiſſe. Propterea communi ſalutatione contentus fui, moxque verbis ante examinatis ignotos convivii viæque ſocios reliqui. Et illi rurſus blandimenta adhibuerunt, lippis & tonſoribus notiſſima, ac Gallicum morem imitantes ridiculo geſtu tetigerunt ſuram humili ſubmiſſione.

At

At mihi, etſi omnes ad quietem ſe conferrent, domum reverſo nulla quies arduum dolorem tam citò conceptum leniebat, quippe & Roſillam me videre imaginabar,& mecum in ſolatium anxię ſollicitudinis hunc ſermonem penè lacrymas effundens ruminabam. Ergò ego Cupidinis verna nunc ſum factus, cùm hactenus liber fuerim, neque ſciverim, quid eſſent illius tela? Ergò nunc, antequam conſilium cœperim de amando, amoris blanditiis irretitus in durum adeò incidi, qui mihi perpetuam triſtitiam minatur, ac tandem certiſſimam mortem? Ergò nunc ingenii mei dotes, quales multi ſperare poſſunt, nebulis peſſimi hujus affectus decus ſuum amittent? O Caſtalium! O Muſarum ſedes! O Minervæ templum! Tuis ego ſi inſiſterem arvis, audiremque tonantes ex pulpitis divinæ humanæque ſapientiæ peritos, neque me Roſillæ amor urgeret, neque æternæ ignorantiæ caligo immineret meo capiti. Cur non excutio tantum pondus exitiabilis mali, quod nondum firmas radices egit? Cur non acrem hunc ardorem ſevero imperio à me propello? Cur non potiùs ſalutis meæ curam gero, quàm, quòd ſenſim influentis febris dulcedinem ac lenocinia

nocinia alam? Non eſt animo meo iſta vis, nec poſſum è me ipſo impetrare inhumanum hoc facinus. Nam, quid accuſo mea conſilia, & laudabilem impetum, quo amare cœpi? An illud crimen eſt? Quàm ingens igitur aliquando commiſit immenſus cœli Rector, qui tauri cornua, plumas cygni, aliaſque mutatas formas ſæpius aſſumſit? Quàm igitur deſeruit honeſtatis tramitem magnanimus Hercules, quem Omphale ad telam adegit; aut fortiſſimus Achilles, qui deperiit ancillam Briſeidem, ac poſtea Polexenam filiam ſui hoſtis? Ego verò experiar Roſillæ meæ benignam frontem, vel deluſus fraudibus ſcævi Cupidinis, quæram editam præruptamque rupem, ex quâ præcipitem ſaltum faciam, qualem in Leucadiâ fecit Cephalus, Ptarolam ardens impatienti amore, & Lesbia Sappho, perculſa Phaonis deſiderio. Neque profectò ejuſmodi alloquio finiebam meum dolorem, ſed toto die quaſi mente exſensa huc & illuc divagabar. Tantæ molis erat primus ille inſultus, ut grande documentum darem, quid ultimum in libertate, primumque in ſervitute foret. Circa veſperam verò petii novi vulneris conſcium locum, Roſillamque inveniens,

faſſus

faſſus ſum audaciùs, quàm in Chryſii menſa conducere putaveram, meam cupiditatem. Et, ut reliqua cognoſceret, quæ ſilentio prætererieram, tradidi Elegiam hanc, exiſtimans divinam virginem Phœbi cultores diligere.

Scribit amans, linquitque tibi, quam voce ſalutem
Dicere præſenti mallet & ore loqui.
Cùm fari incipio mihi mens & lingua reſiſtunt,
Ardorique meo non bene verba favent.
Cur neque Dii faciles, neque ſunt in amore ſecundi?
Cur de me ſpolium bella Roſilla tenet?
Vt citò jam poſſem Stygias calcare pruinas,
Vt citò me caperet cymba Charontis onus.
Nam mihi vix unquam vel vox, vel lingua tremiſcit,
Hei mea non valeo dicere vita dolet!
Nec flammas Veneris, nec ſpicula miſſa fateri,
Me quibus Idalius lancinat ille Deus.
Quid loquor ah demens? non ſunt Cythereidis ignes,
Non me læſerunt tela feri pueri.
Ipſa Roſilla ſuum miſerè ſic uſſit amantem,
Illa magis, quàm tu ſæve Cupido nocet.
Luminibus torquet tales ac ore ſagittas,
Vt mox è viſu cura dolorque fluat.

Parve

Parve puer, ſi tu ferias, puer alter amatur,
Aut bene comta comam pulchra puella placet.
Saucius immites Divûm Rex ſenſerat arcus,
Senſerat & laqueos alma Dione tuos.
Senſerunt plures hominumque Deûmque doloſas
Fraudes, corda quibus dilacerare ſoles.
Maximus at ſemper Iunonem Iupiter arſit,
Europam, Semelen, Acriſiive lares.
Quemque venus cupiit, quam tu quoque tangere geſtis
Vulcanus pater, & Mars, & Adonis erat.
Et, quos præterea mortali ſemine cretos
Crudelis nimis in ferrea vincla fugas:
Traducunt aliò ſua vota preceſque, nec ullus
Improbe te propter pectore vulnus alit.
Diva magis, quam tu Deus es, formoſa Roſilla
Cogit amatores igne perire ſuo.
Spicula ſi mittat, non hic, non alter amatur,
Hanc, quæ ſic miſit ſpicula quiſquis amat.
Horreo nec nigri poſthac miracula ſaxi,
Nec, quòd ſponte gravis currat in alta chalybs.
Nam ſaxum hoc ſuperat mea lux, mea blanda voluptas,
Frigidius Scythicâ quæ nive pectus habet.

Decolor,

Decolor, obſcurus, vilis, cognomine magnes
Haud latet, ut teneat nos in amore, lapis.
At roſeo vultu nitidiſſima lumina fulgent,
Lumina quæ cœli quam magis aſtra micant.
Illa vel aſpectu quaſi fervida ſidera torrẽt,
Illa velut magnes pectora dura trahunt.
Dura trahunt, inimica trahunt, ego liber & inſons
Hactenus, heu miſerum! ſemper eram facibus.
Verùm fumanteſq; faces rapidaſq; ſagittas
Sentio, lunatus fit mihi notus amor.
Sic volucris quæ non metuebat retia ſpernit,
Et venatori præda cupita cadit.
Cùm te virgo tamen, ſi fas hoc dicere, purâ
Mente colo, tua non eſt mihi grata ſalus.
Nempe tibi totidem tantoſq; exopto dolores,
Quot me, quot mœſtum, nocte dieque premunt.
Ridebam nervosque truces, jaculosque volantes,
Quæque ſuis numeris aliger arma gerit.
Sed nunc ipſe fero percuſſus ab igne liqueſco,
Et mihi jam triſti nil niſi flere datur.
Nunc ſcio quid ſit amor, nunc primum diſco furores,
Tactus eram non his ante cupidinibus.

Vincula nulla manus ſubmiſſas porrigo, divûm
Maxime, ferre nego, parcius ure tamen.
Fac tandem, ſi vis te præmia digna referre,
Frangatur precibus pulchra Roſilla meis.
Tum roſeæ pingui pendebunt limine vittæ,
Atque corolla decus myrtea frontis erit.

Inter amatores autem Roſillæ juvenis erat, qui Mopſus appellabatur, aperto pectore, & ingenio neque ſubtili admodum, neque ſtupido: quamvis ſe beatum prædicare poterat, quòd, quemadmodū magnis virtutibus non eſſet præditus, ita etiam grandium vitiorum labe non macularetur. Is cùm liberum ad Roſillam haberet acceſſum, ego me inſinuavi in illius familiaritatem, ac blandis adulationibus ſuis laudibus plaudentem, antequā cogitaret, occupavi. Adeò ut exiguo tempore me penè nimiâ amicitiâ complecteretur. Verùm ego ingratus fui adverſus tam candidum hominem, omnesque nervos intendi, ut expellerem ipſum, quo adjuvante tamen arctiori conſuetudine Roſillæ conjungebar. Nempe non patiebar rivalem, atque contemnebam illius ſtultitiam, quæ ſe ſimpliciſſimâ lenitate prodebat. Ergo cùm viderem Roſillam admirari egregiam altamque mentem,

tem, abuſus ſum Mopſi vanitate, moresque ejus oblata occaſione ſemper laudavi, at eximiam probitatem dolui obfuſcari torpore cerebri deſtituti igneo vigore. Quippe omninò eum vituperare non videbatur conſultum, ſed dolo adoriri præſtabat, quia fuiſſet credibile, ſi penitus eum contemſiſſem, ex odio tale judicium prodire potiùs quàm ex veritate. Et tandem ſic Mopſum ſugillando, perfeci, ut Roſilla vitaret illius præſentiam, apertisque votis meam concupiſceret. Gaudebam verò, poſteaquam rem eò deduxiſſem, Mopſum in idem conſilium mecum conſpirare, & fingere ſibi ſe amorem Roſillæ propter me libenter ex animo eluere. Nam videbatur cœlum decreviſſe, ut ille in me iram non conciperet, quoniam orta ex tali cauſa ſæpe ingentes turbas concitat, & quoque ante miſerabilem Troiæ interitum notiſſimam belli anſam præbuit.

Fortè mecum ambulabat in Chryſii umbraculis, æſtum enim vitabamus, gradúmque parumper ſiſtens, amico vultu me intuens, inquit, vides me Hermophile? Si virtutes tuæ, quas ſuſpicio, mihi ſola fama eſſent cognitæ, tamen ubique tibi vellem gratificari; nunc cùm aliquã ſaltem inivimus conſuetudinem, quam

ego diuturnam voveo, adeoque firmam ac Oreſtis fuit & Pyladis, vitam acerbam mihi arbitrarer, ſi non quidvis pro te facerem. Noli putare quod mentiar, aut fictis vocibus; quas nunc unuſquiſque addiſcit, tibi tentem palpum obtrudere. Enimverò meum in te affectum tam ingenuo tamque ſincero experimento annitar comprobare, ut aut ipſe neſcies quid fides ſit, aut de mea fide non dubitabis. Intima parentum Roſillæ meorumque neceſſitudo jam ab ineunte pueritiâ ſpem mihi dedit, poſſe inter nos contrahi conjugium. Et poſtquam grandior adoleſcentia mihi liberiorem permiſit vivendi poteſtatem, poſtulavitque ut virginum conſortio me quandoque immiſcerem, nulla puellarum, quas unquam vidi, animo meo magis potuit allubeſcere. Ideoque jam ab aliquo tempore iſti curæ toto pectore incubui, ut Roſillæ perſuaderem quòd me tali amore proſequeretur, quali ego ipſam diu ſum proſequutus, quo larium thalamique communionem iniremus. Neque ſine fructu hactenus laboravi, quippe parum abeſt quin certus ſim, ſi modo ex vultibus hominum mores colligantur, quòd ejuſmodi amorem incipiat ſentire. Deſiſto autem nunc promovere meos ignes, quoniam

niam te eoſdem quoque pati facilè conſpicio, etſi poteram ſucceſſum adeò fauſtum ominari. Non ſuſtineo tibi obeſſe, Hermophile, & quamvis ferreus Cyprigenæ filius omnia vincat ſuis ſagittis, tamen benevolentia erga te, quæ mihi in horas tantùm creſcit, quantùm vere novo tenelli frutices ac extrema graminum cacumina, vincere adhuc potuit illius potentiam. Aliò tranſtuli ardores meos, ubi brevi felicem exitum ſpero, qualem tu quoque credo cum Roſillâ exoptas.

Poſt hanc orationem ego me vix valui ab enormi riſu temperare, ſed ne paterer damnare me Mopſi ſimplicitatem, ſimulavi quòd eum propterea amarem vehementiùs, & exoſcularer animũ pronum ad omnem benignitatem. Ceterùm ne emanaret in vulgus, quod occultare conſtitueram, negavi propoſitum eſſe litare Hymenæo, nihilominùs gratias agere, quòd mihi tam benè cuperet, arbitrarique conducere, ut ipſe perſeveraret in ſuo conſilio, à quo deſiſtebat mea cauſa, etſi nunc proſpiceret finem. Me enim qui Caſtalii literarum ſtudiis innutriebar, cane & angue pejus lunatum arcum Cupidinis odiſſe. Verùm permanebat in ſtatuta ſemel ſententia, quamvis ego exiſtimem deſperationem potiùs quàm cupi-

ditatem mei illum impuliſſe ad iſtam benevolentiam, atque officium, quod in me premebat.

Igitur remoto jam Mopſo, rivali meo, ego ſolus incumbebam tantis deliciis, & ferè habitabam in ædibus Roſillæ, illasque tam crebrò frequentabam, ut notiſſima fabula fierem in totâ civitate. Excipiebant verò omnes Roſillæ familiares me humaniſſimè, ac ego ancillarum humanitatem fovebam aſſiduis muneribus, quando mihi januam occaſionemq; Dominam conveniendi pandebant. Solus canis, quem ſemper Roſilla in ſinu geſtabat, habebatque in deliciis, diu adverſum me hoſtilem latratum tollebat. Erat autem exiguus valde, & auribus oblongis, naſo duplici, fronte rugosâ, moroſæ anus inſtar, caudâ in ſemicirculi ſpeciem retortâ, pedibusque leoninis, atque pulcherrimis maculis naturali diſcrimine eleganter veſtitus. Nec ullis blandimentis mollire potui tantam latrandi rabiem, antequam diuturnitate temporis perferre conſuevit crebriorem meum adventum.

Cur me parve canis, Roſilla ſemper
Quem pulchro ſolet in ſinu fovere,
Et ſolatiolum ſuum vocare,
Cur me, cur probibes ferociente

Latro-

Latratu ad Dominam tuam venire?
Non ſum proditor aut latro cruentus,
Non ſum, crede mihi catella, non ſum,
In quem ſic acuas amara dentes.
Decet te potius movere caudam.
Ac mox ante pedes meos jacere,
Aut geſtu latus aſſilire blando,
Cum pandunt famulæ fores domumq́;
Admittuntq; magis qui amat Roſillam
Quam te delicias ſuas Roſilla,
Mellitas amat, aut ambit unquam.
Vel quàm Lesbia paſſerem venuſtum,
Vel quàm Publius olim amabat Iſſam.
Noli poſtea me ferire morſu:
Tum dicam numeris Catullianis,
Blandæ quantus ineſt pudor catellæ!
Nam novit Venerem ac amoris ignes,
In quêis mœſtitiamq́; gaudiumque,
Et ſuſpiria ſentit, & dolores.
Quare non per iter tenebricoſum,
Omnes unde negant redire quenquam,
Ibit funera poſt rogumque triſtem;
Eſt cœlo locus inter aſtra, & illic
Fulgens ſidus erit micansq́; ſtella.

At dum ita inter me & Roſillam libera converſatio procedebat, dabam ſedulò operam ut meum amorē in illam transfunderem. Sed ſi omnes repeterem habitos ultrò citroq́ue ſermones, infandum dolorem renovarem, luctumq; tam cru-

delem, ut benignè mecum dii egerint, quòd vivus evaſerim. Nunc Roſilla in favoris ſignum cingebat mihi ſiniſtrũ brachium cathena aurea aut corallina; quam ego, ſuperbus precioſo munere, abſcondere nõ poteram. Nunc mihi priores ſuos amores commemorabat, ac ſæpe de parentũ avaritiâ conquerebatur, qui ſe pecuniis mallent quàm marito emancipatã. Imò cũ aliquando, velut aliud agens, pulſum ipſius attrectarem, percipiebam animum, quem ſilice duriorem finxerat, frangi ac inflecti: & ſi eam baſiarem, teſtabatur labiorum motu ſibi placere talem contractum, quem dediſſet ipſa, niſi prohibuiſſet virgineus pudor. Adeò ut nihil ad finem dandã ſupereſſet quàm audacia, quæ in medio conatu eã ſæpe deſtituebat. Hæc dum aguntur nõ perfunctoriè, Fortuna, quę ſe iniquã ſolet oſtendere proſperitati humanę, Roſillam à me ſejunxit. Etenim conſtituebat celebrẽ in proximo urbẽ viſere, quò ego eam ſequi nolebam, ne augerem ſuſpicionẽ. Interim tamen ſæpius exarabam literas, quibus ſignificabam, quod non mediocriter afficerer diuturniori abſentia, quodq; mœſtus ad januã ipſius quandoq; adveniens ſimilis excluſo recederẽ à vacuo limine. Et illa commiſeratione mei ducta citiùs

revertebatur, ac reſcribebat hunc in modum. *Roſilla Hermophilo ſalutẽ: Gratum eſt, quòd certiorẽ me facias te abſentiâ meâ torqueri, & propter flagrantem adeò amorẽ te redamarẽ, niſi vetaret ferrea anus, quæ ſtamina vitæ noſtræ ducit. Tamen faveo candidæ benignitati, ac ſæpe magnam partẽ noctium in imagine tuâ vigil exigo. Mecũ enim reputo, multũ ineſſe dulcedinis, quod coram quoq; ſum experta, tuis ſermonibus, cùm literæ tantam ſuavitatẽ ſpirent. Laudes vero quibus me oneras non mereor, etſi gaudeam quod tibi videar mereri. Plura, quæ tua ſcire interſunt propediem præſens præſenti narrabo, ſi frontis ruborem poſſim ſuperare. Nunc Vale, & Roſillam tuam amare perge: ego tibi tot fauſta opto, quot ipſe unquam optare potes.*

Poſteaquam Plutiũ Roſilla rediit, ego illam inviſebã quotidie, ac ſæpe ante mediam noctem non veniebam domum: ita ut Chryſius decipi amplius noluerit, cœperitq; meos mores diligenter ponderare. Et cùm me miſerrimo mœrore tabeſcere cerneret, atq; ad ultimã reduci maciem, amorẽ ſubeſſe nõ dubitavit. Quamvis autem Roſillã, ut par erat, æſtimaret, amicisq; Roſillæ uteretur valde familiariter, tamen putabat, nec è meâ re, nec è Roſillæ fore, ut eam ambire perſiſterem.

Scilicet ego ſtudia mea ad exitum nondum deduxerã, & illa divitiis non abundabat, quas credebat Chryſius requiri inter homines, quando animum applicant ad uxorem. Ergo cùm aliquando me ſolum vocaſſet, & iracundiam miſcuiſſet blandimentis, ceteraque adhibuiſſet, quæ in me maximè valitura arbitrabatur, ejuſmodi verba protulit, quæ quemvis, cui Titan meliori luto finxit præcordia, à furibundo impetu coercerent.

Nunquam magis, inquit, hominum miſeria patet, quàm cùm videmus inſtabilem Fortunam Felicitatem aut obfuſcare ſuo abitu, aut adventu reddere eximiam. Etenim ſcio Heroicas voces, Natura paucis contenta eſt, ſudatur ad ſupervacua; quippe poſſumus, ſi pacem habeamus & polentam, gaudere noſtra ſorte, ac Jovi Olympum non invidere. Verum cum res anguſta etiam maximis obſit ſæpe virtutibus, prematque tales, quos ſtipant propè omnes liberalis ingenii dotes, nõ emerget facilè aliquis, qui paupertate ſordet, atque rarò erit in fama ac æſtimatione. Eſt quidem res magna integritatem quærere & abſtinentiam, factorumq; oſtentationem per artem non venari, ſed optimi quiq; laudibus & gloria ducuntur. Ideo dolorem, Hermophile, ſi

le, ſi tu, qui eoſdē proavos numeras, quos ego, ſordidum non exiſtimares atteri inopia, adeoque indignum in te committeres facinus, ut aleres cupidinem, quæ incommodum inferat noſtro ſanguini, poſterosque promittat poſitos longè infra dignitatem parentum. Non poteſt me latere diutius te amare Roſillam. Quæ quamvis, exculta pluribus naturæ donis, digna ſit nuptiis ditiſſimi, tamen ego te perſeverare in tuo propoſito nunquam feram, ſi aut imperium meum apud te valeat, aut preces.

Teneo te, Hermophile, ab immani præcipitio, à quo te nullum numen liberaret, quod aut terram, aut cœlum, aut Amphytrites undas occupat. Neq; ignoro hæc non capere juvenilem tuum animum, quia illecebras ſuas fucosque amor adſpergit, ſed gratias inibo, quando ſeriori ætate ad bonam mentem fueris reverſus. Nam ſi Roſillam uxorem duxeris, periiſtis ambo: quippe eo vergunt mores hujus ſeculi, ut infimus è proletaria turba magnatum habeat ſuperbiam, adeoq; ſplendidè familiam adminiſtret, quàm maximi proceres ſummo loco conſtituti. Poſſet eodē jure dentem ſuum exerere Hiſpanus poëta ac olim, cum canebat;

Das gladiatores ſutorum regule cerdo,
Quodq; tibi tribuit ſubula, ſica rapit.

Quare per ipſum amorem Roſillæ te rogo, ut deſiſtas Roſillam amare, vel potius ut ames eam, nec tam immiti odio proſequaris. Et profecto, ne quid diſſimulem, non tua adoleſcentia, non vitæ ſtatus conjugem adhuc permittit. Pelle, pelle tuos ignes, & Caſtalium ad Sapientiæ cultum redi, atque poſt aliquot annos, quibus invigilandum eſt doctrinæ ſtudiis, veni ad Rempub. vel forum, & poſteaquam illuc es delatus, ad puellam, cui te totum offeras, neque, ut nunc facis, parte tantum dimidiata. Atque ſi tum oculos in divitem conjicias, non aberrabis. Enimvero dolendum foret, ſi ſemper virtutis ac pudicitiæ ſoror eſſet paupertas, neque uſquam reperirentur virgines, in quas Fortuna & Natura, larga mater, ſua munera certatim contulerunt. Deterret te fortaſſe fabula Pandoræ, quā ſinguli dii donis ornaverant, ſed illa tam ingens damnum intulit Epimetheo, quia Mercurius mendacia mentemque impudicam ipſi infuderat. Non volo autem ego aliquem ſolis divitiis inhiare: quippe ſtolidi mortales, qui nihil ulterius in uxore futurâ deſiderant, merentur ut fatuam nanciſcantur, & luſcam, &

man-

mancam, & ſimiæ ſimilem magis quàm fœminæ, quo avaritiæ ſuæ pœnas luant. Imò pecunias ac fertilis ſoli multa jugera conſequi eos non oportet; aut ſi conſequantur, digni ſunt ut nunquam quierè vitam ducant, at magno malo rixis & jurgiis quotidie mactentur. Te verò, Hermophile, quando occaſio & maturior ætas id ſinit, puellam ambire volo forma peregregia, eximia ſtirpe, ac virtute & opibus honeſtis: aut, ſi inimica ſors illas negavit, tali genere oriundam, ut ſola cognatorum præſtantia te ad opulentas dignitates extollere valeat. At nunc dele dehinc ex animo omnes mulieres, & quando otium, quod te perdit, periit, peribit etiam amoris vehementia. Si autem Caſtalium tibi morbum tuum, qui nullis herbis eſt medicabilis, in memoriam revocaret, ſecede in remotiora loca, ac pulcherrimam mentem peregrinationibus redde meliorem. Interim Roſilla viro conjungetur, aut ſaltem tu de ipsâ non cogitabis.

Audiebam ego ſalubria admonentem, & quamvis quæ memorabat vera eſſe ſciebam, tamen cogebat furor pejora ſequi, vadebatq; animus continuò in præceps, ac fugiebat ſana conſilia, quæ tamen expetenda judicabat. Pugnabam cum

cum amore meo, atque extemplò labor cedebat in vanum, ratioque abripiebatur, haud ſecus quam victa puppis adverſo flumine. Torrebar flammis indomitis, quas ipſe triſulci fulminis opifex ſenſit, & belliger Gradivus, verſabarque miſer in rotâ Cupidinis. At tandem conſtitui apud me partem ſanitatis eſſe velle ſanari, affectumque, qui regi nolebat, frenis perdomui, & parui Chryſii admonitionibus. Quia autem Roſillam non tam citò poteram obliviſci, neutiquam placebat Caſtalium reverti, ſed peregrinationem poſcebam in remedium ægritudinis. Propterea ultimùm Roſillam ſalutans, atque creberrimis amplexibus non ſine fletu cariſſimàm virginem valere jubens, comparavi omnia neceſſaria, citoque itinere in Charichtoniam ſum profectus; quò plerique Tanugrienſes tendunt, quia externi mores ibi amabili feſtivitate condiuntur, & quia iſta lingua facta ad humanitatem, ubique ferè gentium in aulis ac foro principarum obtinet. Hîc verò quid agam, & quomodò tranſigam florem juventutis, narrabo ingenuè in patriam reverſus: poſteaquam memoria Roſillæ eſt obliterata, quam intelligo jam Chronum ambire, venuſtum hominem, facieque tam ſquarosâ

quàm

quàm Therſites fuiſſe creditur. Nunc proclamare audeo, me invenire tot exempla majoris impietatis, quàm in Caſtalio vidi, ut perpetrata à me flagitia poſſim virtutes nominare. Donec redeo, hoc propempticon, quo me abeuntem proſequutus eſt quidam ſodalium, lubet apponere, ut oſtendam fuiſſe, qui velut Orpheus aut Amphion eſt conatus undarum ferociam compeſcere.

Qui tumidis das jura vadis Deus æquoris, & quæ
Incolis altiſonas ſpumea Tethis aquas;
Ite per undoſum pelagus, componite ponti
Murmura, & irati verbera ſæva maris.
Non Aquilo moveat fera bella, nec horrifer Eurus,
Sed trudat Triton Cymothoeque ratem.
Tunc, Neptune, tibi binos ex more juvencos
Mactabo, ac templis thurea dona feram.
Irrita quæ dico? quæ vota? quid opto? faventes
Ventos, qui ex oculis gaudia noſtra trahant?
Æole quin potius diris inſurge procellis,
Et ſimula trepidam mergere velle ratẽ.
Quis furor exiguo vitam, cariſſime, ligno
Credere? & immiti ſe dare lintre mari.

Quàm

Quàm malè conſuluit, quisquis fuit ille, ſaluti
Humanæ, monſtrans pandere vela Notis!
Narratur toto lepidiſſima fabula mundo,
Icare de lapſu non bene caute tuo.
Scilicet is, pennis ſecuit qui cœrula primus,
Debuit inventis interiiſſe ſuis.
At cur ſic doleam? non hinc moriturus abibis,
Nec ſqualore ſenex ſordidus oſſa vehet.
Abnuat hoc Lacheſis; triſtes prohibete ſorores,
Vmbrarumque pater pallida ſceptra tenens.
Vltima me potius lux turbet ad oſtia Ditis:
Nā mihi bis miſero mors obeunda foret.
Interea non ulla dies, non tempora noctis
Te ſine, non blanda gaudia mentis erunt:
Dùm longum meditaris iter, patriamque relinquis,
Dum petis Hectorei regna beata ſoli.

FINIS.

VIN-

VINCENTI FABRICI

SATYRA,

PRANSVS PARATVS,

In Poëtas, & eorum Contemptores.

Nobiliſſimo & Incomparabili

VIRO,

CLAUDIO SALMASIO,

Equiti, & Regio in Sacro Conſiſtorio Conſiliario

S. D.

VINCENTIUS FABRICIUS.

DIu eſt, *Vir Nobiliſſime, cum nec vitia poëtarum, nec eorum remedia pati potui. Arbitrabar non vulgaribus ingeniis contingere furorem illum; & tantæ omnium ſeculorum autoritati religioſe, ut debui, conſenſi. Cæterum, cum hoc tempore multa parum benigne de poëtis vulgo jactarentur, quæ à vero non longe abeſſent, ipſe quidem ea ſtudia per otium aliquantiſper ſectatus ſum, ut tamen certo mecum nondum conſtituerem, quid de toto illo genere judicandum foret. Senſi tandem omnem calumniandi tempeſtatem ab iis maxime concitari, qui inanes aliquot ſenſus*

ſus picturatis verbis, tanquam cymbalis circumferunt, quodque ingenio & eruditioni deeſt, ambitione, & audacia compenſant. Ad quem ſcopulum ipſe quoque eo frequentius impegi, quo à ſummorum poëtarum excellentia, qui hoc ſeculo antiquorum gloriam ſupergreſſi ſunt, vel indolis, vel fortunæ meæ malignitate abſui remotius. Cum tamen adeo ſtupidus non eſſem, ut, quod perperam à me fieret, ſentire nequirem: vicit nihilominus inveteratum κακόηθες, ut à verſiculis non abſtinerem, quoties otioſam horam nanciſcerer. In quo genere nec placere mihi unquam, nec temperamentum etiam indicere potui. Sed vero, cum remedium omnino aliquod circumſpiciendum eſſet, ad eam rem eſſe id viſum eſt unicum, ſi dicaci libertate ipſe me, & ſodales aliquot meos, qui non multum, ſed plane tantum, quantum ego, ſapiunt, inceſſerem. Nempe, ut vel convitio admoniti, ab ea gloria advocaremus animos, & ſtudia inania, quæ ſummos, incomparabilesque viros Æternitati conſecravit. Atque idcirco ante biennium ſcripſi quiddam quaſi Satyram: non tam ut ingenii laudem quærerem, ſed ut meam, meique Cluvieni vanitatem ſufflaminarem. Vides, Vir maxime, quam iſta meditatione nihil actum ſit. Neque enim retineri potui,

quin

quin denuo repente poëta prodirē, ne plane ludibrium publico non deberem, quem ſatis ſuperq; amici hactenus traduxerant. Quę in re aliquid ſimile eſt ei malo, quod multis ſolenne eſt

Εἴκοσι τὰς περὶ κυνὸς, καὶ εἴκοσι τὰς μετέπειτα.

Quamvis enim, cum in conſpectu adumbratę quietis pauliſper ſunt, ſuę mentis eſſe videantur; tandem tamen feruntur ſolito œſtro. Sed, ut familiaribus meis conſtaret, non tam eam mei judicii, quam mali moris, & ſeculi labem eſſe, totum hoc convitiorum plauſtrum cum ſuperioribus conjunxi. Id qualecunque ſcriptum, Vir illuſtris, ad Te mitto, ut ſaltem, quid judicem, ſentiamque, intelligas, qui morbi mei vehementiam non ignoras. Puto autem facilius emendari me poſſe, ſi voluntatem meam Tuis monitis juveris, qui pręclara omnia videns, & optans, meo tamen remigio ſolus eluctari nequeo. Neque vero de affectu aut ſtudio Tuo dubitare me pateris. Cùm enim infinita illa eruditione admirationem, laudesque omnium exceſſeris; candoris tamen, & amoris laudibus, quę humilium proprię ſunt, etiam mihi Te ęquaſti.

PRAN-

PRANSUS PARATUS, SATYRA.

DEliramenta cui audire non vacat, è mundo exeat oportet. Ea nunc humanarum rerum ratio eſt. Me quod attinet, memini ſane temporum, quibus natus ſum. Novi quendam, cum prudenter multa monuiſſet, ſuæ tandem vernilitatis pænitentiam egiſſe. Non enim magis intelligebant homines quid diceret, quam ſi Mexicana lingua locutus eſſet, aut Punica. Qua tamen fide pleraque hodie negotia tranſiguntur. Nuper enim vernacula facta eſt, poſtquam poſſeſſione Veritas dejecta cum ſua ſibi ſorore lectiſſima puella, Libertate vicatim mendicare cæpit. Mappam jam miſit Prætor. doli, fallaciarum, deceptionum Megaleſia ſunt. Concurritur undique: aliique alios impellunt, impelluntur q;. Inter hæc tamen aliquot homunculi, cum, quod agant, non inveniunt, bona fide dormiunt. Hebetiores fortaſſis, quam ut verſutiis, aut dolis animi mentem accommodent. Ineptus plane Ariſton fuit, qui dimidium vitæ noſtræ ſomno perire queſtus eſt. Mihi tunc demum beatus videor, cum

alto

alto compoſitus ſopore, iiſdem mecum ſtragulis quietum, & defæcatum animũ involvo. Curæ autem omnes, & moleſtiæ diurnæ adductis cortiniis faceſſunt. Poſtridie ſomnia mea recordor; aut etiã quandoque inter amicos cantillo. Alios mores qui à me exſpectat, ab eo poſt annos mille proximos conveniendus ſum. Quo tempore ſi fortaſſis peregre abero, imputet ſibi, quod ſine ſuffragio populi alienæ vitæ cenſuram egit. Porro ex Ariſtotele didici, quo quiſque melior ſit, eo meliora eum ſomnia videre. Admirabile eſt, per Morphea, quantum promoverint Philoſophi. Equidem cum verecundas hactenus de me ſententias dixerim, parum jam à faſtu abſum, quod tanto autore ſomniorum qualitatibus virtutes metior. Nec enim profecto aut dormiendo cuiquã, aut ſomniando concedo. Sed & hic morbus hodie non paucos tenet. Tota Urbe nuper audivi aut opes, aut genus, aut facta denique ſua narrantes: id eſt *vitrea fracta, & ſomniorum interpretamenta.* Per omnes articulos populi hæc mali gangræna permeavit. Neque templis parcitur. Ubi quandoque turbulenti ſoporis reliquias imperitæ plebi benigna manu Ariſtander aliquis, aut Tireſias diſpertit. Ut de Stentore

tore nihil dicam. Iam olim impune auribus noſtris inſanis clamoribus abutitur. Poſtquam enim ad lucernam ex pædagogo neſcio quæ fruſta ineptiarum ſublegit, ea per noctem male digeſta, ſi imprimis uxorcula latus pupugit, ſummo mane Sticho alicui, aut Myſidi, ex umbone, tanquam oracula jactat. Veluti

Gallinaceus cũ victor ſe gallus honeſte
Suſtulit in digitos, primoresque erigit ungues.

Poſt quæ omnia mirifice ſibi placet. Frontem hominis arrogantiſſimi ſexcenties vidi. Crede mihi, tam fimbriata eſt, ut vel Hermaphrodito ſufficiat. Sed quid ſomniaverim nuper, explicandum eſt. Nimis ambitioſe evagatus ſum, non tam meo vitio, quam ſeculi quo nemo ad ineptias, niſi magno molimine, & prolixo ſyrmate accedit.

Proximis Eidibus, cum, ut conſuevi, ad dormiendum me compoſuiſſem, mirifica imago quieti meæ illuſit. Nondum noctis meridies erat, & viſus ſum in Atlantico Oceano, debili & parva ſcapha navigare. Nemo quærat, unde ratem ſolverim; quæ cauſſa viæ, quæ negotia fuerint. Ea ſomniorum ratio, ut non aliter conſtet, quam ſi nemini reddatur. Et præterea, cum dormio, mirum in modum obli-

obliviosſus ſum. poſt ſomnum autem neſcio quo pacto moroſior. Statim odi, ſi quis inviſis quæſtiunculis moleſtus eſt. Haud paullo civilior Lucumonibus aliquot, qui annis ſuperioribus itineraria ſcripſerunt. tanto omnino apparatu, ut, cum vix bis mille paſſus promoverint, tibi ſexaginta paginæ legendæ ſint. adeo ſollicite ſingula perſequuntur. Alius aurigæ nomen, & portæ, qua egreſſus eſt, amplitudinem; alius arborum numerum & villarum feneſtras otioſe recenſet. Expecto jam, qui quanti ocreas emerit, quis gladium fabricaverit, bigiſne, an quadrigis vectus ſit, qua ſorbitiuncula ſtomachum fulſerit, exponat nobis. Navigabā itaque ſine ſociis, ſine magiſtro. Idque, per Nerea, ἀθαλάττωτος, ἀσαλαμίνιος. Sed ad illam miſeriam dormiendo perveneram. Quid de illis cenſes, qui publicorum momenta conſiliorum imperitis committendo, ſalutem Reipublicæ, etiam cum vigilant, profanant. Perigeſiam, urbem magnam, & celebrem nemo ignorat. Ego in ea bonam ætatis meæ partem exegi: ſed ad poſtremum, cum quorundam inſolentiæ tæderet, diſceſſi. Invenias illic homines aliquot ſtolidos, atq; arrogantes, qui publica autoritate poſthabita, magiſtratus patientiam jam olim tentarunt;

runt; nunc tentatam traducunt. Itaque confertim, ϗ ἀπὸ ῥυτῆρος, ad diripiendam Rempublicam convolatur. Nemo eſt, qui ſe non optime tenere clavum poſſe confidat: cum pleriſque vix in ſentina ſit locus. Neq; nihil actum eſt. jam olim virum venerandum, Plutum, ad ſe tranſtulerunt. Mox, ut fit, audacia ſucceſſu elata, ad ſubruendam dignitatem Patrũ erupit. Quibus, proh pudor, velut inſanis ac prodigis, bonis interdictum eſt. Ita viri graves, quique ingenium per varias ſcientiarum rationes direxerunt, ſuis rebus ſupereſſe non poſſe judicati ſunt: poſtquam quorundam ſapientia ſe ultra cinnamomum, & piper extulit. Sed, ut cæperam dicere, primo quidem levibus auris impelli ſcapham ſenſi. E longinquo autem Atlantis vertex mari imminebat. Quem dum curioſe ſpeculor, quod infinitas ejus deſcriptiones olim legiſſem, ecce tibi nimbum, & grandinem, & tonitru (nihil enim poſſum inſanius dicere) bona fide poëticum. Ibi ego, quem fortuna inter rabiem maris, cælique deprehenderat, nugarum omnium oblitus, quo caſu eò deveniſſem, à me requirere cæpi: mox etiam animo linqui. Atque ita in cymba porrectus aliquandiu jacui; donec incidens fluctus frigore aquarum defi-

deficientē ſpiritū recollegit. Mox in vaſtas profundi maris voragines delatus, alternanteque fluctu ad aſtra revolutus, ſpem, opemque, quæ in arte nulla erat, à ſuperis expoſcebam. Subiit exinde cogitatio, quanta miſeria ſit avaritiæ, quæ ad aurum, ſpemque lucri dubiam, etiam per tempeſtates, & fluctus vadit. Et, per Deum, quotuſquiſque eſt, qui ſaltem palleat, cum tam audacem profeſſæ mortis viam ingreditur. Iſtam ſcilicet ferociam amor habendi miſeris mortalibus perſuaſit. Cur enim naviget, aut quid petat ex aliena terra, cui ſua ſufficit?

Vſq; adeo eſt inviſa quies, anguſtaq; tellus
Vt pereas? Medius diſcrimina quærit in undis,
Damnaque ſectatur, cumulatque pericula damnis,
Argenti veſana fames. mox provocat ultro,
Et ruit in mortem, delectaturque priores
Iacturas mutare novis audacia præceps.
Et jam vile nimis placido decurrere ponto
Eſſe putat, zephyrosque vocare in carbaſa mites;
Sed glaciale vaga pelagus tentare carina,
Hibernā vaſtis emotam aquilonibus undā
Excipere, in mediis agnoſcere Nerea tranſtris
Materiem laudis præſumit, amatq; videri

Contempſiſſe Deos, ipſisque occurrere fatis.

Dum ita mecum ſtomachor, animæque prodigus, quò unda, ventusque rapiebant, feror inconſultus, ſubito poſuiſſe Notos, & in proximo tellurem eſſe animadverto. Mirificus hiſtrio Morpheus eſt. Et jam excenſionem fecerã: jam nuſquam fluctus, nuſquam tempeſtas erat. plane imago eadem, quam in quorundã orationibus agnoſcimus. Qui cum inſano hiatu periodos aliquot eluctati ſunt, mox agno manſuetiores; tenue quid, ac pullo nuper excluſo ſimile gemunt, donec poſtremo in fumos abeant. Novi alios, qui iſta inter ſe belle miſcent, ut fiat cinnus. Cæterum loco ipſo nihil formoſius. Portus vivo marmore cavatus, inſigni receſſu ſinum formabat. Campi, qui circa erant, lauretis conſiti, delicato nemori, miro ingenio prata viridantia, & porrecta in longum miſcebant. Per quæ rivuli leni ſuſurro trepidantes, ſoli virorem quaſi virgulis quibuſdam argenteis diſtinxerant. Quæ omnia dum ſollicite circumſpicio, tantumque ſolitudinem in amæniſſimo loco miror, reflexis ad lævam oculis aurea columna, lucidis conſcripta literis, qualis Adamantis fulgor eſt, objicitur. Ubi propius acceſſi, cu-

ſi, curioſoque oculo preſſius ſingula noto. ita ſcriptum erat:

B. F. LIBERI. PATRIS. SACRAM. INSULAM. POETARUM. PATRIMONIUM. SI. QUIS. INERUDITO. PEDE. PRESSERIT. NEPHELOCOCCYGIAM. FODERE. DAMNAS. ESTO. QUI. CUM. OPUS. ERIT. EXPEDITO. CARMINE. INTERROGATUS. NON. RESPONDERIT. BAVII. FÆCES. QUOTIES. EI. EXCIDERIT. VERSICULUS. LIGURIRE. DAMNAS. ESTO. ACCIO. IDEM. QUOD. TITIO. IUS. ESTO.

Obſtupefacto novitate tam putidæ legis inſolens videbatur, vites nullas conſpici in Bacchi inſula. Ardebam autẽ cætera audaci inquiſitione cognoſcere. Sed præcipuum carmen legis ad me pertinere arbitrabar, quod nec eruditionem in me ullam agnoſcerem; & de Poëtica mihi, amicisque aliquot meis, præter vanitatem, & ſcribendi pruritum nihil ſupereſſet. Cæterum quæ illa Nephelococcygia foret, non magis ſciebam, quam Frilengius bonos verſus facere. Obfirmato tamen animo indagare tam horribile ſecretum præſumpſi. Excuſſi eadem

opera ſarcinulas, inventisque verſiculis quibuſdam, velut viatico inſtructus, etiam placere mihi, ut ſolent poëtæ inficeti, ingenioque favere cæpi. Aliquantulum progreſſus in ſenem quendam incido, pando aſello vix hærentem: ut ebriū agnoſceres. Qui, ſimul ut me conſpexit, heus, inquit, adoleſcens, cave pergas, ſi verſus non facis. Atque adeo è veſtigio carmen prome; niſi mavis Herois Bavii analectes eſſe. Fulminatus tam ſevera pronuntiatione, ſubitoque ſtupore defixus, cum nihil ipſe excogitare poſſem, ut nunc mos eſt, de alieno ſumpſi. Parce, inquam, pater, adoleſcenti, & peregrino, quem ante hunc diem fortuna nunquam indulgenter habuit.

Πολλὰ δ' ἄναντα, κάταντα, πάραντά τε δόχμιά τ' ἦλθον.

Ille ſubridens: belle puſio, inquit, an nondum didiciſti calvo comato nihil turpius eſſe? Ecquid idcirco impune futurum te exiſtimas, quod Homeri ſcrinia compilaſti? Ad quæ ego, mi pater, inquam, da veniam, ſi nihil dolo malo feci. Nuper in hanc terram neſcio quo fato ejectus ſum. Cæterum iſtis in locis, unde veni, illiberale amplius non habetur, laudem ex alieno opere libare. Memorare multos poſſum, qui cum teſſerulas quaſi ac

fragmina ſcriptorum moleſtiſſimo labore conſtiparunt, eruditionis typhum induunt. Novi, qui ſecure admodum totas pagellas in forulos ſuos, ac thecas averterent. Tam feſtivo artificio, ut nemo plagium non videret, niſi qui ſuperiori ſeculo mortuus eſſet.

Me dulcis amor multa ſciendi
Impulit ultra proferre pedem.
Teneras Muſas, verſusque rudes
Duco comites, ſociosque via.
Modica ſtirpis, nec conſpicuus
Vllis opibus: candore tamen,
Et probitatis laude decorus.
Si promereor jungere dextram,
Per ſuperos te, geniumque loci,
Canosque tuos precor errantem,
Miſereque vagum, limite certo
Dirige, monſtraque viam, pater,
Dubio, quo me ſavi expulerit
Fortuna maris, rigidusque Auſter.
Sic tibi ſuavius illa ſenectus
Inter citharas, madidasque roſas,
Et dulce merum, viridi ſemper
Tranſeat avo. Sic tuus ille
Ilia ſero ducat aſellus,
Lenique gradu mollius ambulet.

Delectatus verecundia mea ſalſiſſimus ſenex, ſalve, inquit, optime, & ad te redi. Nihil eſt quod metuas, poſtquam à Poë-

rica non abhorres. Scio in veſtro mundo aliquanto honeſtius eſſe fullonis nomen, aut ſcurræ, quam poëtæ. Sed vos iis moribus vivitis, quibus aut ambitio, aut ſtultitia obſcura ingenia inſuevit. Itaque *omnes feſtivi vobis, belli, ſaperdæ videmini, cum ſitis* σάπεσι. Multum ſuperis debes, adoleſcens, ſi eruditionē contemptu ineptiarum auſpicari didiciſti. Sed de Poëtica poſtea videbimus. Hoc nunc ſcias, Aproſitum hanc inſulam vocari; eamque unam ex Fortunatis eſſe. Reliquæ aliis Diis, hæc Bacho ceſſit. Quoties enim cæli, ambroſięque eum ſatias cepit, commutat locum, atque huc ruſticatum tranſit. Ubi cum Homero, & Archilocho, cæteriſque genio indulget, & pernas lurcat. Eo enim cibi genere vehementer capitur. Sæpius audivi, cum diceret, ſuillis glandiis ſuffultum ſtomachū majori cum delectatione vinum admittere. Itaque apud poëtas, ut audio, ea re nihil jam vulgatius. Eſtne, ut ais? inquam. Sed de Homero, & Archilocho quod dicis, non bene percipio. Utrumque mox heic tibi ſiſtam, inquit. Ducenti jā anni ſunt, ex quo huius inſulæ cives poëtæ facti ſunt. Cum enim P. Ovidius Naſo, homo ad libidinem abjectiſſimus, in optima Dearum Proſerpina aliquot noctibus pervi-

pervigilaſſet, Pluto, ut fit, ſubſeſſorem non ferens, omnem poëtarum nationem tartaro ejecit. At vero Liber pater, qui, ut noſti, ſodales feſtivos amat, lepidos mortales in hanc inſulam, tanquam in coloniam deduxit. Ego Silenus vocor, Quod, ut opinor, ex habitu licuit ſcire. Civitati autem noſtræ ab epiſtolis ſum, quoties ad Deos, hominesque ſcribendũ aliquid eſt. Nec pudet muneris illius, dum ſit, rumen qui impleam. Nam & ipſe apud ſuperos turbavi aliquid. Cum enim alumnus meus Pudiciciam Deæ Palladis multis tandem precibus eviciſſet, poſt delicatiſſimos amplexus

Τόσσον ἐκύρησεν, ὅσ' οὐ πυστεῖαδε βίβαλοι.

Cæterum illa delectata tanta feſtivitate, cum abeſſet Bachus, ſolatium frigoris ſui à me petiit. Scites me nondum exaruiſſe plane ex amænitatibus. Itaque *amore cecidi, tanquam blatta in pelvim.* Porro quid egerim neſcio. Illa ſaltem diu ſatis abuſa peculio meo, cum uterus intumuiſſet, celariq; vitium nequiret, vim ſibi à me factam queſta eſt. Ubi itaque poſt tot domini mei delitias fabam in me cudi ſenſi, prudenti abſentia Bacho, atque amicæ conſului. Atque hujuſmodi calamitas apud vos multis, ut arbitror, mecum communis eſt. Neque enim novum

vum eſt alienæ culpæ ſuccidaneam victimam ſubdi. Commodiſſime autem advenisti nobis, ô hoſpes. Hodie enim ludi fient. Priſca conſuetudine receptum eſt, ut quotannis S.P.Q. Poëtarum ſolennia inſaniant. Sed ne enerventur otio generoſæ mentes, id vero Liber pater unice curat. Feſtivitatem itaque annuam aliqua ſtudiorum ſeveritate condit, & temperat. Eoque mittit ſingulis annis pugnacem aliquem, & litigioſum, qui genti noſtræ negotium faceſſat. Nuper Dormitantium quendam Mercurius auricula arreptum, ex Germania veſtra huc deduxit. Qui bellis concluſiunculis, & ſexcentis ſyllogiſmis oſtendat, poëtarum gente nihil contemptius eſſe. Vides negotium dignum eſſe inſigni acumine: Itaq; communi opera, atque impenſa defenſionem parant. Iovianus Pontanus ei rei deſtinatus eſt. Qui niſi probe rem gerit, jam dudum peſſime periit. Proximo ſuperiore anno poëtarum cauſſam Nonnus, loquaciſſimus Sophiſta, oravit. Quid quæris? Scopas ſolutas dixiſſes, & aquas bullientes. Toto itaque anno allium edit, & blitum. Singulis porro menſibus, in medio foro, per unum diem integrum, colaphis os turgidum depalmandum præbet. Hæc priſco more pœna invaluit, ſi

quis

quis à noſtris partibus parum fortiter ſtetit. Præterea hoc anno cenſus agetur quoque, & luſtrum condetur: Hêic exultans ego, feſtiviſſime Silene, inquam ita Venerem, & Cererem, & Junonē poſt Pallada inclines, ut ego ea, quæ narras, ſpectare audeo. Ille palmam meam lenta manu permulcens, ſequere ergo, ait; non invideo eam voluptatem tibi. Et cum dicto animal ſuum tractim ardua fuſte tangere cœpit. Non minori, per Bacchū, ſeveritate, quam qua Cecropidæ noſtrates, cum hominem eruditum vident, ſupercilium corrugant. Verum Sileni noſtri aſellus, tot jam verberum impatiens, excuſſiſſimam calcem in coxendicem mihi impegit. Non erat iræ meæ locus in alieno regno. Sed nec novi aliquid acciderat. Memineram apud nos idē multis ſæpe licuiſſe, non tam fortibus, aut generoſis, ſed qui largiores fortaſſis aures haberent. Ne tamen ſine fabulis iter fieret: Quæſo te, inquam, pater, cum tam ferox illud jumentum ſit, cur equo non uteris? Ille adducta fronte, paullo, ut videbatur aſperior: Satis curioſus es, inquit, adoleſcens: ætatis fortaſſe vitio, ut fit. Sed ſcias, id nos dare operam, ut tam pigrum animal ſervire ſe ſentiat. Novi apud vos diverſam vivendi rationē eſſe.

Poſtquam enim ad equos adſcendiſtis, jam aſini hominibus inequitant. Ulterius provectis, tandem conſpectæ vineæ loquacitati ſenecionis fidem fecére. Non credo quenquam Deorum prædium habere elegantius: tanta venuſtas ubique collium, tanta vitiũ amplitudo erat. Cæterum uvæ uberrimo ſucco diſtentæ, paullatim ruptæ, liquidiſſimo fluxu argenteos illos fluviolos in campos ſenſim derivabant. Silenus, ubi me feſtivitate ſpectaculi attonitum circumſpectare videt, in proximo aureum racemum oſtendit inſignibus uvis onuſtum. Quarum aliquot decerptas ad os mihi, quemadmodum pueris nuces ſolemus, objecit. Cum autem ego præ verecundia guſtare erubeſcerem, ut qui omnia divinitatis plena arbitrarer, ſalſe ridere ſenex cæpit: Et O, inquit, adoleſcens, quam vitioſe, ubi opus non eſt, pudorem induis! Idq;, ut opinor, commune tuæ gentis malum eſt, non niſi in rebus perditiſſimis frontem ponere. Cum ad ea, quæ prodeſſe vobis poſſunt, timide, tanquam ad Scyllæum aliquod ſaxum, & religiosè accedatis. Sed quoniam magnis negotiis hodie interfuturus es, multaſque auditurus ineptias, paucis uvis ſtomachum fulci, ne nauſeet. Mirificæ ſane virtutis iſte

ſuccus

ſuccus eſt. ſentiesque eo guſtato animum amœnitate incredibili hilareſcere. Sordes plane ſtuporemque mentis arcet, ſi abeſt, aut ſi adeſt, adjicit. Placuit conſilium, ſumptisque aliquot baccis ingenti dulcedine pertentari pectus ſenſi.

Quales purpureā quoties fugientibus aſtris
Solvis, Phœbe, comam, nebulas diſcedere triſtes,
Nocturnoque Noto, rigidumque humentibus Auſtris
Aëra componi tranquillo ſidere vidi.
Stat nitidus ſplendens radiis, & purus Olympus,
Indulgetque ſolo naſcentia ſemina lætis
Auctibus. Exultant animalia ſole reducto.
Talis eram, cum me ſuccus cæleſtis adegit
Ponere mærorem. cum membris omnibus almus
Se liquor inſinuans, ipſo ſub pectore blandā
Virtutem exſeruit. Senſi fugiſſe pavorem,
Non animi morſus, nō læſa vulnera mentis
Intus erant, ſcelerum veſtigia nulla. ſed ingens
Ardor Pegaſeas propius cognoſcere Muſas.
Et laudis generoſus amor, livoris acerbi
Securus, ſolumque animo complexus honeſtum.

Perrexi itaque alacriter, & quaſi œſtro quodam percitus, traditatemque ſenis mei

mei identidem caſtigans. Et jam aula in proximo, ampla ſane, & ſpecioſa, tantoq; luxu conſpicienda, ut Regum potius, quam poëtarum domicilium videretur. Vix portam ingreſſo, in angulo, qui ad lævam erat, elementa literarum huc illuc diſcerpta, variisque gyris volitantia apparebant. Iuraſſes apium examen eſſe. Inter ea juvenes duo, & unus ſenecio obſtipo capite ſedebant, literas fugientes ore, quandoque manu captantes. Unde cum vix inſano labore, voculas aliquot inconcinne & incondite conſuiſſent, invicem alter alteri plaudebant, quaſi rei maximæ compotes. Delectabar admodum hiſtrionia tam feſtiva. moratusque paululum: age vero, inquam, pater, ut lepidas occupationes habent mortales iſti! Immo ſane, ait Silenus, adeo felices ſua ſunt ſententia, ut præ hac voluptate Salaminem nolint, aut Babylona cepiſſe. Sed ne ſis neſciens, hic labor miſeris non profecto propter Helenam, & Trojam, ſed propter elumbes aliquot, & famelicas voces ſumitur. Ipſi Anagrammata vocant, quoties elementa nominis alicujus fœdiſſime dilacerata in putidam, ac deplorandam ſententiam cogunt. Interdum ſarcinam inſulſiſſimorum titulorũ addunt, ut plenior ſit nugandi materia.

Novi,

Novi, novi, inquam ego, optime & dulciſſime Silene. Nunquam librarias impune ingredior. Continuo mille Anagrammatum ſcriptores & caput, & circum volitant latus. Et ſane haud raro talibus lectis & auditis inflato ventre diſceſſi, non aliter quam hi, qui muſto poti ſunt: ut opus haberem vomitu. Eſt, ut ais, fili, inquit Silenus. Sed faxo, hodie videas pædagogos iſtos omnibus exemplis & modis infelices fieri. Et cum dicto in interiorem aream manu pertraxit. Ubi inter cætera viſu miranda amplum & operoſum Amphitheatrum exſtructum vidi. In quod eo tempore Poëtæ magno agmine confluebant.

ἀντρόος ὄχλος·
ἠθᾶνθ' ὥστε ὗες.

Facile mihi erat ſingulos cognoſcere. Id beneficio guſtati liquoris cõtingere aiebat Silenus. Intravimus una cum turba. Cumque conveniſſent omnes, ſingulis locus à Sannazario datus eſt. Is, cum ſuperiori anno magiſter palatii fuiſſet, eo tempore deſignatoris munere fungebatur. Silenus dimiſſo aſello juxta ſedebat. Satis opportune: quo certius omnia, quæ agebantur, diſcerem. Non puto quenquam exigere, ut tam celebrem conſeſſum prolixe deſcribam. Neminem vidi

ibi,

ibi, qui admodum magnæ rei eſſet: niſi quod poëtæ erant. Quod nomen cum pro indole cujusque ac ſenſu precium inveniat, vel contemptum, ſolum poſuiſſe ſufficit. Aderant autem cuncti, qui apud Græcos, Latinosq; ad noſtra uſque tempora claruere. Præſidebat omnibus Æſchylus. Quæ dignitas illis annua eſt, & in orbem it, Poſt aliquam moram, nihil admodum vidi, quod tanto apparatu dignum eſſet. Atque id ſatis quoque poëticum: quoties ſcilicet fumus ex fulgore datur. Imaginem tantum homunculi cujuſdam glorioſi, &, ut videbatur ex pictura, indolis bona fide pædagogicæ, in arena media ſimiis aliquot & cercopithecis diſcerpendam objecerant. Quod cum valde frigide riſiſſent omnes, Silenus mihi in aurem: Pogon ille, inquit, cujus picturā perire vidiſti in Germania veſtra infinitas chartas concacavit. Cum enim admirabili, & ſtupenda induſtria portentoſam eruditionem collegiſſet, horrendis voluminibus in lucem emiſſis, documentum dedit, quā miſere bonis literis cum putido judicio conveniat. Non puto vivere quenquam, qui majorem eruditionem minus feliciter digeſſerit. Si inſpicias ſcripta, delirium ſæpe; aliquando manifeſta phreneſis elucet. Omitto vitam,

tam, & mores monſtroſos: quandoquidem ii jam in ore literatorum hominum, & communibus proverbiis verſantur. Inter alia autem, quæ inſano conatu in publicum extruſit, una in re vanitatem omnem, ſeq; ipſum ſuperavit. Cum enim annotaſſet, ſi quando poëtæ hujus aut ſuperioris ſeculi illuſtriores in ſyllabis, ac tono fuerant lapſi, eas hallucinationes, in capita aliquot incluſas, mundo prodidit. Peſſimo ſane exemplo, & quo S.P.Q. Poëtarum, qui Aproſitum incolunt, impune eſſe paſſi non ſunt. Eoque quotannis feſtivitatis noſtræ auſpicium à tam lepido ſpectaculo petimus. Ubi vero fata ſua hominem huc adegerint, præludium illud in caput ipſius expetet. Nam & ipſe aliquando carmē ſcripſit, paullo cultius, quam quæ nunc vulgo fiunt. Niſi quod animi impotentiam, in verſibus quoque invenias. Luxuriant enim, & turgent: pariterque humiles ſunt. ut ibi potiſſimū evaneſcant ubi magna minantur, & præclara. Garriente adhuc Sileno, præconis voce, is Baptiſta Mantuanus tunc erat, poëtarum natio in campum evocata eſt. Venerat enim hora certaminis, quo in diſcrimen honos, atque exiſtimatio Poëticæ vocabatur. Nec mora. Proruentibus omnibus, ipſe quoque ſomniando

eò per-

cò perveneram. Mira heic rerum facies, & viciſſitudo. Nam & præſens pavor, & futuri exſpectatio omnium animos repentino ſtupore defixerat. Iamque illi ipſi, qui paullo ante calamitati Pogonis faventes, crudele gaudium ex ludibrio picturæ hauſerant, aſellis omnibus iniquiores, dimiſſis auriculis ambulabant. Deus bone, quæ iſta levitas, quæ inconſtantia! Quid enim? Annon, ubi animus in verſu eſt, adeo incedunt fortiter, tanto impetu periodos torquent, ut ardere dictionem dicas, ut magnanimos, liberales, mentis arduæ, ac cæleſtis libenter credas? Sed eidem paullo poſt, quando elanguit ſtultitiæ fervor, ſpiritum tam generoſum, tam altum, aut metu aliquo ridiculo, aut ſtolidiſſima invidia contrahunt: omnis jam divinitatis, omnis ſpei, & glorioſæ eloquentiæ obliti. Iam prodierat in medium Dormitantius, inceſſu ſtrenuo, ac forti contemptum præ ſe ferens. Nam & frontem tuberoſam corrugaverat; qua tunc quidem cenſurâ omnis Poëticæ ſuſtinebat. Ibi Silenus: ecce, inquit, hominem militarem, qui hodie fluctus in ſimpulo dabit. Eſtne? inquam ego, & tam inficetus ſenex maximis viris audebit obloqui? Viſne exclamem, pater,

ἄρν' ἄρνα μέλαιναν;

Sane, ut apparet, turgidis oculis, ac rugis iſtis ventos jam, & nimbos contrahit, quibus feſtivitatis hujus ſerenitas turbetur. Omitte metum, inquit Silenus: nihil periculi eſt. Videbis mox omnem illã tempeſtatem cavillis aliquot, & ſannis, quaſi pulveris jactu comprimi, & quieſcere. In media planitie tumuli duo, in modum tribunaliũ, elevati erant. Quorum alterum Dormitantius, alterum Iovianus conſcendit. Arrectis in maximam exſpectationem animis, poſtquam præco audientiam fecerat, Dormitantius igneum quid, & tyrannicum ſpirans, poſt violentos flatus, vix ægre turbato pectore evolutos, in has tandem voces erupit:

Si ambitioſus eſſem, Viri Poëtæ, aut adulator commodus, loquendo blandius aculeum veſtræ ſeveritatis fortaſſis evellerem. Sed, cum vaniſſimi quique turpiter ſerviant, famæque, & dignitatis præſidium in veſtris verſiculis quærant; ab iſtis mortalibus animum, mentemq; jam olim adoleſcens ſegregavi. Neque itaq; hac die quicquam dicturus ſum, quod vobis placeat, quos odi peſſime: neque poſt hoc tempus à moribus iſtis, ac inſtitutis diſcedam. Non enim me vehementer illa frontis veſtræ, & oculorum rabies percel-

percellit. Scio vos viri poëtæ, ferociam carminum nunquam ad facta, aut pugnas transferre. Fruamini itaque per me illa fortitudinis imagine, ut, in quem, præter edentulos verſus, nulla arma ſuperſunt, eum aſperitate vultus, & minacibus oculis juguletis. Ego tutus numine maximi Deorum Liberi Patris, audacter gladium ſtringendo ad ipſa viſcera vanitatis veſtræ perveniam. Securus omnino, quantum turbarum daturi ſitis, ubi inſanum calamum rapueritis.

Ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ, καὶ στωμύλματα.

Principio itaque ſic habete: conſtare jam omnibus, leviſſimi ac impudiciſſimi cujuſq; nefarias libidines in illa veſtra poëmata, quaſi in ſentinam aliquam exonerari. Scio, quam vulgaris illa querela ſit. Sed eo magis oportuit peſſimam profeſſionem ex orbe terrarum profligari, quod ſcelerum ac flagitiorum omnium ubiq; jam rea peragitur. Omitto eos, qui palam tabernam meritoriam, & lupanar exercent. Inter quos Catullus ille, & Naſo, & Martialis ſunt, quorum inverecundos oculos, & pene adhuc patrantes, libertatē meam ægre intueri ſentio. Delicatos alios, & fluentes potiſſimum accuſo, qui ſingularem nequitiam molliſſima dulcedine carminum protegunt. Quibus dum inſue-

inſueſcit juventus, verborum illecebris delectata pauliſper, mox ingentem meſſem ſegetemque vitiorum non tam januâ recipit, quam per pſeudothyrum intromittit. Quis unquam noſtris temporibus repente prodiit poëta, qui non maximam carminum partem ſcurrilibus amoribus inquinaret? Nunquid, ſi quando puſio aliquis una nocte in Parnaſſo ſomniare ſibi viſus eſt, continuo poſtridie apud columnas omnes, & periſtylia, Phyllis, aut Theſtilis proſtat, *aut ſi cui alii puellæ præcoquis libido ineſt*. Adeo poſt primum ſtatim verſum Amor nec auditus, nec viſus antea, in præcordia ſummi vatis incidit. Et tunc denique rubor genarum, labiorum purpura, oculorum argutiæ, & ſi quid præterea in puella memorabile eſt, in omnibus poëtæ paginis invenitur. Accedit deinde:

> ὄψ πιτθίων ὡς σκλῆρα, καὶ κυδάνια.

Vel ut alius:

> Ὦ στέρνα, καὶ παρηΐδε, καὶ ξανθαὶ κόμαι.

Poſt quæ aliquanto hilarior jam factus vates noſter totos dies cantillat:

> *Properate vivere pueræ,*
> *Quas ſinit ætatula ludere,*
> *Eſſe, amare, & Veneris tenere bigas.*

Inter has nugas ineuntis ætatis tẽpus tenebrioſiſſimũ exigitur. Animus autẽ evitatus

tatus laſcivia argumenti & protervis luſibus, an ullam deinceps admittere ſapientiam poſſit, interrogate quæſo impudentiam veſtram. Itaque tot ingeniorum ſpes, in ipſa herba, iſtis corruptelis ſtudiorum hauriuntur, ac pereunt. Paulatim enim eo deveniunt, ut nihil cogitent, niſi baſiationes illas, & papillarum oppreſſiunculas, & feſtivas noctes, & cætera nugamenta, quibus otium veſtrum occupatis. Antiphanes quondam dixit, regionem eſſe, ubi per hiemem voces congelentur, quæ demum æſtate proxima, ſoluto frigore, exaudiantur. Ita ſane poëmatum veſtrorum obſcænitas latens aliquantiſper ſub verborum ſuavi involucro in animum admiſſa, paullo poſt impuritatis, & libidinis manifeſta, juventutem iis, quos videmus, moribus imbuit. Amatur enim ubique: potatur affatim. Nec raro inter hujuſmodi negotia fervet alea. Ubi poſt exhauſtos loculos tandem bonæ ſpei decoquitur. Adſtat miſero, & favet infelici Lesbia, aut Dælia quædam,

Ετέρυς ἐπέρρεις μεταμειβομένα :

honoremque, ac famam, quam in poëmatum libello habet, baſiis compenſat. Noſter vero

μελιγλώσσων ἐπέων ἱεὶς ἀοιδὰν,
Μυσᾶν θεράπων

amplexi-

amplexibus immoritur: eosque dies, quibus ſapientia omnia, & liberales artes addiſci poterant, in ſinu tepido jucundiſſimæ dominæ perdit, & conſumit. Donec tandem blanditiis victus, oblitusque ſui.

οὐ θέλων τε καὶ θέλων, οἴκτῳ κόρης,

cingulum ſolvit male pugnanti virgini, & ad conſummationem ſpei ſuæ pergit. Quinam, qui minus feliciter amant, noctes totas ante amicæ poſtes cantillant.

Excluſi fore, cũ Longarenus foret intus. Fit enim ſæpe, ut libentius in bubulci, aut robuſti agaſonis amplexibus puella tam timida verſetur, quoties nihil admodũ præclari ex macie, & tremore poëtæ noſtri præſumit. Nimirum illi jam mores ſunt publici. Quando enim de cujusque nervis quæritur, non ad haruſpicem itur; ſed ex vultu, atque adeo ipſo naſo conjectura fit, Ex his occupationibus poëtæ noſtri eam arrogantiam, illos ſpiritus lucrantur, quibus, tanquam re præclare geſta, ignobilitatem ſuam magnis nominibus inſerunt. Itaque cum omnium modeſtiſſime loquuntur, & mediocriter ſe eruditionis principes, penes ſe literarum majeſtatem eſſe jactitant. Quemadmodum ille, qui fecerat

κυκλία τε πολλὰ, καὶ καλά,
Καὶ παρθένια, καὶ κατὰ τὰ Σιμωνίδου.

Atq;

Atque adeo nemo pati tam inſolentes, ac glorioſos deinceps poteſt. Hunc faſtū, hanc ferociam ego vero ſummæ ſoliditatis & vanitatis pleniſſimum documentum interpretor. Nemo enim honeſtis artibus copioſus arrogantiam eo loco reponit, ubi ſcientiarum ſuppellex eſt. Quemadmodum vaſis quoque, cum aquam recipiunt, aër inanis excluditur. Scimus agricolas eas ſpicas, quæ terram verſus inclinantur, libentius intueri. Quæ enim ſurſum feruntur, inanes ſunt plane, & caſſæ. Eodem modo, per Bachū, quo nemo vanitatem deponit, niſi qui fructu impletus eſt doctrinæ. Anaxagoras Formarum autor, τῇ ὕλῃ τον νῦν adjeciſſe primus dicitur. Profecto explicari non poteſt, quam male conſultum ſit poëtis, qui parte tam inſigni deſtituti, vaniloquentia mortales omnes ſuperant. Quod ſi fortaſſis adſtat aliquis lingua blanda, mente ſubdola, qui noſtrum laudibus ad cœlum efferat, ita ſuaviter homini lepido titillantur aures, ac ſi pennis perfrices. Mox abreptus amore ſui, immani hiatu verſus ſuos recitat. Quos ſi patienter audis, ſolus ſapis, ſolus judicio vales, ſolus ingenio humanam ſortem ſupergreſſus es. Aliquoties adfui recitantibus; & viſus ſum mihi audire puel-

puellas textriculas, quæ inſulſis plerunq; fabulis tædioſi operis moras circumſcribunt. Memini adoleſcenti mihi conſuetudinem fuiſſe cum quodam hujus farinæ homine. neque ullum unquam tempus periit moleſtius. Adeo cùm tacerent alii, totum diem argutabatur ſolus, quaſi cicada. plane

vocis ſuſcitabulum,
Cantantiumque gallus gallinaceus.

Qua in re illud maxime inſuave eſt, quod cicadæ unum quidem menſem, aut duos in vicis canunt: vos, ô viri poëtæ, totam vitam ineptis cantilenis tranſigitis. Legi aliquando, Lacydi philoſopho anſerem ubique adhæſiſſe, in balneis, in foro, in cubiculo: fato prorſus non diſpari. Quanquam malim ſane ſexcentos anſeres audire gracitantes, quam poëtam unum œſtro ſuo percitum. Vidi qui correptus tali morbo ſtolidiſſima quæque, quæ proxima nocte excogitaverat, omnibus à furno, & lacu redeuntibus dictaret. Tanto impetu; dixiſſes carminum, ceu fluminum, ſcatebras ſonare.

In ore fontes duodecim,
In gutture eſt Iliſſus. quid dicā amplius?
Niſi quis illi propere os obturaverit,
Hic cuncta merget ſub diluvio carminū.

Atq; adeo deinceps id hominum genus

pejus fugi, quam fullo ululam. Quanquam hoc tempore haud paullo facilius ſit; quemadmodum Græci loquuntur, in navi cadentem lignum non tangere, quam, quocunque intendas oculos, poëtam non videre. Familiare omnino jam id malum eſt: credas maximam partem hominum vaticinari, inſanire. Hac præſertim tempeſtate, qua μέγας Ἄρης δεξιόσειος tot poëtas excitavit, quot fungi naſcuntur una pluvia. Deus bone, quot triũphi, quot trophæa quotidie provolant! Quanto molimine, quam putide maximorum principum res geſtas deſcribunt! Quidam adeo operas ſuas locant Thraſonibus, ut nulla unquam navis ita vulgata ſit in fluvio publico, quã poëtæ nomen. Novi, qui tribus obolis conducti ſexcenta metra uno die evomerent: quẽadmodum qui in balneis lavant, profundunt aquam. Quid, quod precio invitati ludum ac jocum ducunt alienam famam acerbis faceriis lancinare. Oſtende cibum, & calumniari jube; extemplo maledictum ex trivio, aut ex ſcurrarum aliquo convitio arripient. Huc enim recurrunt, quaſi ad præſentem paſtum mendicitatis ſuæ. Itaq; jam dudum procax libido nocendi futili poëtarum lingua, tanquam flabello maledicentiæ, abutitur.

Nec

Nec quicquam pudet homines & ſtultitia, & inſania efferatos. Aut enim frontem amiſerunt plane: aut tantum eſt inter linguam & frontem intervallum (ut quidã loquitur, ut frons comprimere linguam non poſſit. Nemo dabit mihi mores tam niveos, qui poëtarum calumniis non pateant. Adeo quotidie intra latera noſtra hæc ſica verſatur. Non raro tamen ſeipſos mutuis ictibus conficiunt: quoties quisque id ſibi detrahi putat, quodcunq; famæ acceſſit alienæ. De re itaque anili digladiantur, & tragædias excitant, livore ac odio invicem commiſſi. Unde profecto ſalubriter prudentiſſimus vir Plutarchus vetuit, ne in convivio poetas conjungeremus. Quibus, tanquã bellos comites, mendicos, cantores, ſophiſtas addit. Eamq; ſimilitudinem ſingulorum inter ſeſe μάχιμον appellat. Utpote quos ingenii vanitas in æmulationes primo, mox in jurgia, & pugnas agat. Quanquam aliquando diverſum quoque notaverim. Sæpe enim egregie concordes ſunt, quoties famam, quam ſinguli deſperant, mutua ambitione captant. Itaque ille mihi hodie continuo fit Alcæus, ut ego ipſi poſtridie Mimnermus ſim, aut Callimachus. Quibus ſane technis improvidis hominibus, ipſique adeo po-

ſteritati feſtiviſſimè illuditur. Hunc tamen gloriæ καγχαλισμὸν plenis cyathis, non raro diluunt. Ita ſcilicet ingenium excitatur, ut illuſtre aliquid, & divinũ audeat.

Οὐκ ἔστι διθύραμβος, ὅκχ᾽ ὕδωρ πίνῃς.

Difficiles Deas eſſe ſane neceſſe eſt, quæ non proliciuntur,

Flos veteris vini niſi naribus objectus eſt.

Quod quò pertineat, norunt illi, qui ſciunt maximorum vitiorum immanitates quibuſdam elegantiæ, & leporum radicibus niti. Nempe, idcirco merum copioſe hauriendum eſt, ut concinnum carmẽ fiat: ut ſuavius Melpomene lymphatico vati reſpondeat: ut mens duplici numine extra ſe rapta ad ſpem æternitatis incaleſcat. Scio, quam facunde quidam hanc cauſſam orent. Sed plerique fucum quærunt, ſub quo libido ſua atque aliena per commeſſationes oblimandi deliteat. Itaque omnibus jam poëtis modulus vitæ ſuæ amphora eſt. Nec pauci adoleſcentes, ſi quid ingenii, atq; ardoris fuit, popinis, & helluationibus detriverunt. Unde illud ſecutum eſt, quod, qui poeticè ſatis vixerant, ne quid ſummæ felicitati deeſſet,

ad porri, & ciceris, laganique catinum

poſtremo reverterentur. At ſolutior eſt animus, & lætior indoles, & lingua expe-

ditior

ditior inter pocula, & facundi munera Bachi. Eodem ſcilicet modo, quo loquaciores ſunt pſittaci, cum vinum bibunt. Quod & Ariſtoteles tradidit: ne quis mihi negotium faceſſat. Et profecto, tanti non eſt verſiculos cantare, ut propterea œnopola rem faciat; tu poſt exhauſtos loculos optimam podagram cum ſenecta comitem ducas. Omitto heic, quod plerumque.

---- eget æris Cappadocum rex.

Notum eſt omnibus,

Qui quidem in mendicitatem ſe properet detrudere.

eum verſus facere debere. Nam poſt acumina delicata, poſt vibrantes ſententiolas, ſi fortaſſe

τ' ἄλφιτα οὐκ ἔνεςιν ἐν τῷ θυλάκῳ,

Imputent ſibi, quod diſertos ſe eſſe, quam bonos maluerunt, aut cantillare amicam potius, & eſurire cũ intonſo Deo, quã Vitæ rationes prudentibus conſiliis formare. Cæterũ magnanimitas, & fortitudo, quã præ vobis fertis, ultra verba, hercules, non patet. Vidi qui ritu canũ, objecta offa, ſævitiam omnem ponerent. Vidi qui odore vini prolecti, currendo talũ invertterent. Nuper etiã, cũ vehementer flarent Noti, quidã hujus generis foras cænaturus, dum in veſtibulo moratur pauliſper,

delapſa regula oppreſſus eſt. Poſt quod tempus nullum amplius verſum ſcripſit. Atq; ea quidem re tineis, & blattis haud parum nocitum eſt. Summa huc redit: ut animi robur quodammodo in verſu oſtentent, nihil extra carmen auſuri. Quoties ad prælium venitur, ipſis quidem fiducia manuum migrat ad pedes. Noſtis opinor, quanta facinora Flaccus iſte ediderit, juxta Philippos.

relicta non bene parmula.

Cui quidem nunc poſt tot lepidos verſiculos nihil supereſſe video, quam quod lippit, & dulce ridentem Lalagen recordatur. Sed ignoſcendum eſt amæniſſimis mortalium, ſi vivere fortaſſis, quam mori malunt. Tibi ſaltem quid in mentem, Homere, venerit, ignoro, qui maxima certamina interdũ lapidis jactu dirimis. Niſi fortaſſe Græcos, Trojanosq; omnes fungos arbitraris, qui idcirco frameas immanes, clypeosque ἑπταβοείους geſtarent, ut ſaxo potius, velut pueri, quam gladio prælia patrarent. Sed putiditatem omnem ſuperat nugaciſſimus Xanthus, Achillis equus. Quem tu quidem, hinnitu longum vale juſſo, & oratorem omnino, & vatem facis. Nam quod prolixa, & mille pene paſſuum colloquia fingis in mediis pugnis, in eo videris majori

venia

venia hallucinatus, quod Paulus Iovius idem crimen non effugit. Parum memores uterque, in acie exiguas ingenium exercendi inducias dari. Ea enim hora gladios, & , ut tu loqui ſoles, ἔγχος βριθὺ, μέγα στιβαρὸν poſcit. Atque iſtiuſmodi ſunt, à quibus ſapientiam omnem, tanquam à fonte quodam profluxiſſe, quidam argutantur. Quod qui decies audit, & continuo ſtrabus non fit, næ ille dignus eſt, qui omnes Ovidii iſtius fabulas pro jentaculo devoret. Id ſaltem commodi feret, ut lubrica alvus, ſi quid in ſtudiis vagum adhuc, & ineptum ſupereſt, una cum Iaſone, & Phaëtonte, & Icaro, poſtico egeratur. Hoc onere depoſito, felicius ad ſcientias omnes, ad ipſam denique Sapientiam adfectabit viam. Non inficior florentiſſima ſæpe ingenia vividum animum ad poeticas ineptias detorſiſſe. Quæ ſi ad meliora hunc impetum darent, profecto ad publicam utilitatem proficerent. Nunc in ſtudiis imitantur puellas, quæ ſerta texunt. Florida enim & odorata folia congerunt: jucundo quidem opere, ſed ἐφημέρῳ καὶ ἀκάρπῳ. Indignamur compactos gladiatorum lacertos, & ad pugnas natum robur levitate jaculi, aut diſci jactu vaneſcere. Nemo iraſcitur, cum inanibus verſiculis indoles

magna tota ſæpe vita inhærens hoc tantum proficit, ut, cum ad teſſeram anni venerint, nec ſibi nec aliis proſit. Ita evenit, ut, qui domi inter thecas ac foculos ſuos dulce carmen canebat, ubi ad publica munia transfertur, quaſi in petra ſedeat, & veluti pueri ore ficos captantes, hiet. Nam quod mellitula dicta fingit, ac tornat: alia conglutinat membratim, & antonomaſiis incruſtat; quod format ſententias, & in modū rapi rotundas facit, ſatis quidem ipſe ineptus eſt: cęterum

Οἵτε ποτ' πολέμῳ ἐναρίθμιοι, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.

Adeo ne ipſa quidem dulcedo, qua magni ſibi videntur, poetæ quicquam commodi affert. Quis enim curat magnopere, quam diſerte Iaſon apud te loquatur, aut Agamemnon. Qua profecto in re equis ſtrigoſis ſimiles eſtis: quorum ne pellis quidem, ſicut cæterorum animantium, utilis eſt. Cibi quoddam genus eſſe norunt Medici, quod neq, ſanguini quicquam, neque ſpiritibus, neque medullæ, aut nervis apponit: Venerem tantum excitat, & pudenda attollit, nec raro ventrē ſufflat, & carnem gignit putridam. Ego ſane hactenus neminem vidi, quem Poetica aut impudicum, aut vanum, ſaltem ad publica negotia, & res viro ſerio, & cordato dignas inutilem non reddiderit.

Quanto

Quanto itaq; illuſtriores illi, qui omiſſis nugamentis id curant; ὅς ἂν ἱρίτης ἴσοιτ' ἄριστος, ut loquitur Ariſtophanes. Quo ſane viro nihil excogitari poteſt à veſtris, ô viri poetæ, ineptiis alienius. Flagitiorum profectò veſtrorum, & nō tolerandæ vanitatis ſcenam generoſa libertate primus detexit. Audivi aliquando cordatum hominē dicere: vigeſimo ætatis anno grandem aliquem eſſe debere, trigeſimo cautū, quadrageſimo divitem. Qui has metas tranſiret, eum alia omnia fruſtra conari. Videtis, viri poetæ, quantū à rectis & prudentibus conſiliis aberretis. Nunquā divites, nunquam cauti, ſtultitiam cum ultima toga, vix tandē in ipſa morte exuitis. Tota itaq; vita Hectores loquimini, aut Menelaos. nec raro Thaida aliquam, aut Demophilen. Tanto quandoq; molimine, ut qui iſta è longinquo ſpectet, rem ſeriam geri arbitretur. Sed ſi quis aquam in mortario, ferreo piſtillo, inſano conatu tundat, ſeq; rem præclaram agere exiſtimet quis neſcit, etiamſi humeros utrosque & lacertos tundendo frangat, effecturum tamen non eſſe, ut aqua aqua non ſit. Eodem omnino modo, viri poetæ, quo poſt tot ſudores, tot ingenii jactationes, ſemper poetæ eſtis, id eſt, ſtulti, inanes, elati, nec precii alicujus, nec rei-

Vultiſne, ut à vobiſmetipſis ſtudiorum veſtrorum imaginem petam? Opinor recordari vos, quæ de Ulyſſe aliquando nugati eſtis. Deſcendiſſe ſcilicet ad inferos, manes omnes ac umbras mortuorum vidiſſe, & ſermonem conſeruiſſe. cum ipſam dominam ne videndi quidem copia eſſet. Nempe, quemadmodum vos quoq; cum nebulis fumoque ineptiarum veſtrarum congreſſi, à dominæ Sapientiæ conſpectu arcemini. Qui ſi fortaſſis quaſi tempeſtate aliqua ad ſeria ſtudia delati, ſapere tentatis, uno Poetices flatu in alia omnia abrepti, ad ingenium reditis,

ὅτε δίκας εὖ εἰδότες, ὅτε θέμιςας.

Nondum retuli, quantum impietatis invexeritis, dum ſacra, humanaque profanantes religionum quendam cinnum facitis. Pigni profecto, quos malva, & urticis cæſos Muſæ de Parnaſſo furcillis præcipites dent. Nam cælum vobis adeo nullum eſt, qui Elyſios campos beatorum ſedem ſtatuitis. Nec Deus forte aliquis: quibus Venus, aut crinitus Apollo mentem, & calamum avertit. A quibus nec ipſi Theologi abſtinent. An vero putatis ignotum eſſe, inveniri hodie quampluri-mos, qui iiſdem manibus, quibus ſacra tractant, Deæ Veneri, & Priapo hymnos ſcribunt. Quoſdam in ſuggeſto ipſo pru-

rire dicas: & hauſtas domi ex poetis ineptias inter dicta religioſa populo diſpertiri. Hæc tam nefanda cùm patretis, viri poetæ, Liberum patrem jure convenio, qui hominibus leviſſimis tam ſplendidam aulam, tam delicatam inſulam dederit habitandam.

Plura dicturus videbatur Dormitantius. Movebatur enim vehementer, ut ardere hominem aut furere diceres. Sed ingens è longinquo fragor, ac tumultus aures pariter, atque animos attonuit.

Vt, cum vetuſta molis, imminens tectis,
Trahit ruinam turris alta, vaſtumq;
Inſaniente verticem quatit Cauro
Rex Æolus: prænuntius fragor cladis
Terret colonos, mox cadentis inſanum
Audit tumultum paſtor, inter armenta,
Secretus altis collibus, ſtupentemque
Dubio pavore ſevocat gregem campo.

Itaque fugam jam circumſpectare Dormitantius, & in alieno regno omnia metuenda credere. Sed Silenus proſiliens lacinia prehenſum attinuit. Et, nòn ita fugies, inquit, mortalium omnium ſacerrime, dimiſſo aculeo. Itane mores tuos huc transferre poſtulas, ut qui peſſime multa dixeris, male iterum audire nolis? Scilicet iſte nebulo, viri poetæ, ad ſuos rever-

ſus inſanum de virtutibus veſtris triumphum aget. Solus enim ſibi ſapere videtur, poſtquam poſt prolixam illam næniam impune eſt. Efficite, ut tam atrox ſcelus, quoniam per juſſa alumni mei aliter non licet, aurium ſaltē moleſtia luat. Nemo fere percepit, quid diceret Silenus, omnibus poſt tam immanem beatũ obſtupefactis. Atque adeo ſtatim, quid mali eſſet, apparuit. Trahebatur in campum ingens globus otioſorum, ut apparebat, hominum. Inter eos ego plurimos noveram laurea apud nos inſignes, ſtoliditatem ſuam vulgo venditaſſe. Calamus omnibus in manibus adhuc erat, & tabellæ ingentibus metris cõſcriptæ. Quod autem quilibet ſua Poëmata magnis clamoribus recitaret, inde ille tumultus, quē paullo ante metuebamus. Præibant agmini Myrtilus & Polyphilus, magni in his literis nominis viri, dum fata ſinebant. Ubi in medium campum ventum eſt, Polyphilus meditato ſermone poetas eſt allocutus. periodis profecto ita involutis, &, uti ille loquitur, contortuplicatis, ut filo Ariadnes opus eſſet ad inveniendum exitum. Mirifice enim ſenſus inconditos luxuriantibus verbis cumulaverat. Plane flagitares viaticum, cola tam prolixa, & inſana emenſurus. Cæterum

rum, id enim à poetis petere hariolabor. ut, quoniam bene, ac præclare de Republica poetarum tot feliciter confectis verſiculis meriti eſſent, inter Aproſiti incolas cenſerentur. Eandem cauſſam orabat Myrtilus oda aliqua tam dura, confragoſa, & aſpera, ut omnibus pene audientibus cerebrum excuteret. Nec paſſus melos tam inſuave Silenus, nihil quidem ſe indignum fecit, ſed poſt ructus duntaxat aliquot, ea parte corporis, unde de Sabæis meſſibus nihil ſpirat, aliquid emiſit χαλῆς δριμύτερον. Tam fætido odore naſum oppugnante, ſubridens Silenus: ne miremini, inquit, ſi incivilior ſum inſignium virorum exemplo. Mihi quidem meras merdas loqui viſi ſunt. Quod ſi ſalubria conſilia pati poſſunt, Polyphilo quidem iſti ſuadeam, ut ſuccum inexhauſtæ loquentiæ cucurbitulis evacuet. Nunc quidem nihil ſanitatis habet: & putredinem minatur. Mirtylo odas ſaxeas illas, & inamænas fuſte tundendas cenſeo, uti mitigare aſellos ſolemus. Fruſtra in hoc regno locum quærit, qui ſe ad aures teretes, & religioſas non accommodat. Miſſis in ſuffragia Patribus, ea ſententia vicit, qua decernebatur, ut ante omnia calumniis Dormitantii reſponderetur, poſtea cenſus ageretur, &, quod

quod conſultum viſum foret, de advenis ſtatueretur. Cum itaque ſecedere novitii juberentur, & denuo omnia miro ſilentio tranquilla eſſent, Iovianus Pontanus ita orſus eſt: Non equidẽ miror, Viri Poetæ, inveniri plurimos, qui res optimas, & plane divinas ſiniſtrè detorquent; poſtquã eo devenimus, ut mortalium omniũ contemptiſſimus vobis obloqui audeat. Dormitantius ille, quaſi nitedula ex vepretulis extracta, in dedecus ſcilicet veſtrum, & opprobrium facundus fuit. Quod cũ intolerandum ſit animis erectis, &, quod caput eſt, contumeliæ inexpertis: recte atque ordine cenſuiſtis tam obſcænum, & impudens os veris, juſtisque conviciis batuendum. Ad quam rem ſi quis alius veſtrûm potius nervos, atque induſtriam attuliſſet, faxo excuteret nebuloni iſtam verborum jactantiam. Sed fortaſſis homini vili inſignem adverſarium opponere è dignitate veſtra, Viri Poëtæ, non fuit. Aut, ut benignius interpreter, in hoc negotio integritatem meam potius, quam eloquentiam probaſtis. Cæterum æſtimabitis vos, ipſeque Bachus, patronus noſter, teſtis erit, quantum differant boni cordatique ingenii homines à nebulonibus imperitis, qui, ut noceãt aliis, in frigidiſſimis, ac jejunis calumniis latebras

tebras quærunt. Miram ſane farraginem criminum congeſſit Dormitantius, ut eſt turbulentus: quorum neque pes, neque caput apparet. Videbo tamen, an veſtigia tam inconditi ſermonis ſequi reſpondendo poſſim. Et primo quidem laſciviam ac Amorem objicit nobis. In quo ridiculè facetus eſt, & argutias loquitur. Nempe ſenex elumbis, & fracta ex Venere latera trahens, quam fortia jactitat, quam roboris plena? En, qui poſt noctes totas ſcortationibus vigilatas, poſt obtritam rem paternam, innocuo & erudito Amori non aris, & focis, ſed pectoribus, ac chartis noſtris interdicit. Age vero, Dormitanti jucundiſſime, virum te præſta. Rem ingentem moliris. Sed tu obnitere, & pariter cum Amore illo tibi tam inviſo ſcientias omnes, cupiditatemque honeſti ejice, ac proturba. Hoc enim agitis illa auſteritate veſtra, ut noctem nobis, & tempeſtatem literarum reducatis. Video attolli rugas tuas, quaſi ad rem inauditam. Sed tu fortaſſis ignoras Athenienſes olim adoleſcentibus ſuis deſiderium artium liberalium amando perſuaſiſſe. Ex iiſdem porro Veneris & Cupidinis igniculis prima fortitudinis ſemina exſtitiſſe. Quod & Thebanorum ſacra cohors, & Cupidinis ſignum

gnum in Gymnaſiis Herculi, Mercurioque adjectum docere te poterant. Sed tu fumos eruditionis ſectatus, ſolida, ac recondita doctrinarum non capis. Scio, te ſupercilio illo inamæno Philoſophiam mentiri. Itaque ſemper in ore tibi numeri Platonis, καὶ τὰ ὀρθογώνια. καὶ τρίγωνα. Sed tu tam induſtrius cultor Platonis, oblitus es, quæ de Amore noſtro divinitus ubique diſputat. Hoc enim quaſi ſtimulo admoto, animam corpori immerſam veternum excutere, & ad honeſta, & cæleſtia excitari facundiſſimè Socrates oſtendit. Atque inde prolixo ſermone demonſtrat, quicquid unquam præclari inventum, aut excogitatum ſit, id Amorem illum παντὸς ἐπιχειρητὴν conceſſiſſe mortalibus. Non opinor tam inſolentem te aut ſtupidum eſſe, ut divinarum, humanarumque rerum ſcientiam Socrati detrahas. At tamen idem ille nonne omnia præter amatoria ignorare ſeſe adſerit? Nonne, ut pulcherrime ipſe loquitur, ὅτι ἐςὶ θεράπων τοῦ Ἔρωτος, καὶ λευκὴ στάθμη πρὸς τοὺς καλούς. ubique adfirmat? Nonne in Republica, ubi virtutibus ſua præmia decernit; non coronas aut ſtatuas proponit: ſed ut excellentiſſimo cuique pulchrum, quem ipſe voluerit, adoleſcentem amare liceat, ſcivit, ſancivit, pertulit?

lit? Quis autem tu es, hominum leviſſime, qui ob hilariorem Muſam levitatis reos poetas facis? Acerbior omnino, quam olim Anytus, & Melitus. Quos cum ſapientiſſimo homini neſcio quas ineptias objicerent, valde incurioſos rerum ſuarum fuiſſe oportet, ſi tam immane crimen non viderunt: prævaricatores, ſi neglexerunt. Et quæſo, annon publicus ille cavillator Ariſtophanes, potius, quam iſta reprehenderet, neſcio quos pulicum ſaltus, & ineptiſſimas ἀερ-βάσεις comminiſci voluit? Sed ſtupor tuus ad tam elegantia, & abſtruſa non penetrat. Itaque fruſtra ero, ſi te, quid amatoriis verſibus ſibi poetæ velint, docuero. Nam quod tu adeo contemptim Lesbiam, & Lalagen appellas, in eo inſcitiam tuam profiteris. Quippe cincinnatus ganeo, ex impuritatibus conflatus, cum Venerem, & amicam nominari audis, luſtra tua, & proſtibula cogitas. Adeo corruptus libidine animus omnia pro obſcænitatibus ſuis interpretatur. Nos vero, qui non ignoramus *ſapientem amare, cæteros cupere*, aliquid illuſtrius mente complexi, dominas quærimus, non ad uſum infamem, ſed ut complexibus elegantis amicæ permulſi cæleſtia omnia cogitare; te vero, & tui ſimiles de-

ſpicere

ſpicere diſcamus. Ea autem diva Sophia eſt, belliſſima Dearum: quæ non niſi faciles amatores, & rectæ indolis admittit. Nec mirum, ſi pulchritudinis tam conſummatæ Ideam in animo geſtantes, ejus effigiem, in puellis noſtris expreſſam, per otia quandoque amamus. Quam ſane impura libidine profanare nefas ducimus. Nempe ut ſacraria numinis reverenter adimus: quibus ſola recordatio cæleſtis majeſtatis patrocinatur. Vos, qui omnia polluitis, lentigo veſtra in laſciviam primo, mox in vecordiam agit. Porro noſtrorum hominum jactantiam ferre non potes: quorum erectas ſententias, dictaque magnifica potius, quam vana acerbe detorques. Sed tu, qui nullum rectæ laudis ſenſum habes, maximorum ingeniorum conditionem ignoras, qua famæ conſenſus ad juſtam fiduciam ſui extulit. Etenim tui ſimilibus, poſtquam ad exactam ætatem per ſilentium veniſtis, quid quæſo ſupereſt, præter ſcelerum memoriam, & quod famæ invideris alienæ? Cum noſtri illi, igne ſuo calentes, contemptu, & livore omni majores, ſecum alia etiam nomina educant, & adſignent famæ. Noſti gratiam felicium ultra fortunam non extendi: *ingenii gratia perpetua eſt, &*
quic-

quicquid ab eo celebratur. Sed eſto ſane, ut vis, res exilis verſus facere, ſaltem ſi bonus es, pati debes bene natam indolem & juvenilem levium quoq; rerum gloria ſublatam; accedente ætate ad ſpem majorem ſurgere. Multo enim ad ſublimia proniores ſunt, ſi in his, ut ais, ludicris exiſtimationi ſuæ præluſerint. Scilicet ut frugales matronæ ſolent, quæ cum vaſculum recens explorant, non oleum infundunt, aut vinum: ne magnò conſtet experientia. At vero magni nõ refert, quod abjectè tu de Poetica judices. Nos ſcimus, orbis terrarum principes, cum tantam jam eſſent famam conſecuti, quantam vix cogitare licet, ne ab hujus quidem uſura gloriæ animum temperaſſe. Inter quos non pauci tacerentur hodie, niſi eos Apollo ſuus, Deæque novenſiles applicuiſſent. Sed tu mordacitatem quoque objicis nobis. Nempe, optime Dormitanti, quam vim poetæ habeant offenſi, ei credere debueras, quam in laudando habent. An ſolus ignorabas, difficile eſſe inimicitias cum eo exercere, cui ſtilus domi eſt, & vivida Muſa, omnis contemptus impatiens? Sed videte quæſo, mortalium omnium impudentiſſimus ut ſua nobis vitia impingit! Ipſe in luſtris canos iſtos inter ſcorta, ac libidines inquinat:

nat: in nobis amænitatem non patitur. Ipſe omnis ſapientiæ tyrannidē adfectat: cui nos glorioſi videmur. Ipſe perverſis litigatoribus iracundiam ſuam, & vocem obſcænam locat: & nos criminatur, qui generoſe à noſtris ſacris impuros milvios, & ſcarabæos arcemus. Ipſe inter patinas, ac culullos adſiduus; poſt inſanas perpotationes exprobrat nobis, quod à vino non abſtinemus. Pudeat te, Dormitanti, quod ne calumniando quidem crimen majus adumbrare potuiſti. Tune, homo impure, ſcyphos, & Liberi patris jucunda munera abjicere nos cogis, cui feſtivitatem hanc, & inſulam beatiſſimam debemus? Procul abſint à nobis præfracti ingenii homines, quorum acerbitas morum, immanitasque naturæ ne vino quidem permiſta temperatur. Nec profecto calumniæ locus in eo eſt, quod poetæ meliori in omnia ingenio, quam fortuna utimur. Miſera eſt, ais, in ſenibus paupertas: miſerior quippe illiteratis. Nos omnino ſupra humanas ſordes indole, ac robore eruditionis elati, inter titulos laudesque noſtras jactamus, quod invicti animi adverſus pecunias ſumus: quibus ignaviſſimus quisque maxime conſpicuus eſt. Vides Auruncula num illum, *is vero Publicanus ut Aſia fiat pro*

Lucil-

Lucillio, id ipſe nolit, & uno hoc non mutet omnia. Cætera crimina arguentis vanitas ſubvertit. Adeo nullo negotio dilabuntur voces in invidiam confictæ, *ut levis typpula lymfon frigidos tranſit lacus.* Id ſaltem odioſum eſt, & ferri non debet, quod poetas à Republica, à ſcientiis omnibus amotos, tanquam infames in exilium ablegas. Quid enim ais, bone Dormitanti? Scilicet ſcabie poëtica infectas mentes ad res arduas ineptias fieri. Atquein hoc ſerio triumphas. Agnoſcitis, Viri Poetæ, vocem inſulſiſſimorum mortalium, qui cum nulla re, niſi impudentia, vobis ſuperiores ſint, ingeniorum veſtrorum excellentiam, quam oderunt, ridiculis ſuſpicionibus traducunt. Nempe quoniam ad Album ſedent, quoniam tribunalia lambunt, quoniam improbiſſima lucra haud timide liguriunt, idcirco legulejos, & famelicos canes magnis, atque erectis animis præferre oportet? An tu ideo tibi magnus videris, Dormitanti, quod legum fruſtra ex obſcuriſſimorum ſcriptorum mendicabulo collecta, miſeroque labore conſtipata, inficetæ plebi jactas? quod ſupercilium, & rugas habes? quod omni elegantia, & urbanitate cares? Sed ajunt: Quid cogitent, aut moliantur præclari, qui inter

verſi-

verſiculos ſuos, tanquam in nidulo quodam perpetuo deliteſcunt? Nimirum homines ſtupidæ, obtuſæq; mentis, alienæ indolis & induſtriæ contumelioſi teſtes exiſtunt, ut ſcelerum ſuorum patrociniū habeant. Imo quid agant illi, aut cogitent præclari, qui poſt turpem adoleſcentiam ſcortationibus eviratam, alea perditam, luxu corruptam, vernacula vitia foris continuant majoribus? qui Academias aliquot petaſati perequitant? qui eo loco, ubi libelli locari debuerāt, ſcyphos, aleam, ſcorta habent? qui poſt lancinata patrimonia, raptim per biduum alicujus pædagogi Epitomē miſerrime ediſcunt; & poſt tantam ſapientiam, titulis, honoribus, palliis, veſtibus, capillo auctiores, inſcitiam & inſolentiam in patriam referunt? Homines naſci ex terra Empedocles olim dicebat, ut blitum. Hodie eruditi naſcuntur è luto. Nam dignitatum tituli, qui quondam non niſi merentibus dabantur, nunc ſalſugine vulgatiores ſunt. Ex illis tamen, qui non tam doctrina cæteros, quam loquacitate antecell[illegible] forum provolant. Ubi poſt bi[illegible]s illiteratiſſimis literis op[illegible]o ſtatim faſtu eruditos con[illegible]unt.

[illegible]rimitiis ficos propola recentes

[illegible]t.

Ita-

Itaq; ſcire aliquid, interdum, cum otium eſt, verſus ſcribere in convitio eſt. Neque agnoſcunt infelicitatem ſuam, qui ea ſtudia, quibus animus excitatur, ſtilus perficitur, eruditio impletur, ſponte & contemptim abjiciunt. Sed obſcuras, & ſordidas mentes, ſolaque convitiandi libidine memorabiles animi ſui morbo, ludibrioque poſteritatis relinquimus. Id ſaltem conſtare omnibus debet: noſtros homines in optimarum rerum ſcientiis ſemper verſari, nec votorum ſuorum ſpem ſolis verſiculis includere. ſtuporem autem, & malevolorum gannitus pedibus trahere. Itaque ſi ad rem veniatur, ſcripta ſua non inanibus fabulis, & moleſtis ſyllogiſmis fœdant: ſed ſolidis & pulcherrimis ſenſibus, ſed dictione maſcula, & robuſta, tanquam igne quodam incendunt. Iuriſprudentiam autem, cæteraſque, quas vocant, Facultates, tanta divinarum, humanarumque rerum cognitione inſtructi, non ex interpretum colluvie, ſed ex ipſis fontibus hauriunt. Interea dum rabulæ, legulei, Stentores noſtri extremos cortices, ut capri, rodentes, duas tantũ res ex ſtudiis ſuis lucrantur, ut frontẽ perfricent, & ſtolide dicaces ſint. Ne tamen omnia adverſus Dormitantium dicantur, Viri Poetæ,

quo-

quorundã è nobis ſtultitia impedit. Audite doloris mei liberã vocẽ. Vileſcit honos nobiliſſimæ artis, quoniã promiſcuis commiſſionibus vulgatur. Sacerrimũ eſt genus hominũ, qui ſtoliditate pariter, & faſtu inſtructi, nulla præterea re conſpicui, ad ſacra veſtra impuras manus porrigunt. Qui venales verſus quaſi in macello, aut foro proponũt. Qui poſt tria quatuorve emendicata acumina inſolentes facti, ad levitatem tantum, & ambitionẽ incumbunt. Hos cum vident Dormitantii ſodales, ineptias paucorum commune crimen interpretantur. Atque inde ea invidia eſt, qua nos hirudines illæ forenſes pene opprimunt. Quis jam ignorat, quot plauſtra poematum ſingulis annis prodeant. Totas ſarcinas excuſſi: & peream male, ſi fœtorem ferre potui. Nec contingere aliter poteſt, quando quilibet de trivio arreptus Parnaſſum ſtatim & Caſtalin cogitat: quando troſſuli ſemidocti ſe contubernio veſtrarum Dearum dignos putant. Itaque cum re opus eſt, male ſaltitantes argutiolas, febres meras, denique Anagrammata ſcribunt. Nemo ad forte ac robuſtum epos vel cogitando accedit. Nemo elegos ſenſibus delicatis, verbisque fluentibus mollit. Nemo ſani coloris Iambum aut facetiis inſtruit,

ſtruit, aut generoſa iracundia incendit. Inter ſortes tantum, & ſtupores verſati, ſubito æſtu ſtultitiæ ſuæ calentes, trita, vulgaria, ut moribus, ita verſu exprimunt. Quemadmodum, qui ex vili homine repente dives factus eſt, nec precioſis veſtibus ſatis commode ſe aptat; nec appoſitis lautitiis uti novit. Neglectis enim perdicibus, & rhombis, in pultem, ac ſalſamenta irruit, & oppletur ad rupturam. Quæ autem ingenii tui perverſitas, Dormitanti, iſta excrementa cum aliis ingenio florentibus malitioſe confundis. An tu ignorabas in omni ſtudiorum genere vomicas aliquot, ac carcinomata inveniri. Quorum opprobria ſi ad cordatos, & eruditos viros pertinere putas, palam iniquus es. Etenim quos tinctura ſufficiens juſtis coloribus imbuit, boni omnino ſunt, & precium inveniunt. Qui ſuccum minus alte imbiberunt, ut ſemialbi, & compuncti, & varii, uti pardales apparent. Alii ſummo digito foris lebetem contingentes, ubi nonnihil fuliginis ſibi illeverint, ſua duntaxat ſententia eleganter tincti ſunt. In his hominibus diſcernendis tam gravis cenſor circumſpectior eſſe debueras. Sed utamur beneficio nugivendi iſtius, viri poëtæ, & tam ſtolidæ loquentiæ morda-

citatem ad ſalubritatem conſilii conferamus. Iaſonem Theſſalum, qui occidere volebat, gladio vomicam aperiens ſanavit. Nos ſane, quamvis inani dicacitate perſtricti reſumamus priſtinam ſententiam, qua totam illam vaniſſimorum poëtarum nauteam exhauriendam eſſe cenſuimus. Vidiſtis paullo ante, quo tumultu Polyphili & Myrtili cohortes hanc inſulam invaſerint. Et jam olim inter nos verſantur inſulſi vates in opprobrium & dedecus noſtrum nati. Non niſi eruditas mentes hoc regnum tolerat. Si admiſceri ſordes patimur, periimus illico, uti in aſperam arteriam ſi quid incidat, moleſtum eſt: quandoque etiam ſtrangulat. Si ſalvam volumus Rempublicam, avellenda eſt illa pars, quæ nugis ſuis, & inſcitia infamis in caput noſtrum invidiam, ut Cæcias nubes, contrahit. *In grege opilio oves minus idoneas amovere ſolet, quas reiculas appellant.* Nos in lateribus exiſtimationis noſtræ vibices, & vulnera ſentimus: & manum Chirurgi reformidamus. Agite, viri poëtæ, proturbate peſtilentem hanc turbam à conſortio veſtro, atque ita vos inſtituite, ut recto judicio honeſtos cordatoſque juvenes, ad hanc gloriam ſelectos tanquam foribus accipiatis: cæteri arceantur. Inceptum

eptum ſane ſit, janitores curam januarum habere; hoc autem decus veſtrum, illum poëtici nominis ſplendorem vulgo patere omnibus.

Cum deſiiſſet dicere Iovianus, revocatis novitiis, acerbiſſimæ ſententiæ dictæ ſunt. Stabat Myrtilus, & tot epigrammatum, tot odarum oblitus tandem ſenſit de capite ſuo agi. Itaque ingens ille animi vigor totus repente concidit,

velut prati
Vltimi flos, prætereunte poſtquam
Tactus aratro eſt.

Donec tandem horribile carmen Horatius recitavit, quod diceretur cæteris eſſe clamoſior: BONUM FACTUM, NE POST HUNC DIEM QUISQUAM POETA APPELLARI VELIT, NISI QUI INGENIO VALEAT, ET HONESTIS ARTIBUS INSTRUCTUS SIT. DE QUE EA RE DECEM CELEBRIUM POETARUM IUDICIUM ESTO. DE NOVITIIS PATRES SIC STATUUNT, BAVII FÆCIBUS PROBE DELIBUTOS, ET SUIS VOLUMINIBUS IMPOSITOS FORTUNÆ MARIS, ET VENTORUM EXPONI. QUOCUNQUE TERRARUM APPULERINT, PRO MORIONIBUS HABERI, AUT CUM GALLIS GALLINACEIS COMMITTI.

Summo ſtudio ea lex perlata eſt. Niſi quod novitiorum quidam iniquè ſe circumventos clamarent: cæteri toto corpore exhorreſcerent. Polyphilus tamen, quod alioqui ſatis inverecundus eſſet, eo etiam tempore parum cautè vinum hauſiſſet, circumire ſingulos; querelis, minis, aliquando blanditijs animos patrum tentare: Nullo nunc quidem ſe viatico inſtructum, ut perire poſſit. Nuper admodum appuliſſe,

κεινὰς σὺν χεῖρας ἔχοντα.

Eamque communem poëtarum ſortem eſſe. Iniquiſſimo exemplo tot ſibi Schediaſmatũ gloriam auferri. Ignorare fortaſſe patres, quo in precio apud Saxones ſit. Et tamen publice notum eſſe, Oenoplitum quendam dictionum formulas ex verſiculis ſuis, ad uſum poëtices, adoleſcentibus collegiſſe. Qua quidem re ad comparationem veterum ingeniorum ſibi evectum videri. Nec minori flagitio Myrtilum expelli. Quem tot laureis per univerſam Germaniam diſtributis ſatis nobilem à celeberrimo viro Magni etiam Vatis nomen retuliſſe. Denique præter animi ſententiam, ac votum, præter meritum quoq; in Bachi inſula ſibi ærumnas creari. Teſtari ſe Deos, homineſq;, nullum unquam verſum ſobrium ſcripſiſſe: ne

ſe: ne nunc quidem, ſi ad cyathos veniatur, detrectaturum certamen. Differri per univerſam Germaniam facetias ſuas. Eas omnes inter ſpumantes pateras, & epulas liberalius ſtructas excidiſſe. Velle itaque diem diffidi, & Libero patri litem illam decidendam relinqui. Sed cum Æſchylus duci tamen Polyphilum, cæteroſque juſſiſſet. Silenus, vultu ad hilaritatem compoſito; ſi non adſpernamini, inquit, veterem ſodalem. Viri Poëtæ, quædam fortaſſis ſatis ſalubriter moniturus ſum. Non arbitror ex re veſtra eſſe tantam hominum multitudinem hinc abigi. Si enim tempeſtatibus rapti pereant, veſtræ quidem innocentiæ ſumma labes imponetur. Et alioqui uſui eſſe vobis poſſunt. Polyphilum, Myrtylumque & ſi qui illis ſimiles apud imperitos ingenii famam habent, ad piſtrinum, ubi nunc cum Mævio Bavius fulloniam exercet, amandandos cenſeo. Unde poſt ducentos annos tandem excuſſa ambitione, tabellionum munere fungantur. Cætera turba

Lignum cædat, penſum faciat, ædes verrat, vapulet.

Niſi, quod Anagrammatum ſcriptores cuminum ſecare debere arbitrer. aut quandoque per otium ex muſcarum alis flabella contexere, & æſtuantibus ven-

nat: in nobis amænitatem non patitur. Ipſe omnis ſapientiæ tyrannidẽ adfectat: cui nos glorioſi videmur. Ipſe perverſis litigatoribus iracundiam ſuam, & vocem obſcænam locat: & nos criminatur, qui generoſe à noſtris ſacris impuros milvios, & ſcarabæos arcemus. Ipſe inter patinas, ac culullos adſiduus; poſt inſanas perpotationes exprobrat nobis, quod à vino non abſtinemus. Pudeat te, Dormitanti, quod ne calumniando quidem crimen majus adumbrare potuiſti. Tune, homo impure, ſcyphos, & Liberi patris jucunda munera abjicere nos cogis, cui feſtivitatem hanc, & inſulam beatiſſimam debemus? Procul abſint à nobis præfracti ingenii homines, quorum acerbitas morum, immanitasque naturæ ne vino quidem permiſta temperatur. Nec profecto calumniæ locus in eo eſt, quod poetæ meliori in omnia ingenio, quam fortuna utimur. Miſera eſt, ais, in ſenibus paupertas: miſerior quippe illiteratis. Nos omnino ſupra humanas ſordes indole, ac robore eruditionis elati, inter titulos laudesque noſtras jactamus, quod invicti animi adverſus pecunias ſumus: quibus ignaviſſimus quisque maxime conſpicuus eſt. Vides Auruncularum illum, *is vero Publicanus ut Aſia fiat pro*

Lucil-

Lucillio, id ipſe nolit, & uno hoc non mutet omnia. Cætera crimina arguentis vanitas ſubvertit. Adeo nullo negotio dilabuntur voces in invidiam confictæ, *ut levis typpula lymſon frigidos tranſit lacus.* Id ſaltem odioſum eſt, & ferri non debet, quod poetas à Republica, à ſcientiis omnibus amotos, tanquam infames in exilium ablegas. Quid enim ais, bone Dormitanti? Scilicet ſcabie poëtica infectas mentes ad res arduas ineptias fieri. Atque in hoc ſerio triumphas. Agnoſcitis, Viri Poetæ, vocem inſulſiſſimorum mortalium, qui cum nulla re, niſi impudentia, vobis ſuperiores ſint, ingeniorum veſtrorum excellentiam, quam oderunt, ridiculis ſuſpicionibus traducunt. Nempe quoniam ad Album ſedent, quoniam tribunalia lambunt, quoniam improbiſſima lucra haud timide liguriunt, idcirco legulejos, & famelicos canes magnis, atque erectis animis præferre oportet? An tu ideo tibi magnus videris, Dormitanti, quod legum fruſtra ex obſcuriſſimorum ſcriptorum mendicabulo collecta, miſeroque labore conſtipata, inficetæ plebi jactas? quod ſupercilium, & rugas habes? quod omni elegantia, & urbanitate cares? Sed ajunt: Quid cogitent, aut moliantur præclari, qui inter verſi-

verſiculos ſuos, tanquam in nidulo quodam perpetuo deliteſcunt? Nimirum homines ſtupidæ, obtuſæq; mentis, alienæ indolis & induſtriæ contumelioſi teſtes exiſtunt, ut ſcelerum ſuorum patrociniū habeant. Imo quid agant illi, aut cogitent præclari, qui poſt turpem adoleſcentiam ſcortationibus eviratam, alea perditam, luxu corruptam, vernacula vitia foris continuant majoribus? qui Academias aliquot petaſati perequitant? qui eo loco, ubi libelli locari debuerāt, ſcyphos, aleam, ſcorta habent? qui poſt lancinata patrimonia, raptim per biduum alicujus pædagogi Epitomē miſerrime ediſcunt; & poſt tantam ſapientiam, titulis, honoribus, palliis, veſtibus, capillo auctiores, inſcitiam & inſolentiam in patriam referunt? Homines naſci ex terra Empedocles olim dicebat, ut blitum. Hodie eruditi naſcuntur è luto. Nam dignitatum tituli, qui quondam non niſi merentibus dabantur, nunc ſalſugine vulgatiores ſunt. Ex illis tamen, qui non tam doctrina cæteros, quam loquacitate antecellunt, in forum provolant. Ubi poſt binas chartulas illiteratiſſimis literis opletas, mirifico ſtatim faſtu eruditos contemnere diſcunt.

Vt cum primitiis ficcs propola recentes
Protulit. Ita-

Itaq; ſcire aliquid, interdum, cum otium eſt, verſus ſcribere in convitio eſt. Neque agnoſcunt infelicitatem ſuam, qui ea ſtudia, quibus animus excitatur, ſtilus perficitur, eruditio impletur, ſponte & contemptim abjiciunt. Sed obſcuras, & ſordidas mentes, ſolaque convitiandi libidine memorabiles animi ſui morbo, ludibrioque poſteritatis relinquimus. Id ſaltem conſtare omnibus debet: noſtros homines in optimarum rerum ſcientiis ſemper verſari, nec votorum ſuorum ſpem ſolis verſiculis includere. ſtuporem autem, & malevolorum gannitus pedibus trahere. Itaque ſi ad rem veniatur, ſcripta ſua non inanibus fabulis, & moleſtis ſyllogiſmis fædant: ſed ſolidis & pulcherrimis ſenſibus, ſed dictione maſcula, & robuſta, tanquam igne quodam incendunt. Iuriſprudentiam autem, cæteraſque, quas vocant, Facultates, tanta divinarum, humanarumque rerum cognitione inſtructi, non ex interpretum colluvie, ſed ex ipſis fontibus hauriunt. Interea dum rabulæ, legulei, Stentores noſtri extremos cortices, ut capri, rodentes, duas tantũ res ex ſtudiis ſuis lucrantur, ut frontẽ perfricent, & ſtolide dicaces ſint. Ne tamen omnia adverſus Dormitantium dicantur, Viri Poetæ, quo-

quorundã è nobis ſtultitia impedit. Audite doloris mei liberã vocẽ. Vileſcit honos nobiliſſimæ artis, quoniã promiſcuis commiſſionibus vulgatur. Sacerrimũ eſt genus hominũ, qui ſtoliditate pariter, & faſtu inſtructi, nulla præterea re conſpicui, ad ſacra veſtra impuras manus porrigunt. Qui venales verſus quaſi in macello, aut foro proponũt. Qui poſt tria quatuorve emendicata acumina inſolentes facti, ad levitatem tantum, & ambitionẽ incumbunt. Hos cum vident Dormitantii ſodales, ineptias paucorum commune crimen interpretantur. Atque inde ea invidia eſt, qua nos hirudines illæ forenſes pene opprimunt. Quis jam ignorat, quot plauſtra poematum ſingulis annis prodeant. Totas ſarcinas excuſſi: & peream male, ſi fœtorem ferre potui. Nec contingere aliter poteſt, quando quilibet de trivio arreptus Parnaſſum ſtatim & Caſtalin cogitat: quando troſſuli ſemidocti ſe contubernio veſtrarum Dearum dignos putant. Itaque cum re opus eſt, male ſaltitantes argutiolas, febres meras, denique Anagrammata ſcribunt. Nemo ad forte ac robuſtum epos vel cogitando accedit. Nemo elegos ſenſibus delicatis, verbisque fluentibus mollit. Nemo ſani coloris Iambum aut facetiis inſtruit,

ſtruit, aut generoſa iracundia incendit. Inter ſortes tantum, & ſtupores verſati, ſubito æſtu ſtultitiæ ſuæ calentes, trita, vulgaria, ut moribus, ita verſu exprimunt. Quemadmodum, qui ex vili homine repente dives factus eſt, nec precioſis veſtibus ſatis commode ſe aptat; nec appoſitis lautitiis uti novit. Neglectis enim perdicibus, & rhombis, in pultem, ac ſalſamenta irruit, & oppletur ad rupturam. Quæ autem ingenii tui perverſitas, Dormitanti, iſta excrementa cum aliis ingenio florentibus malitioſe confundis. An tu ignorabas in omni ſtudiorum genere vomicas aliquot, ac carcinomata inveniri. Quorum opprobria ſi ad cordatos, & eruditos viros pertinere putas, palam iniquus es. Etenim quos tinctura ſufficiens juſtis coloribus imbuit, boni omnino ſunt, & precium inveniunt. Qui ſuccum minus alte imbiberunt, ut ſemialbi, & compuncti, & varii, uti pardales apparent. Alii ſummo digito foris lebetem contingentes, ubi nonnihil fuliginis ſibi illeverint, ſua duntaxat ſententia eleganter tincti ſunt. In his hominibus diſcernendis tam gravis cenſor circumſpectior eſſe debueras. Sed utamur beneficio nugivendi iſtius, viri poëtæ, & tam ſtolidæ loquentiæ morda-

citatem ad ſalubritatem conſilii conferamus. Iaſonem Theſſalum, qui occidere volebat, gladio vomicam aperiens ſanavit. Nos ſane, quamvis inani dicacitate perſtricti reſumamus priſtinam ſententiam, qua totam illam vaniſſimorum poëtarum nauteam exhauriendam eſſe cenſuimus. Vidiſtis paullo ante, quo tumultu Polyphili & Myrtili cohortes hanc inſulam invaſerint. Et jam olim inter nos verſantur inſulſi vates in opprobrium & dedecus noſtrum nati. Non niſi eruditas mentes hoc regnum tolerat. Si admiſceri ſordes patimur, periimus illico, uti in aſperam arteriam ſi quid incidat, moleſtum eſt: quandoque etiam ſtrangulat. Si ſalvam volumus Rempublicam, avellendà eſt illa pars, quæ nugis ſuis, & inſcitia infamis in caput noſtrum invidiam, ut Cæcias nubes, contrahit. *In grege opilio oves minus idoneas amovere ſolet, quas reiculas appellant*. Nos in lateribus exiſtimationis noſtræ vibices, & vulnera ſentimus: & manum Chirurgi reformidamus. Agite, viri poëtæ, proturbate peſtilentem hanc turbam à conſortio veſtro, atque ita vos inſtituitę, ut recto judicio honeſtos cordatoſque juvenes, ad hanc gloriam ſelectos tanquam foribus accipiatis: cæteri arceantur. Inceptum

eptum ſane ſit, janitores curam januarum habere; hoc autem decus veſtrum, illum poëtici nominis ſplendorem vulgo patere omnibus.

Cum deſiiſſet dicere Iovianus, revocatis novitiis, acerbiſſimæ ſententiæ dictæ ſunt. Stabat Myrtilus, & tot epigrammatum, tot odarum oblitus tandem ſenſit de capite ſuo agi. Itaque ingens ille animi vigor totus repente concidit,

velut prati
Vltimi flos, prætereunte poſtquam
Tactus aratro eſt.

Donec tandem horribile carmen Horatius recitavit, quod diceretur cæteris eſſe clamoſior: BONUM FACTUM, NE POST HUNC DIEM QUISQUAM POETA APPELLARI VELIT, NISI QUI INGENIO VALEAT, ET HONESTIS ARTIBUS INSTRUCTUS SIT. DEQUE EA RE DECEM CELEBRIUM POETARUM IUDICIUM ESTO. DE NOVITIIS PATRES SIC STATUUNT, BAVII FÆCIBUS PROBE DELIBUTOS, ET SUIS VOLUMINIBUS IMPOSITOS FORTUNÆ MARIS, ET VENTORUM EXPONI. QUOCUNQUE TERRARUM APPULERINT, PRO MORIONIBUS HABERI, AUT CUM GALLIS GALLINACEIS COMMITTI.

Summo ſtudio ea lex perlata eſt. Niſi quod novitiorum quidam iniquè ſe circumventos clamarent: cæteri toto corpore exhorreſcerent. Polyphilus tamen, quod alioqui ſatis inverecundus eſſet, eo etiam tempore parum cautè vinum hauſiſſet, circumire ſingulos; querelis, minis, aliquando blanditiis animos patrum tentare: Nullo nunc quidem ſe viatico inſtructum, ut perire poſſit. Nuper admodum appuliſſe,

κινεὰς σὺν χεῖρας ἔχοντα.

Eamque communem poëtarum ſortem eſſe. Iniquiſſimo exemplo tot ſibi Schediaſmatũ gloriam auferri. Ignorare fortaſſe patres, quo in precio apud Saxones ſit. Et tamen publice notum eſſe, Oenoplitum quendam dictionum formulas ex verſiculis ſuis, ad uſum poëtices, adoleſcentibus collegiſſe. Qua quidem re ad comparationem veterum ingeniorum ſibi evectum videri. Nec minori flagitio Myrtilum expelli. Quem tot laureis per univerſam Germaniam diſtributis ſatis nobilem à celeberrimo viro Magni etiam Vatis nomen retuliſſe. Denique præter animi ſententiam, ac votum, præter meritum quoq; in Bachi inſula ſibi ærumnas creari. Teſtari ſe Deos, homineſq;, nullum unquam verſum ſobrium ſcripſiſſe: ne

ſe: ne nunc quidem, ſi ad cyathos veniatur, detrectaturum certamen. Differri per univerſam Germaniam facetias ſuas. Eas omnes inter ſpumantes pateras, & epulas liberalius ſtructas excidiſſe. Velle itaque diem diffidi, & Libero patri litem illam decidendam relinqui. Sed cum Æſchylus duci tamen Polyphilum, cæteroſque juſſiſſet, Silenus, vultu ad hilaritatem compoſito; ſi non adſpernamini, inquit, veterem ſodalem. Viri Poëtæ, quædam fortaſſis ſatis ſalubriter moniturus ſum. Non arbitror ex re veſtra eſſe tantam hominum multitudinem hinc abigi. Si enim tempeſtatibus rapti pereant, veſtræ quidem innocentiæ ſumma labes imponetur. Et alioqui uſui eſſe vobis poſſunt. Polyphilum, Myrtylumque & ſi qui illis ſimiles apud imperitos ingenii famam habent, ad piſtrinum, ubi nunc cum Mævio Bavius fulloniam exercet, amandandos cenſeo. Unde poſt ducentos annos tandem excuſſa ambitione, tabellionum munere fungantur. Cætera turba

Lignum cædat, penſum faciat, ædes verrat, vapulet.

Niſi, quod Anagrammatum ſcriptores cuminum ſecare debere arbitrer. aut quandoque per otium ex muſcarum alis flabella contexere, & æſtuantibus ven-

 tulum

tulum facere. Et quando puteum frigidum nondum habemus, huic quidem tantum carminum proventum conjiciamus. Dormitantium quoque facundiæ præmium ferre oportet. Is, ſi ita vobis videbitur, domi meæ inter ſimias luſitabit: aut ſi otio non delectatur, aſino meo à ſtrigili, & clunibus erit. Poſt quam vocem, tam vehementer, & atrociter ſubitò conclamatum eſt, ut ego quidem ſomno excuſſus ſim.

FINIS.

OCTA-

OCTAVII
FERRARII
SATYRICA
QUÆDAM.

DE NUPTIIS PHILOLOGIÆ.

PROLUSIO I.

Miris modis Dî Ludos faciunt hominibus
Mirisque exemplis ſomnia in ſomnis danunt
Ne dormientes quidem ſinunt quieſcere,
Vt ego hac nocte, quæ præceſſit proxima,
Mirum atque inſcitum ſomniavi ſomnium.

Nam cum neſcio quid nugarum meditans ad altam noctem vigilaſſem, vix lumina ſopore ſuccubuerant, cum viſæ ſunt cubiculi fores modice impelli, mox ſpontè apertę admiſêre intrantem ſenem venerabili aſpectu barba opacè, ac pœnè Tragicè prolixa, ſed pallor ac macies ora confecerat, frons ſenilibus rugis conſtricta, reliqua exercitati vultus. Is viſus eſt conſiſterè ad grabbatum meque manu molliter impulſum excitare. Timui ego, ne inferna imago eſſet, itaque frigido ſudore perfuſus vix hiſcere audebam. At ſenex ratus id, quod erat, me intempeſtivo timore torpere, diducto leniter rictu nec toto ore in riſum ſoluto, fruſtra, inquit, lemures metuis, ego ſi neſcis Lazarus Bonamicus ſum, qui ante annos non paucos bonas literas eo in

loco profeſſus ſum, quem tu hodie tueris, nunc etiam fortaſſe poſteris non ignotus, licet pauca admodum ingenii monumenta vulgaverim, nec de ſeculi tui more novis ſubinde abortivis fœcundum ingenium ſolvens præla fatigaverim. Tibi certe ſtudiorum ſimilitudine conciliatus, nec leviter obſtrictus, quod me identidem laudibus feras, atque latini ſermonis elegantiâ cum paucis comparandum prædices. Ut ergo viciſſim aliquid rependam adſum, atque advenio ex Helicone, ac literatorum Elyſiis, ubi Philologiæ nuptiæ indictæ celebri doctorum conventu, magno procorum ambitu agitantur. Itaque expedite, & me vadentem proſequere non ſine voluptate Muſarum arcana, aulæque Apollinaris ingenium inſpecturus.

Ego ſtupore defixus vocem amiſeram, mox collecto ſpiritu Tu, inquam, Italorum cultiſſime eras? Hæc elegantis ſenectæ vivida, & eximia ſpecies, ſeriæ gravitatis lineamenta id, quod eras ſatebantur, qui primus hac in Urbe politiores literas excitaſti, & à pædagogicis ineptiis ad eruditæ antiquitatis decus Latinæque puritatis candorem, ac majeſtatem traduxiſti, famæ contemptu famam apud poſteros meritus. Quocumque

cumque perges, comes adero, & ſi in crucem iveris ſequar: & cum dicto compoſito tumultuarie cultu veſtigia præcedentis lego. At ille ad feneſtram contendit ubi mirabile viſu præſto erat equus alatus ad inſtar Pegaſi, nec mora inſilit Bonamicus meque, ut in equi clunibus reſidam, monet. Cohorrui ego initio, & quia nox erat pertimui, ne ad ſagarum conventus nullo unguine delibutus perducerer, niſi, quod pro hirco alipes apparebat. Inſcendi tamen brachiiſque Bellerophontem meum implicui genibus equum compreſſi tanta enim velocitate per inane ferebatur, ut nihil magis metuerim, quam ne claudus aut fracta cervice ad Eliçonem venirem.

Ubi vero animum recepi itineris cauſam percunctari cæpi, &, quæ commodùm nuptiæ celebrarentur, nam ingens arcanum videri, quod Dea ſpretis cœleſtibus procis mortales amplexus appeteret. Magna, inquit, Bonamicus, res eſt nec paucis expediri poteſt. Omnium artium ac diſciplinarum parens Italia, ſed præcipue politiorum literarum cultrix, ac propagatrix torpet nunc neſcio, quo fato ſqualetq; ut pœnè pulſis ac fugientibus Muſis Apollinis animum ea cura adverterit, ſollicitumque diu habuerit.

Porro hæc peſtis ac calamitas ex earumdem literarum neglectu proceſſit. Nam præter artes ac diſciplinas unde lucri ſpes affulget, quis manſuetiores literas vel de limine ſalutat? quis Græcarum fontem primoribus labris delibat? Quis carmen ſani coloris condere, quis epiſtolam argutiis animare in pretio ponit? Nullius pudorem onerabo, ſed barbari ſumus; ex quo Latinè ſcribere aut loqui, omniſque antiquæ memoriæ cognitio puerilis provincia exiſtimatur.

Honore artes ali vulgatum eſt, ceſſare pulcherrima ſtudia, ſi eorum pretia tollantur. Itaque iacent hæ literæ ingloriæ atque inhonoræ, quod parentes ad lucrum properantes ab Grammatiſtarum rudimentis ad diſciplinarum apices liberos protrudunt adhuc impuberes, & vix dum literatore maturos. Nolo de juventute conqueri, nam periculoſum eſt, ex quo Hercules præceptori tabula caput comminuit, & tu olim bone vir (me autem reflexa cervice contuebatur) cum de barbarie conquereris pœnè lapides inveniſti, quod prout aliquis Priſciano caput perfregerat ſe deſignatum credebat. Quotidiana tamen res eſt ac familiaris adoleſcentes, qui vix duo verba Latina conantur Themidis templa ſubi-

re,

re, nec verendi illius Tribunalis majeſtate moueri, crepare jura, legeſque. Sed cum diu multumque in comitatu Juſtiniani fuerint, gnavos excipio & induſtrios, id illis Imperator eſt ſi Græcè, ac ſi Latinè loquatur. Eodem paratu Epidauri cultum Deum accedunt, eodem in ſacraria admittuntur.

Ergo malorum omnium caput, atque origo, hinc parens, illinc doctor nutantem adoleſcentem præcipitant. Doctor ne minori frequentia ſtipatus incedat, aut comitatior collegæ in publicum proceſſus ſit, ſatis temporis nugis datum eſſe contendit, exuendam pueritiam, & relictis magiſtrorum vitreis fractis ad ſapientiæ majeſtatem laureæque præcocis ſpem aſſurgendum. Sed parens, etiam ſi ventoſa cucurbita inanior, tamen metuit ne natus crudus adhuc ſit, & nondum ſtudiis gravioribus par, ſed neſcio, quo fato ipſe literas parum novit, ne ſcilicet à ſeculi amore atque à majoribus degeneret, ad aliquem homuncionem umbraticolam puerum deducit ut aliena fide experimentum capiat, num tuto tradi Academiæ poſſit. Ille aurito de grege poſtquam aſſedit & ſupercilium ſuſtulit pallentem ephebum excutere incipit, pauca verba Latino ſermone vertenda dictat,

dictat, hæſitantem oculis, ac nutu confirmat, & ad parentem converſus frontem contrahit, & Papè, quam tibi ſimilis eſt & te dignus! Mox jubet breve quoddam ex libro prælegere, & licet Arcadico juveni in læva parte nihil ſaliat, tamen nutat capite, complodit manus, gratulatur patri, & veluti concionabundus rogitat, cur tantam indolem ſcholarum ergaſtulis premat, ſpemque herbeſcentem præfocet? Deûm fidem! Delirus ſenex gaudio inſanit, moxque ad Academiam tenerum adhuc, & inveſtem deſtinat. At ſi, quod raro evenit, parente cordatior ephebus modeſte reluctetur, atque in humanioribus pedem figere poſtulet, moramque excolendis ſerio Muſis precetur. excandeſcit enimvero parens, & quid, inepte, ait, tibi vis cum iſtis tuis literulis, in queîs ſi conſenueris, ne quadrante quidem penates augebis? Verſato poëtas, ſophiſtaſque & Oratores: doctorum cartas perdius & pernox voluta: eſto eruditulus, vel, ut iſti loquuntur, Criticus: noſce hiſtorias omnes, ac fabulas velut digitos unguesque tuos: quid fiet, aut, quam demum rem aggredieris? Scilicet poſtquam ad aliquem gradum opinionemque eruditionis perveneris, inquietaberis herclè quoti-

quotidie, & hic poſcet epigramma, hic elegos, hic proluſionem, multi ore tuo publice loquentur, hic te dictante cum amica iocos, ac iurgia miſcebit, aut etiam innocenter lenocinante amores ſuos placabit: hic epitaphium petet, ille epithalamium, ut pro deſignatore aut auſpice operam locare poſſis. Pro his non ſine cura, ac labore paratis pudet mercedem accipere, & quæſtu Muſas proſtituere, quod ſi perfricata fronte pretium, quo omnia conſtant, non reſpuas, nemo daturus eſt, ſed officioſo verborum ambitu aulæque aſſentantis mendaciis gratias grateſque rependit, eas tu in ſumptum adhibe, inde cultum, victumque expedi. Itaque obliviſcere nugarum, & literas eſuritionum magiſtras ſecurus contemne. Illa tuo ſententia ſemper in ore

Verſetur Diis atque ipſo Iove digna poëta
Vnde habeas quærit nemo, ſed oportet habere.

Sic teneris mentibus muſarum odium lucrique amor inſtillatur, ſic blandiente inertia optimæ literæ proculcantur, ſic barbari triumphant, & ni Deus ſuccurrat brevi futurum eſt, ut in Latio Latinam linguam fruſtra quæramus.

Provida ergo Apollinis cura optimo conſilio

conſilio huic malo occurrere ſtatuit, & Philologiam olim Mercurii nuptiis à Martiano decantatis nobilem exorato Mercurio dare nuptum mortali conſtituit, ut felici mox prole ad ejus venerationem cultumque humanum genus, ſi fieri poteſt, convertat. Utque totius apparatus pompa celebrior ſit Saturnalium dies indixit.

Adhuc loquebatur Bonamicus cum gemina Parnaſſi juga die maturius illuſtrata ſe nobis aperiunt, quibus cum Sole adoratis Muſarum Regiam ſubimus. Cuncta hymenæo perſtrepebant poëtis feſcenninos ad demulcendum ſponſæ pudorem concinentibus. Ipſe Deus literarum parens ſedebat aureo ſolio relucentibus gemmis, ſed detraxerat capiti radios, atque erumpens jubar cohibuerat, ut ſe oculis impune fruendum daret. Literarii Orbis proceres hinc inde conſederant, & quicunque artibus, ac diſciplinis vitam excoluerant: turba minor vaſtiſſima aulæ ſpatia compleverat. Poſtquam aſſedit Bonamicus & ipſe Principibus permixtus Achivis, ego poſt eum reclinis deflexa cervice gratiſſimum ſpectaculum uſurpabam.

Cum ipſâ pronubâ Minervâ prælucentibus patrimis, ac matrimis producta eſt puella

puella elegantiſſima & Cœlo digna. Nulla vox eſt, quæ ipſius formam exprimere poſſit. Capillos matronali decore nigrãtes undanti ſinu retroflexerat auris ſpirantibus ludum: modicæ frontis honorem nigerrima ſupercilia diſtinguebant, quibus incluſi oculi arcano vigore micantes, magnique & quales habere Junonem Homerus credidit: nativâ purpurâ imbutæ genæ: naris paulo inflexa: oſculum modice hiulcum labiorum muricem dentium ebur infecerat: jam lactea cervix, jam ulnę Tonantis ſorore dignę: jam pectus, jam pedum candor, qualem Thetidi Græcus vates adſcripſit, jam cetera, quæ fuſâ humi pallâ velabantur, quod laterent, meliora putabantur. Quæ omnia totam literatorum gentem, hebetes etiam, & naturali languore torpentes excitarunt, ut ſenum etiam deſueta amore corda intepeſcerent, juvenum manus, ac venæ micarent, & alius quidem cultum diſponeret attentius alius barbam concinnaret, omnes ſuſpirio ſaucium pectus oſtenderent.

Sed quiſnam divinæ puellæ ſponſus deſtinaretur incertum erat, ſtudiiſque & ambitu, & credentium voto agitabatur. Ingens doctorum numerus ex omni diſciplinarum orbe Phœbæum limen obſede-

obſederat; ut olim inter procantes Regulos de Ithaci uxore diſceptatum eſt: niſi quod hinc petulentia aberat, & laſcivia. Neque principes modo aut dinaſtæ procabantur, ſed & de plebe viri, ſolo literarum cenſu vulgo exempti. Ubi vero evulgatum eſt, eam Apollinis mentem eſſe, neminem unum deſignare, ſed puellæ ipſi ſponſi arbitrium permittere, quem non tam oculis metiretur, quam auribus, nec tam ex habitu, cultuque, quam ex animo æſtimaret, mirum quantum literatorum ſtudia accenſa ſint. Sedebat illa aureo in throno conſpicua, atque ita oculos nutuſque inter amantes diſpenſabat, ut nullus de cauſa ſua deſperaret. In eo grege ſoli parum læti conſpiciebantur Deorum interpretes, harioli, ac myſtæ, quiſque ſacra fibulam impoſuerant, & ad omnem nuptiarum mentionem exhorreſcebant. Ex quorum vultu mœſtitia & indignatio, quamquam premeretur, erumpebat: ſimul queſtus audiebantur, ſe tanquam exſectos & inteſtabiles tam pulchro matrimonio dejici, perpetuâque ſterilitate damnatos viſos veluti indignos, ex quêis ſobolem poſteritas haberet. Hęc & alia muſſabant, propexamque in pectora barbam mulcentes obi-

ter

ter limis puellam contuebantur & cum cano capite, atque anima fœtida frigutriebant.

Reliquorum ſpes acrius accendebantur, ex quorum numero Philologia tædas, atque hymenæum peteret. Sed initio ne auditi quidem Grammatici pannoſi, ac laceri, centonibuſque poëtarum amicti, qui maris ac fœminæ copulationem ſuam eſſe artem dictitabant, eorumque diſſidentium concordiam, quam ipſi domi non invenirent: res agentes, ac patientes, & quandoque neutras, quodque in uxoribus periculoſum eſt, aliquando communes ſuum inventum eſſe prædicabant. Primum, quod pueros doceant eſſe Amare, hoc omnes diſcere ante Alpha, & Beta, idque per tempora ac modos: conjunctiones item, figuras, & derivationes, & reliqua artis myſteria. Suo ſupercilio laſcivientem pubem compeſci, ſua ſceptra Regum filios revereri, in ſuis manibus Remp. adoleſcere. Se ſolos unde Nuptiæ dictæ ſint poſſe dicere, à quibus non ſemel Juriſconſulti verborum notationem & quidem infeliciter peterent: unde Uxoris ac mariti vox: quæ cantio feſcennina: utrum faces pineæ eſſent, an ſpineæ: unde Thalaſſio atque Hymen:

Hymen: cur ſupra faſcinum nupta collocaretur, quid thalamus genialis, atque nucum ſparſio nullos peritiùs zonam ſoluturos: quodque omnes tanquam parum tempeſtivum riſerunt, quis primus alienum matrimonium ſubſederit, unde primum invecta in Urbes Lupanaria, lenoneſque juventutis illecebræ, unde ſcorta dicta ſint, ipſorum quin etiam Deorum furtivos amores & fucum mulierculis factum ſe ſolos ſcire, & reliqua ineptiora prioribus. Quare erubeſcens puella juſſis faceſſere nugatoribus, & has nænias inter capillatorum gregem modeſtius narrare, haud dubie in Oratores, cauſarumque patronos propendere videbatur.

Nam præterquam, quod nitidi erant, & compti multiſque mundiciis ad fori genium exculti blandis verbis flexanimæque orationis illecebris puellæ animum ſibi devinxerant. Quin verborum volubilitate, & vibrantibus ſententiis non tantum cauſam ſuam approbabant, ſed facile apparebat eos quamlibet aliam deteriorem optimam eſſe dicendo facturos. Quos enim rogitabant ex toto diſciplinarum Orbe ſibi ipſis ſponſam comparaturam? Qui eloquentiæ vi in iis Urbibus regnum obtinerent, ubi nemo

ſerviret,

ſerviret, populi motus, judicum religionem, ſenatus gravitatem ſola Oratione converterent? Addebant poſtremo preces, queſtus ac lachrimas miſcebant, affectuſque omnes verſabant. Quem non flexiſſet blanda & ſuo pondere ad inſtar hybernarum nivium ruens, ac glomerata Oratio? Certe Philologia non niſi Oratorem maritum velle dixerat. Jamque ceteri demiſſis capitibus domuitionem parabant, pauci ad ſenatum literatorum provocarunt, cujus ſententiæ puellæ ſtandum erat. Cumque de hoc Conſules retuliſſent, pronunciatum eſt nuptias illicitas ob affinitatem videri, nam licet tales inter Deos uſurparentur, has mortalium ritu peragi oportere, quam proxima autem cognatione Oratores Philologia contingeret neminem ignorare. Sic Oratores de tanta ſpe veluti de Cœlo detracti, fulmineque afflati obticuêre, quodque difficulter faciunt fluentem Orationem compreſſerunt.

At puella repulſæ indignatione accenſa nequaquam miti aſpectu Philoſophos dignabatur, neque tamen ipſi cauſæ ſuæ diffidebant, ſed Oratione rudi, atque impolita, ut ſe Oratorum pompam majori factu faſtidire oſtenderent, ſe ſolos dicebant in toto terrarum Orbe, quorum

quorum bonitati, ac fidei etiam vota ſua mortales commendarent, ſe præceptis ſalubribus genus humanum inſtruere, ſibi primigenia naturæ arcana, rerumque principia credita, cauſaſque & modos poſteritatis propagandæ. Sed puella facie ſubtriſti, mundiciis & elegantię aſſueta, averſabatur homines graves, & incomptos ipſo cultu ſimplici magis, quam rudi, & obſoleto. Nihil ſponſa adhuc ſubirata loquebatur; Sed pronubæ, atque auſpices ita dicebant, moroſos homines, & auſteros eſſe philoſophos, iurgiis, atque altercacionibus innutritos, contentiones è ſchola domum transferre, & ubi nihil foris haberent, de quo diſputarent, domi cum uxore delitigare, clamoreque & minis penates inquietare; Non paucos furioſa æmulatione tranſverſos rapi, matremque familias non ſecus ac Danaem ſub clave ac ſerra habere, ipſamque invidere Solis lucem. Nec ſilebant vetera Philoſophorum facinora, communicatas uxores, promiſcuoque concubitu rerum publicarum fundamenta poſita. Ad poſtremum Philoſophos magnam partem mulierum oſores eſſe. Hac pronunciatione fulminati illi conticuerant paulatimque proci dilabebantur, ſolique Aſtrologi,

ſtrologi, Medici, ac Juriſconſulti audacius vota concipiebant. Et Aſtrologos quidem Philologia averſabatur. nam licet ſibi hominum ſortem creditam jactarent, ſe Cœli interpretes, rerumque naturæ capaces fata mortalibus diſpenſare; Contra diſſerebatur, genus hominum eſſe potentibus ſuſpectum, regnantibus intutum, Urbibus non ſemel ejectum, fallacique ſiderum interpretatione humanam vitam inquietans. Præterea totos contemplationi deditos, Cœloque affixos, abacoque inhærentes dum ſiderum motus ſcrutantur uxores pati frigido in lecto jacere viduas, plerumque alienarum calamitatum præſagos domus ſuæ infortunia ignorare.

Poſt hæc medici pauca, & modeſta de ſe loquuntur, de arte ſua magnifice, nec ſe tanto matrimonio indignos ferunt. Nam licet triſti miniſterio occupentur, ſe tamen beneficio ſervandorum hominum cum Diis ipſis certare, nec ſemel mortuos ſepulchris invidere. Quod ſi tanquam bonarum literarum rudes ſpernerentur non defuiſſe unquam è corpore ſuo, qui politioribus literis omnique eruditione artem medicam excoluerint, unumque inſtar omninm parentem Galenum, quem vaſta ingenii capacitate

omnium

omnium artium, ac diſciplinarum Orbem amplexum, nullius rei ignarum fuiſſe ſatis conſtaret, ut interim Fuchſii, Mercuriales, Cagnati, Guillandini Ophtmanni ſilerentur. Quod ſi Philologia, ut puellę mortales auro caperetur, nullam artem largiore proventu avara quoque vota explere.

Omnibus ferè cauſam ſuam Medici approbaverant, ſoli puellæ non placebant, quæ ſive ad Juriſconſultos decoros cultuque florentes, oculos adjecerat, ſive alias ob cauſas libere pronunciavit, non diſplicere ſibi quidem Medicorum conditionem, malle tamen thori ſocium Juriſconſultum, immo fatis, & tacita Deorum deſtinatione ſibi deberi. Cujus rei auctores daturam ſe Budæum, Briſſonium, Cuiacium, Tiraquellum, Paræum, Rævardum, Fabrum, utrumque Gentilem, & omnium principem Alciatum, qui Juriſprudentiam barbarorum injuria, noſtrorumque hominum ignavia, ab eloquentia literarumque ſtudio abſciſſam, ſitu ſqualentem, gloſſis fœdam, ineptiis deformatam ad priſtinum cultum, ac majeſtatem revocaſſent. His auditis jejuni quidam ac puſilli leguleii in angulo muſſabant, qui Philologiæ ornatum ægris oculis inſpicientes nimbatam

tam dicebant, & nugas meras. Nam cui bono tot illecebras, pigmentaque & calamiſtrum? Ab Iuris ſanctitate abeſſe fucum oportere, nimiasque munditias. Sed impoſitum rabulis ſilentium eſt poſtquam Ulpianus, & Paulus, & reliqui non minus Iuris ſcientia, quam facundiæ claritudine poſteris noti, è Rep. literaria id matrimonium eſſe pronuntiarunt: quin ingenuè faſſi ſunt tantas Iuriſprudentiæ tenebras invectas eſſe, ut ſi res ipſi mortales reviſerent, futurum, ut vix reſponſa ſua intelligerent. Igitur univerſis plaudentibus, ac poſtulantibus nuptiæ factæ ſunt, & Philologia in Iuriſconſulti manum per confarreationem convenit: ſignatæ tabulæ, dictum Feliciter

jacuit gremio nova nupta mariti.

Tum ipſe Apollo vaticinium dixit ex pulcherrimo matrimonio divinam infantem orituram copioſe loquentem prudentiam, tum barbariem è ſcholis expulſum iri, mihi præ lætitia ſomnus ſolutus eſt.

ARTIUM AC DISCIPLINARUM Auctio.

PROLUSIO II.

QUid in Helicone proximis literarum nundinis actum ſit, volo memoriæ prodere. Fruſtra me reſpiciunt quicumque libertatis beneficium aſſentatione corruperunt. Scio nullum liberæ voci periculum eſſe, ex quo December totum annũ occupavit. Certe ab invitis confeſſionem exprimam nihil à me fictum eſſe, nihil offenſæ aut gratiæ datum. Hæc ſi quis quæſierit unde ſciam, cum tanto terrarũ intervallo à nobis Thracia diſtet, ubi caballi ungulâ pro vini torrentibus vatum mentem impleturis triſtes Limphæ proſiluere, Lucianum interroget, qui ſe hæc omnia vidiſſe fatebitur illuc à Menippo vectum, ubi Phæbus novemque ſorores pomærium literarum geminis collibus extendunt. Ab hoc ego quæcumque audivi certè clara affero, ita vos ſalvos, & felices habeam.

Anni ac ſtudiorum initio, apud Helicona diſciplinarum artiumque & literarum nundinæ peraguntur, ubi celeberrimo

mo emporio totius literarii Orbis conventu ſcientiæ literæque interiores ſub haſta veneunt præcone Mercurio. Qua quidem re nihil illuſtrius, nihil celebrius accidit, cum literæ omnes, ac diſciplinæ per Orbem diſtrahuntur, ac diſſeminantur: exigua pars ementium arbitrio, reliqua naturæ genio, fatalique diſpoſitione, & incertis cauſis. Nam cum omnes iis artibus dare nomen poſſent, unde majus emolumentum decusque & ornamenta ſperare liceret, quæque ut plurimum minus laboris ingenii minus requirunt, non pauci tamen ultro iis adhærent, quæ paupertatis ſorores, laborum, ac vigiliarum divites alumnis ſuis curtas ſpes, ac deluſa vota, nec aliud quàm bonæ mentis ſolatium largiuntur.

Convenerat huc frequens ſtudioſorum populus, viri, ſenes, adoleſcentes, pueri, etiam immaturi ab parentibus intruſi, ſed præcipuè præclara juventus ſcholarum ergaſtulis, ac magiſtrorum ſupercilio liberata exultim tanquam in orbem novum, & veræ libertatis ſedem convolaverat. Aſpectu decora, & licet in immaturas minas aſſurgens modeſtiæ propior indolem, magnasque ſpes parentibus & literatorum ſenatui ingerebat. In medio foro ſtabat ſublime tribunal, in

quo Muſæ atque earum Antiſtes, Patreſque literarum conſcripti conſederant. in quorum aſpectu ſcientia ac diſciplinæ à Mercurio producebantur non privatis emptoribus, ſed magnæ multitudini diſtrahendæ. Exurgit præco facitque populo audientiam. Et primo quidem rerũ divinarum ſcientia producta eſt, matrona aſpectu venerabili, & quamquam ætate grandis ore tamen adhuc vegeto, ac puellæ propiori. Luminum vigor, gravis inceſſus, cęrulea palla aureis ſideribus interſtincta, tunica puriſſimo candore, cultusque ipſo neglectu ornatus majeſtatem augebant. Et licet à primis cunabulis ad hanc uſque diem impiorum hominum, ac pravè ſentientium nefariis dogmatis vexata eſſet, & quotidie affligeretur, & à cultoribus quoq; diſſentientibus inquietaretur, eadem in ore ſerenitas inerat, ipſaque intra altitudinem divinarú contemplationum abdita defixis Cœlo luminibus deſertores, & transfugas injecto pede proculcabat. Hæc igitur omni cultu ſubjecta voci præconis nihil magis metuere videbatur, quam ne pretioſiſſima rerum à cujusque oculis uſurparentur, quæ intra ſinuum abdita premebat, magnaque myſteria fruſtra captantibus prophanis ſervabat implicita, & involu-

ta. Se-

ta. Sequebatur eam arctus ac modeſtus comitatus, niſi ſi quando diſputationis æſtus intumeſcebat: tunc rigere colla colubris videres, & abjecto miti ſchemare in abſurdos clamores debacchari, non ſemper viritatis amore, ſed factione, & ſtudio ſectæ, tracto etiam in partes Cœlo, anxiiſque & ambiguis de ſalute mortalium ſententiis. Cætera viri ſacrorum profeſſione, ipſaque ætate venerabiles paupere pallio gloriæ contemptum teſtati, Regibus metuendi, ſuperorum internuncii, ſalutis ſequeſtri, ac boni quidam genii.

Converterat omnium in ſe ora divina Virago, apparebatque non levem emptorum numerum futurum, & Præco proclamabat ſi quis Theologiam cuperet, liceretur; Sed minor expectatione ementium numerus fuit. Pauci enim admodum & omnes fere ad exemplum eorum, qui ſapientiam ſectabantur ſacrarũ familiarum pars, ſqualido amictu, non pauci ſine pera & loculis mendicitatem profeſſi matronam rogabant, ut ad ſe precario diverteret, divites proventus, atque opulenta ſacerdotia, quibus vellet, largiretur. Viſum omnibus nefas res ſacras venundari, Cœlique patrimonium pretio fœdari, ita gratis Theologia propoſita

poſita eſt. Sed hoc ipſum adſtantes alienavit, quod facile pararetur, quod lucri ſpes non affulgeret, nec liceret poſt vendere quod emptum non eſſet. Ita præter paucos admodum viros bonos ac ſimplices, qui ſuſceptam matronam in tuguria & cellulas induxêre, reliqui aut impiè contemnebant aut miſeras ſpes maximis laboribus mercari ſtultum eſſe dictitabant.

Interim magno agmine, ac nobili pompa, longaq; impedimentorum oſtentatione Regina Iuriſprudentia deducta eſt etiam in ſpeciem terribilis. Nam præter lictores turbam ſubmoventes virgæ, ac ſecures, laqueique & unci ferales imperio pluſquam Dictatorio præferebantur. Ipſa aſpectu mirabili purpurea chlamyde, quæ tragico ſyrmate humum verrebat nudum gladium intentans ſecum res humanas trahere videbatur. Sola tunica Reginam dedecebat: ad inſtar enim viliſſimi centonis nobilibus veterum Iuriſconſultorum purpuræ fragmentis, ſequioris ſeculi doctorum laceri, atque infimæ notæ verſicolores panni inæqualiter aſſuti, milleq; maculis variegati turpiſſimè ſqualebant. Pleriſq; etiam vana mirantibus cur Aſtræa Virgo, quæ ab ipſo Orbis naſcentis initio deſertis rebus huma-

humanis ad ſuperos receſſerat redire nunc poſtliminio ad homines non meliores vellet, à quîs toties violata, toties pulſata eſſet. Sed non multum iſta ſpectatores emptoresq; movebant, illa magis, quod ingentes opes, ſupremas dignitates, tribunalia ipſumque rerum humanarum faſtigium cum omni majoris fortunæ cultu ſtrepituq; pollicebatur. Quis crederet tantum Numen venale fuiſſe? At pretio addicebatur. Itaq; licet magnis talentis indicaretur, pœnè inter ementiũ manus diſcerpta eſt, omnes adeo hanc Penelopen procabantur. Sed fato quodã licet omnis ætatis, omnis ordinis mortales ad ſe trahere vel reluctantem contenderent, pauci admodum fuêre qui ejus potirentur, atque ad intima ſacri hujus adita inducerentur. Reliqui ab ejus interpretibus non multa edocti propere, nec magno delectu cervicibus hominum imponebantur brevi oſtenſuri, quanto ſibi Aſtræa ſtetiſſet.

Poſt hanc inducta eſt Medicina minori quidem apparatu, ſed non minori frequentia. Et quamquam nullas imagines præferret, immo & originem ſuam gipſatis adhuc pedibus occultaret, proxima tamen Diis poteſtate ultra manes, Orcique Imperium porrecta venerabi-

 lis,

lis, quodque majus eſt congeſtis altiſſimè opibus avaras mortalium mentes converterat, omnemque cunctationem, ac delicatorum faſtidium diſcuſſerat. Os illi licet ætate jam feſſa floridum, ac vegetum ſobrietate, ac medicamentorum vi, ab ſenectutis injuriis tutum. Palla ex omni herbarum florumque genere mirabiliter contexta nativos colores nullo fuco violatos miſcuerat. Proſtabant à tergo vaſcula, & pixides parum decora ſuppellex, & reliqua artis ſupplementa, quæ abſterrere emptores poterant, niſi auro inducta fulgore oculos perſtrinxiſſent. Cingebant latera ſenes, viriq; aſpectu prorſus venerando, promiſſa in pectus canitie, totiusque corporis cultu ad gravitatē compoſito, quales nobis Deorum medicos, ipſumque Epidaurium ſenem vetuſtas expreſſit. Neque tum ſatis concoquere potuiſſe Æſculapium referebat Menippus, quod Medicorum filii ſucciſa pilorum fruticantium propagine à priſca oris majeſtate degenerarent, magisque Apollinem, quam ſe artis auctorē in barbæ ratione imitarentur. Taciti illi quidem, & procul ab oſtentatione benefacere malebant, quam loqui: non tamen deerat, qui artis ſuæ decora ſuasque palmas percenſeret. Non quod ille, alligaſſe fractum

fractum crus Æſculapio, aut brachium Iovi, ſed è manibus ſuis mortalium fata pendere. Se quidem numquam arte ad ſalutem inventa abuſum eſſe, tantumq; facinus Dii averterent, ceterum ſi quis ea poteſtate uti velit, & occultè libitinæ ærarium augere, non hercule Achilli gloriam inviſurum, qui, quod multas præclaras animas ad orcum pręmiſit, tantopere laudatur. Conticuerant attoniti ſpectatores, & ægri quidem ſupinas manus tendebant, ſani ſibi in poſterum metuentes ipſum Numen, ejusque Antiſtites propitiare muneribus non deſinebant. Magna autem frequentia quantovis pretio de arte licitabatur. Vix ergo in conſpectum venerat, cum aureæ, atque argenteæ ſtipes jaci ceperunt, ut ars illa ſalutaris prætendendo ſinum parum capacem recipiendis nummis defatigaretur. Pluris ergo quam Iuriſprudentia addicta eſt, nec innumeri emptores defuêre, pars miniſterio fatorum deſtinati, quidam ſecuri virtute & perpetuis vigiliis, nonnulli alieno periculo ſalutis negotium tractaturi.

Et hactenus ſcientiæ facultatesque principes, atque opulentæ diſtractæ magnam mortalium partem ſecum avexerant, cum tamen multo plures aliæ reſta-

rent. Itaque cunctantibus ceteris, & quid futurum eſſet expectantibus Philoſophia feſſum latus trahens ſingultanſque in omnium oculis ſiſtitur. Triſte ſpectaculum veriſque lachrimis dignum. Nam Regina artium, virtutumque magiſtra meliori facie quam veſtimentis erat, pluresq; ſectatores numerabat quam nummos. Sed facile ex famulitio heram æſtimares. Nam quales Dii Deæq; in ejus familia viſebantur! Putares confuſis in unum ſectis omnes Diogeni nomen dediſſe, talem cultus, victusque neglectum præferebant. Pauci ſeneciones horrentibus barbis, & intonſo crine, duplici panno velati, nudi pedes monogrammi invidiam ſeculo faciebant. Neque tamen in tam moleſto ſilebant officio. Alius enim de virtute, ac vitio obiter diſputabat: alius ad vetera ſomnia relapſus idem nefas eſſe ajebat violare morſu fabas, atque animantia, fractoque ſilentio vagantium animarum, & ſubinde hoſpitia mutantium peregrinationem prædicabat; nec deerat qui canina impudentia obvios maledictis laceraret, & ſublato altius pallio nil muſarum pudorem reveritus ſe virum eſſe omnibus oſtendebat. Immo ex iis, qui ſanctiores habebantur, illud maxime mortales monebant, ut

uxores

uxores communes habere vellent totque malorum cauſas, & diræ æmulationis exempla de medio tollere. Omnes altiſſimè altercabantur, & tanta vociferatione diſputabant, ut exaudiri Mercurius non poſſet præconium canens. Ita emptorum alii miſerabantur, pars magna ridebant, non poſſe eos homines tanta calamitate ad bonam mentem reduci, omnesque mirabantur, quomodo illis ſumma rerũ anguſtia vacare poſſet nugas blaterare.

Sed Philoſophia magno primum pretio addicta eſt, omnibusque illud aſpernantibus, & paucis pallidulis ac cogitabundis exiguos nummos expedientibus malebat Apollo donare quam vendere, cum præter expectationem Theologiæ, ac Medicinæ liberalitate fides male ambulans ſuſtentata eſt, magna enim mercede utriusq; nomine eſt empta, ut utrique partiariam operam impertiret, nullusque mortalium deinceps ad eas dominas legitime niſi per Philoſophiam induceretur.

Bene actum cum hac matrona videbatur, quæ liberali miniſterio ab inopia, & ſolitudine vendicata erat. Cum nobiliſſimæ ſcientiæ Mathematicæ productæ ſunt olim reginæ ac principes, ex queîs tamen ſola Aſtrologia, nam ceteræ velut

mala merx cum faſtidio rejectæ, ſola inquam Aſtrologia dum cœleſtia ſectatur pœne à mortalibus deſerta, ſiderum aſpectu aliis felicitatem, ſibi miſerias vaticinata in aliorum fatis prænoſcendis oculata, in ſuis cœca, partim procerum liberalitate, partim mortalium inani, ac toties deluſa futurorum cura ſuſtentabatur, ſed pavida ſemper ac circumſpectans, poſtquam Chaldæorum mendacia fidem ipſi detraxerant totamque gentem invidia oneraverant, nec raro ipſius alumni vel carcére fracti, vel ſaxo deturbati, vel Urbibus pulſi, vel demũ infelicibus flammis luſtrati malè tutam artem reddiderant. Non multi ergo in ejus comitatu erant velut attoniti, & à ſenſibus alienati, quibus ſe clanculum immiſcuerant agyrtę, æruſcatores, ac ſomniorum interpretes artis propudia, ac dehoneſtamenta. Qui tamen conſueto fortunæ ludibrio, & cultiores ceteris, & nummatiores habebantur, licet clandeſtino, & in tenebris operarentur miſeram hominum credulitatem ad opes, ac luxum vertentes. Propoſitæ ſunt venales Mathematicæ, nemo erat qui licitaretur Chaldæorum vitrea fracta magno pretio diſtracta ſunt, ac per Orbem ſparſa, ſed precipuè in eam Urbem comportata, in qua vetantur

ſemper & retinentur. Reſtabant Rhetorica, & Poëſis, magna quidem expectatione publicatæ, omniumque oculis illuc converſis. Dicendi ars ex quo Regno ſuo evoluta antiqua fortuna exciderat, qua in liberis civitatibus ſemper dominata eſt, & in Urbe rerum domina populi terrarum principis Regina ex ima plebe Quiritium alumnos ſuos ad Orbis Imperium vocavit, potens furentes populos coercere, Reip. conſilia agitare, bellum decernere, mandare honores, atque adimere, leges figere, & refigere, & immenſam multitudinem quacunque vellet velut habenis impellere, ac circumflectere. Ex quo inquam fractæ res ipſaque cum libertate ſimul expulſa, inops, & egena, fœdiſſima barbarie cuncta occupante pœnè oppreſſa, ac conſepulta, & veluti deſperatione religionem voviſſet in templa relegata, ſqualore, ac ſordibus confecta in ſacris modo concionibus plebeia, ac degeneri lingua vix, ac ne vix quidem nomen tuebatur, & pro immenſa veterũ Oratorum mercede, pretiisque cauſarum invidiæ capacibus tantum inde emolumenti trahebat, quantum bonorũ mortalium, ac mulierculatum liberalitas minutas ſtipes congerendo ſuppeditaret: aut poſtremo in ſcholas tanquam in piſtrinum

ſtrinum detruſa, ab otioſis, ac male feriatis adoleſcentibus, jejunis, & ineptiſſimis declamationibus detrita omnem ſuccum, & ſanguinem amiſerat. En rerum quondam domina. Urbibus extorris, pulſa tribunalibus, Curiis ejecta, Lyceis profuga, publicis Comitiis exterminata miſerationem in omnibus commoverat, jn aliquibus tamen riſum, quòd ut pluris veniret mangonum fraude tanquā ad lenocinium exculta, fuco interpolata, & pigmentorum injuriis deterior facta, mille illecebris in omnem mollitiem fracta, enervis, ac delumbata nihil antiquæ eloquentiæ præter nomen, temporisque, ac barbarorum injurias retinebat.

Hærebat lateri Virgo eximia ſpecie, ſed quæ conſtricta fronte, incertumque vagantibus, aut defixis longo obtutu oculis vultus hilaritatem confuderat. Modo tardus, modo citus inceſſus, riſus & repentina ſeveritas, ipſa neſcio quid tacitè obmurmurans, digitisque computans, & quod elegerat mox quaſſanti capite damnans & reliqua attonitæ, aut cogitabundæ mentis vitia. Poſtquam ante ora omnium ſtetit, lauro redimita, & chelim geſtans non aliud quàm carmina inſignita modulatione fundebat: omnes tanquam ad fidicinā confluxerant arre-

ctique

ctique Pegaſeiũ melos auribus bibebant, tacitis votis egregiam puellam omnique ſimulachro emendatiorem deſtinantes. Non ſecus ac olim Rhodopeium vatem genus omne animantium auritusque populus circumſteterat. Nec unus, aut alter, ſed quotquot aderant pueri, ſenes, fortior ætas Poëſim ſcitulam, ac decoram procabantur, & ſine Hippocrene, ſine Heliconidos ſomniis ſe poëtas repente evaſiſſe credebant. Videres

Ingentes trepidare Titos cum carmina lumbum
Intrarent.

Quidamque moræ impatientes incoram omnibus aſinali verecundia in amplexus ruebant, niſi cum Menippo Mercurius, atque ipſæ Muſæ furcis ſcandentes deturbaſſent rejecto etiam, & protrito pedibus auro, quod Troſſuli in precium detulerant, cum increpatione, abirent fatui, & ſola inſania poëtæ nomen meriti, qui putarent ut ceteras artes, & diſciplinas ſic poëſim nummis parari poſſe. Rarum nomen illud, & vix ſemel, atque iterum ſeculis cognitum, ſacrum, ac venerabile, nec ullo pretio violari. Non defuiſſe, nec defuturos unquam qui carmina factitarent thuris, atq; odoramentorum integumenta, poëtas bonis viris

rario-

rariores eſſe, & divino furore afflatos non multum humani habere. Faceſſerent igitur ſeculi incommoda, & ſecum ineptias aſportarent. Sic caſtigata procorum petulantia lucrum omne, ac ſordidas curas abominata poëſis in pauciſſimorum manum legitimis tabellis convenit hac lege dotali, ut niſi opes aliunde ſuppeterent perpetuo eſurirent, aut alienarum menſarum arroſores, arriſoresque diſcinctis Remi nepotibus ſupparas irarentur. Eloquentia à paucis empta eſt in pompam magis, & oſtentationem, quam ut inde aliquod emolumentum animo conciperent, niſi qui eam proſtituunt ut vendant, verbaque & iras locando inter titulos, & ſub turpiſſimo elogio traducunt.

Poſtrema omnium inducta eſt mulier, nam nihil virile ea die in auctionem venit, quam alii eruditionem, alii criticem ſuperbo vocabulo appellabant. Matrona exercitati vultus, & neſcio quid magnum promittens, quippe quæ ut Mercurius prædicabat incredibili labore omnem ſcientiarum Orbem complexa erat. Nam & Iuriſprudentes excuſſerat, & Medicos non ignorabat, & ad Philoſophorum caſtra tranſierat, & in ſiderum quoque ratione verſata, pervagataq; libros omnes perpetuam in literas ac diſciplinas Cenſuram

ſuram exercebat. Plurimi aſſeclæ viſebantur, omnes de literis optimè meriti, qui ſola laudis, ac gloriæ ſpe propoſita incredibili contentione improbisq; laboribus omnia veterum ingenia ad obruſſam exegerant, nulla monumenta, nullam ſchedam reliquerant intactam, undè rem literariam promovere poſſent; quorum beneficio literæ ab interitu vendicatæ ſartæque ac tectæ propagatæ erant.

Illud tamen in invidiam trahebatur, quod jejuno ac puſillo animo non pauci circa res minutiſſimas ætatem exigerent, ac poſt annorum labores ſe ad Heliconē veniſſe crederent, ſi voculam claudicantem ſcriptori reſtituiſſent, aut rancidas exoleti Græci Interpretis nænias advocaſſent, ritusque, intermortuos ab ultima memoria retrovocaſſent. Ita moroſam nimis, ac putidam curam fucum feciſſe graviſſimæ arti. Sed Criticen multi quidē admiratione timidiſſima circumſteterant, quod ad inſtar ſophiſtarum ſe de qualibet re diſputaturam pollicebatur. Quidam triſtiores ſtoico ſupercilio propius intuentes, & cuncta moroſè examinantes detorta, ac vituperanti narc diſcedebant nihil aliud eſſe quam Grammaticorum ineptias, ſtudiumque ignobile ac plebeium dictitantes ſcientiarum maje-

majeſtate procul habendum. Itaque nullum emptorem inveniebat, ac niſi transalpini aliquot acceſſiſſent nullo non pretio præſtinaturi, Mercurius ramices clamando rupturus erat, ſummo Italiæ dedecore, in qua hæc olim non regnaverat modo, ſed & trans juga montium in coloniam deducta fuerat, quodque rei indignitatem augebat, Criticæ emptores ab otioſis ac nebulonibus Grammatici, ac Ludimagiſtri vocabantur. Finis Nundinarum erat, jamque literatorum populus dilabebatur, cum iterum jubetur ab Apolline Mercurius præconium facere, & ſi quis rurſus eloquentiam male diſtractam emere vellet clara liberaque voce pronunciare. Sed alii denuo aſpernabantur, alii ſuperbo oculo deſpiciebant, cuncti ferè inutile mercimonium prædicabant. Cum ex Urbe maris domina adfuere non pauci, qui cunctis admiratione defixis eloquentiam inæſtimabili pretio, & quanto nulla alia ars, ac diſciplina ſteterat, coëmerunt. Ita quod nullus fieri poſſe credebat non Iuriſprudentia non Medicina eloquentiæ ſumptum æquare potuerunt. Et quamvis detracta nativi ſermonis purpura, vulgari, communique cultu ſtatim ab emptoribus producta eſſet, quia nihilominus ad tribunalia pulſis

rabulis

rabulis revocata erat, in Curiam inducta, graviſſimis Reip. conſiliis adhibita, pallentibus reis advocata ſibi revixiſſe viſa eſt, & ne ab antiquo illo veterum Oratorum ſplendore degeneraret, alumnos ſuos ſummo favore ſummisque opibus ad inſignis fortunæ culmen evexit, quorum principes clariſſima Veneti fori lumina, quæ de proximo venerari licet, eximia apud omnes ordines gratia, nec coloniarum modo, ac municipiorum ſed principum quoque clientelis florentes, nummos modio metiuntur.

At turbæ populares diverſis animorũ moribus agitabantur, ſaniores tantam felicitatem gratulari, alii emptoribus invidere, at fortunam ignavo queſtu onerare. At diſciplinarum profeſſores exhauſtos tot annis labores damnare, parati calamos frangere, & meditata carmina in ſpongiam induere, nec ſatis concoquere poterant plus una die patronum cauſarum acquirere quam ipſi totius anni ſudoribus adipiſcerentur: omnes Apollinem accuſare quod tam iniqua lege laborum præmia diſpertiret.

Nec tulit tantam contumaciam Muſarum præſes, ſed graviter increpita hominum ignavia, qui poſtquàm meliores dies inertia continuaſſent, non aliud quã

alienæ

alienæ felicitati obtrectare ſcirent: quædam etiam fato imputavit: poſtremo Mercurio negotium dat, ut de literatorum querelis cognoſceret, & ſi non alio ſaltem famelica ſpe ingenia paſceret. Poſtquam ille hiantes corvos diu deluſiſſet, & alii ſine ære funerabantur, pars magna heredes non inveniebat, paulatim artes infœcundæ deſeri ſunt cæptæ poëtisque ac Criticis à neceſſitate veluti manus injecta eſt, qui relictis nugis, & ſomniorum interpretamentis aliud artificium promisêre, ſicque magnus metus inceſſit ne literæ interiores, quæ tunc parvo venierant, ſequentibus nundinis vix obolum invenirent. Conventus ab Apolline, Lucianus à Menippo dimittitur.

SUPPETIÆ CRITICIS LATÆ.

PROLUSIO III.

UT olim Africa, ſic hodie Helicon ſemper aliquid affert novi. Nimirum paſcenda eſt rumorum avida plebecula, & nihil ignorans cunctaque tranſmittens ubique Roma eſt. Nihil tamen hîc de feræ militiæ muneribus, neque ea nuntiantur, quæ arrectis auribus, & hianti ore excipiat, moxque in majus aucta inter oſcitantes rumoribus differat nec otium ferens, nec laborem. Direptiones Urbium, mali fati exempla, cæſos exercitus, totis viribus concuſſi Orbis certatum, captam, & non captam Perpennianum, & quidquid credentium otio fingitur, & vulgatur: unde ſtudia, nec ſimplices factiones, & tanquã in arena in Gallum, aut Hiſpanum ſemper trepidus, atque anxius favor, contentio, furor, & pœnè ipſis præliis par rabies. Sed umbratiles doctorum pugnas, & incruentas contentiones audituri eſtis, ſtudiaque & partes nihil præter verba auſuras, ſed mite ingeniorum certamen, irasque, ex quibus nihil ſupereſt, concordem diſcordiã, & pa-

& pacato muſarum regno ex amico diſſidio duraturum ſeculis literatorum fœdus.

Si, unde hæc acceperim, quæſieritis, ſi libuerit, non dicam: ſcio me ibi vivere, ubi non verba modo ſed & ſenſus liberi ſunt ſublato ubique loquendi ſcribendique commercio, quod de temporibus Tyrannide infeſtis ſcriptores conqueſti ſunt. Nec tamen inurbanè vobiſcum agam, Homerum allegabo qui ſomniorum portas revocabit. Quæ ego ex cornea volitantes imagines manifeſto viſu exceperim cum fide referam.

Κῦτε φίλοι θεῖός μοι ἐνύπνιον ἦλθεν ὄνειρος.

Immo non ſomnium ſed credite me vobis folium recitare Sibyllæ. Ad Heliconem proximis diebus literatorum luſtrū actum eſt Pico Mirandulano, & Hermolao Barbaro Cenſoribus. Cenſi ſunt non pauci ex toto terrarum Orbe, quos ſolo diſciplinarum, bonarumque literarum cenſu æſtimatos Delphica civitate cum jure ſuffragii Muſarum parens donaverat. Poſtera die Senatus lectus eſt. Ubi Picus in legendo omnes præteriit, qui politiorum literarum nomine, ſtudioque Antiquitatis in ampliſſimum ordinem fuerant cooptati. Cumque non obſcurus in ſenatu fremitus, & indignatio orta eſſet

eſſet gravibus factis atrociora dicta adjecit. Et quouſque tandem P.C. inquit hoc genus hominũ, ut mitiſſime dicam ineptum ac putidum in ſenatu feremus, ordiniſque graviſſimi majeſtatem ſolis nugis, vietiſque, ac rancidis obſervationibus evileſcere patiemur? Quouſque ventoſa natio regnabit, difficilesq; ſemper habebit nugas, & triſti ineptiarum labore defungetur? Quid autem iſti literarum carnifices, librorum peſtis, ac pernicies diſciplinis vitæque communi boni afferunt? Quis ab eorum contubernio melior evaſit, aut doctior? Quid tanto hiatu polliciti præſtant? Operæ pretium eſt audire quæ iſti ſomnia invexerint. Quam gravibus & ad communem ſalutem pertinentibus quæſtionibus ſe exerceant. Nihil præter antiquas illas nænias utrum major ætate fuerit Homerus an Heſiodus, quaſi magis ad rem pertineat ſcire Telemachus an Ulyſſis canis antiquior fuerit. Quotque hic ſocios habuerit, & quo nomine vocarentur: quæ mater Hecubæ, quid Sirenes cantare ſint ſolitæ? Quinam per Deûm fidem morbus hic eſt, quodq; inane ſtudium ridicula & ſupervacua diſcendi? Hæc me non modo non pudet ignorare, ut ſi ea ſcirem cum Themiſtocle artem obliviſcendi optarē.

En

En omnis ſapientiæ parens Homerus ex quo tanquam ex Oceano omnes diſciplinarum fontes, ac rivi dimanarunt. Quod autem ex eo iſti afferant, pudet referre. Diſcumbebat Telemachus in convivio Menelai; erat illi proximus Piſiſtratus, hunc interrogaturus Telemachus pede molliter tangit. Quærunt eruditi cur potius pede quam manu, aut cubito tetigerit. Eundē Telemachum Euriclea domi, ne fugeret, concluſit. At ſerræ claveſq; nondum in uſu erant. laborant igitur, ut inveniant, quodnam id vinculi, aut clauſtri genus fuerit. Achillis Clypeus quinque operimentis munitus fuerat, quorum unum ex auro reliqua ex corio confecta; quodnam aureum fuerit, ſummumne, medium an imum. Magna profectò res, & in cujus ignoratione totius Græciæ ſalus, immo humani generis nitatur. Quemadmodum & illa, quæ quoties repeto, riſum tenere non poſſum. Quærunt magni iſti literarum proceres num aliquis uſus fuerit carnis elixæ Heroicis temporibus, negatque ex tripode magna horum pars. Nam licet apud vatem legatur *litore ahena locant alii*, ahenis veteres uſos non ad elixandas carnes, ſed ad lavandum contendunt. Alii contra nituntur. Nam cum Ulyſſes ſub mendici

mendici habitu domi ſuæ ignotus verſaretur contumeliæ cauſa in eum procorum unus bovis pedem jaculatus eſt. At culinæ magiſtri Pes bovis aiunt aſſari quomodo poterat? Itaque aſſis, & elixis carnibus etiam veteres veſcebantur. Herculem una nocte quinquaginta filias Theſpii depudicaſſe quidam credi volunt, cum ipſe vix tribus noctibus ab Jove abſolutus ſit. Contra alii quinquaginta noctibus hunc demum laborem ab Hercule perfectum nobis perſuadent. Digna quæſtio, in qua iſti acumen ſuum exerceant. Quemadmodum & illa. Cum parturientes res obvias manu prehendere ſoleant, ut aliqua ratione dolorem imminuant, Latonam in Apollinis ac Dianæ partu palmam tetigiſſe quidam memorant, alii contra olivam manu tenuiſſe, alii laurum. Quos in tanta re tutò ſequemur? Diomedes manum Veneris vulneravit. Dextrane fuerit an ſiniſtra, Grammatici certant, nec dubitant illud in diſceptationem vocare, quo primum pede tellurem è navi deſiliens Æneas tetigerit, dextro, an ſiniſtro, & poſt longa certamina eo inclinant ut credant juncto utroque pede proſiluiſſe.

Quid his faciemus P.C? Non Anticyram continuo amandabimus, ne toto

quidem hellebori jugere ſanandos? Sed antiquos ritus referunt, & retroacta ſecula ſub oculos mittunt. Quid agerent Quirites, quî veſtirent, quoties in die commederent. Expecto ergo ut aliquis etiam quærat num iidem dormirent, & quidem in utrumque oculum, num poſt cibum illuc ſecederent, quo ſaturi ſolent. Num oculos & naſum ipſi quoque haberent. Num apud illos plueret, ventique ſpirarent. Quomodo denique morerentur, & qua parte corporis animam emitterent. O miſeros, qui hæc narrant, miſeriores qui audiunt.

Et iſtos uſui aliquando Reip. futuros creditis, hos moribus, hos vitæ communi? Nam ſi aliunde hoſtilis metus increpet, ſi Urbs obſidione cingatur, ſi aræ, ſi foci, ſi delubra Deorum in diſcrimine verſentur, trepidi cives convenient, ut de ſalute in medium conſulant. Adſit vero & unus ex eruditulis iſtis. Quid per fidem allaturum putatis, aut excogitaturum, ut pereunti patriæ opituletur? Niſi me animus fallit, ubi omnium ora atque oculos in ſe converſos videbit, grande aliquid minatus vocem in hæc aut ſimilia ſolvet. O cives, cives periimus. Hoſtis habet muros. Veteribus non hoſtes, ſed perduelles dicebantur ipſumque

que bellum duellum. Porro muros, & mœros mœnia dixére à muniendo, & pomærium, quod poſt ſive pone mœros eſſet, quod omni cultu vacuum purumque fuit. Quid autem vobis in re tam crepera agendum ſit, quæris? Si bellum inferetis, ipſi cenſerem prius Fæciales de more cum patre patrato mittendos, ut res repeterent, haſtamque jacerent. ſed quia illatum propulſatis tum auctor vobis ſum ut caducæatorem cum infulis mittatis, hunc autem à caducæo dictum. ſcitis, quæ virga Mercurii Deorum internuncii fuit. Sin in pertinacia nihil profutura perſiſtitis peribitis cuncti. Hoſtes enim vel Urbem corona cingent, vel pluteos ac vineas admovebunt, catapultis, balliſtis, ac ſcorpionibus res agetur, Urbs diripietur, & ea ſequentur, quæ mens referre horreſcit, eorum imaginem apud Virgilium, Liviumque & ceteros videre erit, in quêis ego ætatem contrivi. Hæc ille cum ſupercilio. Auditorum autem ſaniores quid aliud quam intempeſtivas nugas exploderent, & de media vena erudito pertundenda cogitarent? At quibus mens fervidior his maxime vocibus conſultorem exciperent. At ô Deorum quantum eſt Grammaticis infeſtū te cum hoſtibus ipſis ac perduel-

libus, cumque patribus patratis, ac patrantibus perduit. Quid malum, juvat in re capitali nugari, & in confinio mortis pereunti patriæ illudere? Qui niſi ad te redieris non in Livio ſed in robuſto carcere ætatem conteres, vel te ſacrum ac ſuccidaneum, & ſi mavis inteſtabilem pro larvato Cereri ſacrabimus. Si hæc illum merito auditurum putatis vos ab uno omnes diſcite, & de toto genere idem pronunciate. Quare ita ego è Rep. eſſe judico, atque hujus conſeſſus majeſtate, ut Critici omnes, literati, ac literatores è Senatorum albo expungantur tanquam nugatores, & humanæ vitæ inutiles, atque incommodi. Poſtquam Picus aſſedit, incredibile dictu eſt quantum admirationis, ſed & quantum fremitus ejus Oratio excitaverit. Plurimi, iique dignitate præſtantes notabantur: clariſſimorum virorum decus pro concione proſcribebatur, pauci admodum erant, ad quos tam iniquæ declamationis invidia non pertineret. Cum Beroaldus Coſ. deſignatus ſedato vultu, ita apud infenſos cœpit. P. C. Graviter, & iniquo animo has partes implere me fateor, ut Pici criminationibus aliquid reponam. Nam & ſi me in eorum numero eſſe profitear, quos iſte jocum ludumque

que fecit, & propterea me quoque non perfunctoriè ſugillatum, quia tamen ſic à natura uſuque inſtitutus ſum, ut malim recte agere, recteque ſcribere, quam hanc calumniandi ſerram reciprocare, ſuperſediſſem profecto lubens ingrato munere, niſi me locus ac dignitas reluctantem ad hoc impelleret. Quid primum loquar, Patres, aut quid non loquar? Novum crimen & inauditum. Nos Grammaticos appellat, idque omnium maledictorum complementum eſſe, vult credi. Vide, Pice, quam ſim initio liberalis, non modo in hoc contumeliam agnoſcimus, neque audito nomine erubeſcimus, ſed ultro etiam in laudem jactamus. Quis enim adeo in literis hoſpes eſt, quales tu nos paulo ante concinnabas, qui ignoret primum hoc nomine eos cenſeri, qui literarum rudimenta pueris tradunt quos alphabetarios, & literatores & de trivio magiſtros me non repugnante appelles licet. Quorũ nullum nõ in ſenatum modo recipi, ſed Helicone omnes averti ſcimus. Alterum genus Grammaticorum, qui in duplici munere verſantur, altero ut de ſcriptoribus judicent, quos verè criticos dixêre, altero, ut eoſdem interpretentur, hosque eruditos, philologos, & ſi vis Grammati-

cos, & nos fatemur, & ultro ſi tales dicamur beneficium imputamus. Sed illud ſerio adjiciant ipſa fremente invidia, hos homines non modo ſenatu movendos, ſed contra iis maxime honoribus augendos, ſine quibus omnino ſtare Reſp. literaria non poteſt. Veri n. ac perpetui literarum cenſores non in una tantum arte ac diſciplina conſeneſcunt, ſed mira ingenii capacitate, Herculeo labore ſcientias illas pervagati Orbem illum perficiunt, quem veterum multi novére, pauci admodum confecerunt.

Hi ſunt quos tradit ſummus vir Quintilianus tam ſeverò judicio uſos, ut non verſus modo cenſoria quadam virgula notare, & libros qui falſo viderentur inſcripti tanquam ſubdititios ſubmovere familia permiſerint ſibi, ſed & auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero. Hi librariorum fucum & fraudes plusquam mangonias, magnisque ſcriptoribus toties ſuppoſitos ſpurios fœtus deprehenderunt. Iidem corrupta & vitioſa auctorum loca emendant, ambiguas lectiones recenſent, nec verba modo, ſed & ſententias notant. In quo genere exercitationis ipſum Piſiſtratum, divinam Ariſtotelis mentem & felicem Galeni curam verſatam

ſatam fuiſſe video. Quemadmodum in ipſis divinarum literarum oraculis Lucianus, Hieronymus, alii ſacram Criticen inſtituêre.

At ſcriptorum, præcipuè poëtarum enarratio quantum habet dignitatis: & ſi ut idem Quintilianus tradit res iſta plus habet in receſſu quam in fronte promittat. Nec poëtas, inquit iſte, legiſſe ſatis eſt, excutiendum omne ſcriptorum genus non propter hiſtorias modo ſed verba, quæ frequenter jus ab authoribus ſumunt. Non citra Muſicem Grammatice poteſt eſſe perfecta, cum ei de metris & rhythmis dicendum ſit. An ſi rationem ſiderum ignoret, poëtas intelligere poterit, qui ut alia mittam toties ortu occaſuque ſignorum in declarandis temporibus utuntur? Non ignara Philoſophiæ cum propter plurimos in omnibus fere carminibus ex intima quæſtionum naturalium ſubtilitate repetitos locos, tũ vel propter Empedoclem in Græcis; Varronem ac Lucretium in Latinis, qui præcepta ſapientiæ verſibus tradiderunt. Eloquentia quoque non mediocri opus eſſe apparet, ut de unaquaque re dicat propriè, & copiosè. Quam vero medicæ arti ſalutaris ſit Critice, ipſamque veluti medicinam curet, non alius quam Galenus

docuerit non minor fortaſſe Criticus quam Medicus. Docebunt recens in Senatum allecti cum principibus adnumerandi Mercurialis, Cagnatus, Fuchſius, Guillandinus, quique exacta ætate plures palmas quam dies numerat, Hophtmannus. Nam de Juriſprudentia quid attinet dicere coram Alciato, Fabris, Briſſonio, Cuiacio, Duareno, Donello, Cunæo, totq; aliis qui tam feliciter divinum atq; humanum jus obſidentem barbariem eruditionis ope profligarunt.

Sed Criticos noſtros ſive Grammaticos duplici crimine arceſſis, altero quod ineptias ſectantur acerrimè, altero quod non contenti finibus ſuis, audent etiam veſtros limites revellere, & in ſcientiarum campum audacter tranſcendere. Prima quidem noxa nec ipſe omnes noſtros abſolvo, quorum non pauci hac ſcabie laborant, ut in leviſſimis occupentur, resque frivolas & inutiles in medium afferant, & quandoque ſana ſcriptorum loca pervertant. Num propterea totam artem damnabimus? An quia in Dialecticis plerique nugantur & inanibus captatiunculis ſe mutuo illigant, & ſibi cornua affingunt, ideo nobiliſſima facultas proſcribenda? An ſub eodem judicio cadet medicina, quod non pauci inutilia

tilia ſectantur, & Empiricorum ludibria tanto periculo exercent, ut ille apud Atheneum diceret exceptis medicis nihil eſſe Grammaticis ineptius. Si ſacros Juris codices intactos ineptiis creditis, longe vos ratio fugit. Vel unum Accurſium interrogate, qui earum plauſtra & harmamaxas effundet, nec propterea medium unguem Juriſprudentiæ oſtenditis. Demus hominem, qui alterum tantum in ſacris literis audeat, qui quærat dirâ humani generis eluvione in navi illa mortalium reparatrice ubi tot hominum pecudumque confecti cibi reliquiæ conditæ ſint, cur non reverſus ſit corvus, & ubi tunc omnia aquis occupantibus pedes fixerit: an canis Tobiæ caudæ motitatione domino ſuo blanditus ſit, & quomodo ille vocaretur: quo lapidis genere David gigantem proſtraverit: quomodo tot Philiſthæorum præputia afferre Samſon potuerit: quibus unguentis ſe Iudith Olopherni placitura perunxerit, & ex quâ materiâ confecta eſſent ipſius ſandalia: an Aſina Balaam intelligeret, quæ loqueretur, & quomodo Angelum cognoſceret, ut de ceteris ſileam. An propter paucos inutiliter, & ridiculè curioſos tantum opus ſacra Oracula interpretandi ſacrilege damnabimus?

Sed Grammatici Ardeliones ſunt, aliena invadunt, & in omnes diſciplinas audaciam ſuam extendunt. Unuſquiſque enim ſcientiam, quam colit, Penelopem eſſe dicit, bonas literas eſſe ancillas ac famulas, eas Grammaticorum uxores eſſe, vel contubernales. O miſeram Grammaticorum conditionem, quos iſti ancillariolos faciunt, & ſcaphio, ac penſo addictos tantum non in culinam detrudunt. Nec licere volunt iis ſaltem limis heram Penelopen contueri. O legem iniquam! Quis autem unis vobis Penelopen addixit, & veluti confarreatione in manum convenire voluit. Philologos autem qui & ipſi homines ſunt, & ingenui tanquam ſacros & inteſtabiles hoc matrimonio arcuit? Virtutem communem eſſe credebam, omnibusque patere aditum ad illam, neminemque excludi. Sed valeat lex iſta duraque conditio. Dicam clara voce, ut me exaudiant. Cur proci nobiliſſimi contenti Penelope non eſtis, cur ancillas quoque ſectamini & ſordibus caletis? Bonæ literæ veſtræ Penelopes pediſſequæ ſunt, noſtræ uxorculæ liceat nobis ſine æmulo frui, quid eas ſollicitatis, & aliena matrimonia ſubſidetis? Apollo Rex omnibus idem.

Sileant

Sileant ergo quicumq; artem noſtram ut tenuem, ac jejunam cavillantur, quæ niſi diſciplinis omnibus fundamenta jecerit quicquid ſuperſtruxeris ruiturum eſt; Quæque ſcientias omnes beato quodam vinculo complectitur, & ut ille vere pronunciavit neceſſaria juventæ, jucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes, & quæ vel ſola omni ſtudiorum genere plus habet operis quam oſtentationis. Sint cum laude Critici antiquarii: ſint Grammatici, dummodo qui omne aliud profitentur, nec niſi grandia minantur ne Grammatici quidem ſint. Hæc Beroaldus. Plura adjicere in Græcarum literarum laudem parabat Hermolaus cum interceſſit Apollo, ſicque ille conventus dimiſſus eſt.

DE CAVSIS PEREVNtium literarum.

PROLUSIO IV.

Poſtquam diſcordia tetra
Ferratos belli poſtes, portasq; refregit.

Poſtquam beatus hic terrarum angulus toto Orbe bellorum rabie convulſo ac lacerato, tanquam Olimpi vertex diu ventorum, ac tempeſtatum expers fatorum invidia eodem turbine correptus eſt. Poſtquam furiarum maxima claſſicum incinuit, rupta populis quies, juvitque deſueta corda ac deſides animos ad martium decus accendere: non vanus metus inceſſerat, ne literæ quoque ac diſciplinæ eadem peſte correptæ fatiſcerent, & excuſſa pace, pacis quoque ſtudia tollerentur. Neque enim convenire poſſe, aut in certum fœdus coaleſcere credi par erat cum literarum profeſſoribus belli fœciales: tubarum ſonitum cum miti doctorum voce: tympanorum pulſum cum æris crepitu: calamos cum gladiis: cum clypeis codices: caſtra cum Gymnaſiis: exedras cum tentoriis: cum cathedra prætorium: tormentorum vim cum diſputantium voce: prætervolitantes

tes ferreos globos cum ignavis dictis: denſatas phalanges cum grege imbelli: acrem militis vultum cum placido ephe-borum lumine: rabiem cruore irritatam cum ſtudiis humanitatis: Urbicapum hominum occiſorem Martem cum pudi-bundis Virginibus ad ſolum mucronis fulgorem miſere trepidantibus.

Et licet ingeniorum luſus iſta inter ſe comparaverit, ut literarum ſtudium mi-litiam, bellum diceret diſciplinam, quod utrinque labor ac contentio, utrinque ſacramentum, & auctoratio, exercita-tio, ac tyrocinium: hinc Centurionum, illinc magiſtrorum ſævitia: hinc fracta vitis in militis tergo, illinc flagellorum ſonitus: hinc inde gradus & claſſes, vi-giliæ, atque excubiæ, corpus laboribus fractum, duræ hiemes: exercitæ æſta-tes: utrimque ſtipendium ac laurea, utrimque gloriæ atque immortalitatis cupido. Sed mirum quantum iſta diſcre-pent, quamque toto cœlo diſtet militis ac ſtudioſi ratio. Hic animos erudit, ille corpora contrucidat: hic bene loquitur, ille male agit: hic calamum acuit, ille gladium: hic atramentum, ille ſanguinem fundit: hic cartis victura monumenta committit: ille ferreo mucrone in ex-angui corpore mortis dictata perſcri-bit:

bit: hic memoriam in ævum extendit, ille accelerat lethum: hic argumentis expugnat animos, ille machinis Urbes diruit: hic ſontibus patrocinatur, ille etiam inſontes necat: hic leges perſcribit, ille tollit: hic rerum cauſas naturæq; arcana ſcrutatur, ille violat: hic ſacra, ſacrorumque ritus diſponit, ille faces delubris admovet, arasque ferro populatur: hic pudorem ac pudicitiam tuetur, ille raptas è gremio matrum puellas media luce imminuit: hic ad ſalutem humani generis exſudat, ille ad perniciem: hic orco fatisque luctantibus mortales eripit, ille donat: hic ex contubernio mortuorum, quid deceat, diſcit, ac docet, ille inglorius eſt niſi magnam viventium partem in Acheruntis cenſum tranſcripſerit: poſtremo hic naturæ interpres ac cuſtos eſt, ille carnifex. Una eademque opera Iani templum panditur, & clauditur muſarum delubrum, Deæque imbelles, cum claſſicum increpuit, demiſſo vultu velut vallis in altera viſum parte lupum ſublimi anhelitu fugiunt, aliasque ſedes circumſpiciunt.

Nihilominus tanta eſt Imperii Veneti majeſtas, ac magnitudo, ut armis circumquaque ſtrepentibus, atque ipſo Iove bruto fulmine gentes perterrente ſua

literis

literis ac diſciplinis quies conſtet, ac veluti Homerici Heroes cava nube Deorum ope circumſepti in ipſo prælii ardore inter volitantia tela impune verſabantur: ſic Gymnaſium hoc divino Venetæ virtutis amictu circumdatum Martis rabie cuncta corripiente non modo extra teli jactum conſiſtit, ſed armorum ſtrepitum, quo cuncta Italia concutitur, non exaudit. Itaque alto hoc otio, quod in proximo ſævum Martis negotium gratius reddit, mollique ſeceſſu non Muſas modo colere & libris indulgere vacat ſed longos quoque ſomnos carpere, mirari magis quam metuere, ut nullus niſi hoſtis bellum ſentiat, pacis bonum bella horrida commendent. Quare dum cæteri arrectis auribus & hianti ore in tonſtrinis ac Pharmacopolis rumores Martis captant, ſæpeque caſtra, ac prælia mero delineantur, & ſuper menſa debellatur hoſtis, nos iſtud agamus, & quid hoc anno ex Parnaſſo atque Apollinis aula novi Menippus afferat, audiamus, rumoreſque ſenum moroſiorum omnes unius æſtimemus aſſis.

Ex ultimis Helicone datis narrabat Menippus proxima vindemia, qua licentia Autumnalis ſacrificat Vacunæ Bacchuſque Apollinis frater ac Parnaſi incola

cola refectas nectare doctorum mentes generoſo afflatu noviſque gloriæ ſeminibus fœcundat, literatorum luſtrum actum eſſe Ioſepho Scaligero atque Adriano Turnebo Cenſoribus. Præter ſummos Juriſprudentiæ Antiſtites magna ſeculi decora, ingens leguleiorum turba in tabulas relata, nec minor medicorum ſuboles, ut plures jam medicos Menippus fuiſſe diceret quam morbos. Horum maximus cenſus & opulentiſſimus. Item Philoſophi non pauci, ſed quibus minor res erat: pauciores Aſtrologi, iique trepidi, & reſpectantes, poſtquam Principes prædictionibus inquietati, & tantum non ſingulis annis perire juſſi fatis manum injecerant, eorumque præconibus indixerant ſilentium magno in alienos annos inquirentibus. Eruditorum pauciſſimi, tot quot

Thebarum portæ aut divitis oſtia Nili.

Præcipuè ex Italia, quæ harum literarum mater, ac propagatrix eas ultra Oceanum glacialem porrexerat, vix unum aut alterum repertum Menippus aiebat, qui hoc cenſu cenſeretur. Id Apollinis animum altius commovit, cumque poſtera die Patres vocaſſet in Curiam, retulit, quod in extremis rebus fieri conſueverat, viderent Coſſ. ne quid detrimenti

Reſp.

Reſp. literaria caperet, placuitque præſentis deſidiæ cauſas excutere, cur pulcherrimæ artes periiſſent, cur bonæ literæ ſilerent, earumque cultores turpem quæſtum, atque illiberalem captarent, magna pars in pannis & inopia, non ſine ſua ac totius ſenatus infamia ægrè famem pellerent.

Primus rogatur ſententiam Jovianus Pontanus Coſ. deſignatus auſteri judicii mordacisque acrimoniæ, qui divitiarum, inquit, cupiditas hæc tropica inſtituit. Nunc enim Regibus Regumque filiis formoſior maſſa auri videtur, quàm quidquid Plato & Ariſtoteles, Demoſthenes, & Tullius Græci Latinique delirantes finxerunt. Olim ſummum certamen inter Principes erat, ut & ipſi literis impenſius imbuerentur, vel ſaltem eruditos domi alerent, unde ſibi nomen ac gloriam compararent. Hinc lepide Lucianus prodidit, Dionyſium Siciliæ tyrannum ob morum diritatem apud inferos Chimeræ alligatum eo ſupplicio ſolutum eſſe, quod doctos viros ſæpe ejus liberalitate ſublevatos conſtaret. Summum inquam certamen ubique, ſed præcipuè Romæ jam inde ab Auguſti ac Mœcenatis ævo in viris doctis, & præcipue poëtis ditandis, ac promovendis.

vendis. Vix aliquis hac notâ inſignis ſeptem colles, ac Mœnia Martis attigerat, licet in curta pœnula vilique centunçulo, quæ literatorum ſuppellex, cum ab eruditis heris conquiſitores deſtinati ad diverſoria, ad portas, in ipſo itinere trahere molliter ad ſe, xenia, & hoſpitium offerre, tantum non pœnulam lacerare, gaudioque perfuſos ad Dominorum liberalitatem ad menſarum ſacra, atque hoſpitales Deos, vel reluctantis cogere. Quem non ea munificentia, largusque optimatum favor accenderet, ut totus muſis incumberet, totaq; Decembri vinum neſciret, non tam ut dignus hederis eſſet, quam ut contubernio Principum frueretur, adhiberetur procerum epulis, tolleretur eodem vehiculo, prætereuntium digito monſtraretur, novo cultu refulgeret, nec de lodice paranda ſollicitus eſſet, ſed vitæ commodis uberioribus magnæ mentis opera ſecurus expleret.

Hanc laudem ſeneſcentem Leo ille X. renovavit, cujus ævo non ineptè poëta dixit, etiam doctorum mulas lautè opipareque exceptas, effuſo pretioſis tapetibus hordeo. Scilicet mortalium ille ſummus meminerat ab Coſmo & Laurentio majoribus ſuis Muſas in ſplendorem aſ-

ſertas

ſertas tum Prytanæum alendis eruditis Florentiæ excitatum: nullam tunc bonis literis artem quæſtuoſiorem, aut honoratiorem: ab ſordidis natalibus & obſcuro loco viros doctos in Principium dignationem facile adſcitos. Per eadem tempora Aragonii Reges cum Medicæis, Eſtenſes cum Sabaudis, Vicecomites cum Carrarienſibus, Veneti cũ omnibus certabant penes quos major literatorum numerus conſpiceretur, & quæ Aula plura doctorum capita in pompam oſtentaret. Cùm invidioſis ſtipendiis ab extrema Orbis parte evocarentur, & illi ampliſſimis Regiorum procorum præmiis ſollicitati ad inſtar Homericæ Penelopes omnium conditiones reſpuerent, tenuiſque fortunæ cultum Aulæ ſplendori magna pars antehaberent. Præcipue ſecutis temporibus cum Regum ille ultimus Franciſcus I. ditandis eruditis ærarium exhauriret, ſcientiasque ac diſciplinas ex Italia in Galliam tanquam in Coloniam tranſcriberet.

Poſt ea tempora quæ rerum converſio facta ſit quid attinet dicere, & nihil profuturo queſtu aures onerare? Quis nunc Procerum, atq; Antiſtitum doctum virum curto aſſe licitatur? Quis in Urbe ſolo literarum nomine aut dignitatem aut

aut opes invenit? Quis in tota Italia, ſi Venetam Rempub. excipias, apud quam non magna modo, ſed invidiæ capacia ſtipendia ultro doctis offeruntur, iique ab ultimis terrarum oris accerſuntur, florent, vigentque, in pretio, in ore omnium verſantur, nec cauſam habent, cur aut Auguſti, aut Leonis ævo invideant. Quis inquam bonas literas, aut reſpicit jam, aut non deſpicit? Sed magna pars procerum mavult paraſitos, aut peregrinas belluas avesq; exoticas, & monſtroſos ferarum partus paſcere quàm eruditos; Qui domini voluptates inſtruat, qui cenſum ſcitiſſime mergat, ingenti auri pondere redimitur, pſaltriæ, mimi, balatrones, conciliatores, Copreæ ſervum pecus herum obſident, his ille diu noctuque patet, ſi doctus vir occurrat tanquam creditorem exhorret, fugit, ſupercilium contrahit, ſtomachatur, & mollibus verbis ad extremum malorum famem compellit. Quod olim Ammianus memorat, cum ob ingruentem annonæ caritatem & ſterilem annum Philoſophi pellerentur, tria millia ſaltatricum retenta fuiſſe. Si qui autem ex optimatibus eruditi nomen affectant, ii veteres nummos emunt, in ſtatua hærent, de tabula picta aliquid bleſa nare loquuntur, quidam

dam etiam Bibliothecas magno ſumptu inſtruunt, ne tineæ ac ſorices extinguantur, libris auratos forulos, librorum auctoribus carcerem , ac compedes deſtinant.

Falſos igitur omnino fuiſſe oportet, qui ita dictitarunt, petentibus aulam doctis non eſſe opus commendaticiis epiſtolis , cum pulcherrimæ literæ favori conciliando ſatis eſſent , quas animis geſtarent. Nam hodie contra eſt. Apud literarum oſores maxime literis opus eſt, nón quas rancidi codices & antiquæ membranæ præferunt, ſed quæ circa Regum Cæſarumque capita ſignato metallo fulgent, quique

ſcripto radiat Germanicus auro.

His literis abunde inſtructus princeps literatorum audiet & prophanus licet ipſa Eleuſinia inviſet , nec unquam ſine aureo ramo Elyſios adire poterit. Itaque nunc expedit aliquid aliud quam ingenium exercere. Quid ita per Deûm fidem ? Nimirum à teneris credere aſſueſcunt , eruditionem rem vilem , plebeiam , & principali faſtigio minorem, literasq; ignorare magnam nobilitatem eſſe. Quaſi vero Cæſar, Auguſtus, Claudius, Adrianus, M. Aurelius, Julianus & alii plures non tam Imperii , quam inge-

nii

nii faſcibus mortales ſubmoverint, literarumque cultu dominationis majeſtatem auguſtiorem non reddiderint. Nec mirum eſſe debet, ſi bona, quæ ignorant, ſuis momentis æſtimare non poſſunt.

Sed hujus inſcitiæ aliquando pœnas, aut certe ludibrium optimates debent. Nam quotieſcunque illis latine loquendum eſt, cum ſcilicet exteri Italicæ linguæ ignari ad illos honoris cauſa inviſunt. Tunc videas ingentes trepidare Titos, & vel ſero rubore perfunduntur, vel obmuteſcũt, vel, quod turpius eſt, interpretis ore in latio latine loquuntur. Fabulę loco videri potuit, fuiſſe olim agreſtem parochum, nunc etiam vafredictis, aut factis famoſum, quem cum vir Germanus de itinere Latine conſuleret, & quidem coram paganis, nihil perturbatus ille ex Pſalmo retulit: *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis.* Cumque peregrinus iterum de itinere percunctaretur, objurgatorio vocis ſono ſubjecit, quæ ſequuntur *Donec ponã inimicos meos*, plaudentibus agreſtibus & expeditam rationem latine loquendi unum in ſacrificulo admirantibus. Sit iſta utcumque fabella dummodo illud certo conſtet hac ætate in Aula Latine loquentes, aut in con-

conſpectum non admitti ſi ſint viliores, vel ſi eos admitti dignitas poſtulet, præclaros ludos omnibus exhiberi. Narrabat mihi magnus Antiſtes idemq; nobilitate & literis ſummus cum in quadam Urbe de rebus graviſſimis Regis mandato eximiæ dignitatis virum allocuturus eſſet, antequam admitteretur, à cubiculi Præfecto interrogatum eſſe, an haberet linguam in Italia, renidens ille modeſte, & ab ſervorum doctrina herum æſtimans habere ſe dixit linguam in ore & quidem dentiū ſeptis cuſtoditam. Ceterum præter patrium non alium ſibi quam Græcum ac Latinum ſermonem eſſe. Hæc ubi hero nunciata ſunt, qui nihil aliud Latine didicerat, quam illud Litera occidit, ſemperque, ut ait ille impenſe caverat ne unquam à literis occideretur, anxius & trepidus tamen, quia aliud fieri non poterat, hoſpitem excipit, ruit in amplexum, miſcet dexteram, totamque aulicæ adorationis ſcenam tacitus implet. Legatus ſermonem in pauca confert. Regis ſui mandata exponit, tum negotii cauſas & momenta facunde exequitur. Ubi finem dicendi fecit, contracto ſupercilio noſter. Quid petis inquit? Subjecit ille ſe hoc & illud petiiſſe, totamque denuo orationem à capite red-

ordi-

orditur, nec aliud ab ſtatua illa reſponſum retulit, quam Vade in pace.

Sed ſatius fuerat nihil reſpondere quam intra Leonis pellem Arcadice loqui. Prudentius alter non minoris fortunæ ad quem cum nobilis Belga officii cauſa inviſiſſet Latine compellans Pythagoræus ille nunquam induci potuit ut ſilentium ſolveret, donec hoſpes confuſus, & indignabundus tanto ludibrio habitus diſcederet. Diſplicuit ea res familiæ, nec defuit ex illo grege qui molliter herum tangeret, quod eo contemptu dignum hoſpitem crediſſet. Refert herus ſe ideo non reſpondiſſe, quia linguam Germanicam non intelligeret. Sed ille, inquit familiaris, latinè non Germanicè loquutus eſt. Tum procerum literatiſſimus ſubiratus. Cur mihi ante hoc non dixiſti, nam illi latine reſpondiſſem? Quis talia fando temperet à riſu? Hæc peſtis bonas literas profligavit, hæc poſtremo funus indicet, næniamque canet. Quis enim nunc niſi ad affines atque agnatos allegandus eas literas diſcat, quæ contemptum & inopiam afferant? Quare ad ſaniora convertuntur, & vel foro operas locant, vel ægrotos curant, vel Deorũ metu mortales obſtupefaciunt, & cum magnos in barbarie progreſſus

greſſus fecerunt, illa decantant, quæ non ſine veniæ præfatione coram elegantibus viris proferri poſſunt. *Dat Galenus opes, dat Sanctio Iuſtiniana, Ex aliis paleas, ex iſtis collige grana.* Quod ſi quis ſcriptorem eruditum memoret, præclarum dictum, inſignemque ſententiam proferat, aliud illi elegantius proferunt. *Non eſt de pane lucrando.* Et tu pater Muſarum ſanctiſſime miraris literas quotidie perire, unum aut alterum vacui cerebri venire in cenſum literatorum? Ego ita ſtatuo eruditorum oſores poſt mortem ex Pythagoræ decreto per animarum peregrinationem in boves ac jumenta tranſmittendos, ut aliquando viri docti illis inequitent calcibus, ac fuſte dolent, & veterum delictorum pœnam ad ſatietatem expetant.

Poſtquam Pontanus aſſedit rogatur ſententiam Carolus Signonius tunc Senatus princeps. Hic P. C. ſapienter & graviter, inquit, Pontanus diſſeruit, temporumque ſordes acriter perſtringens non immerito divites objurgavit, quod neglectu ac contumeliis bonas literas ad inciras redegerint. Sed non videntur hi mihi totius accuſationis invidia onerandi. Nam parentes ipſi ſuam partem peccant, qui nolunt liberos ſevera lege

 profi-

proficere. Nam cum ad vota properant, commodaque & fructus ſcientiarum præcipiti ſpe vorant, cruda, ut ait ille, adhuc ſtudia in forum propellunt, & non eloquentiam, quod tolerabile eſſet, ſed Philoſophiam, ſed Juriſprudentiam, ſed rerum divinarum ſcientiam pueris induunt adhuc naſcentibus. Non diutius ergo ſub pædagogo & primo literarum formatore eſſe patiuntur, quam dum Latina verba conentur, unamque aut alteram Tullii vel Maronis pagellam conterant. Tum aſperis dictis magiſtrum increpitat parens. Euge homo nihili, quid tamdiu natum ſpem meam Grammaticæ compedibus detines, neque è carceribus emittis, ut ad ſcientiarum metas percurrat? Eia age rumpe moras. Vides indolem & pręcocis ingenii felicitatem, vimque ad magna quæque anhelantem. Quid cum tuis hiſce nugis tibi vis? nemo unquam eruditus dives factus eſt. Da mihi, ut tria verba latina dicat, neque ita latina, & brevi faxo, ut Conſtitutus in præſentia veſtra, ſcis reliqua, mox te cum tuis rancidulis literis jure deſpiciat. At Priſciano identidem caput franget. Quid tum? Frangat, dummodo crumena nummis quoque frangatur. Non alii jam viri hoc quotidiè faciunt

faciunt & quidem ſpiſſa barba & denſis ſuperciliis? Noſter non ita nitidus in elocutione, ſæpe ceſpitans, ac ſtribiligine verba alternans lauream adeptus vel ex curatione male valentium valebit ipſe, vel ex prudentum conſultis rei domeſticæ conſulet, vel etiam ex Cœli ærario diteſcet, nummoſque modio corruet. At vos cum veſtris Græculæ eruditionis obſervationibus nemo obſervabit: magna Latini ſermonis puritate puri, nudique incedetis, eadem opera barbariſmis carebitis, & nummis.

Talibus inſtantem monitis quemcumque parentem
Si poſſem affari; Dic, ô vaniſſime, quis te
Feſtinare jubet?

Hinc adoleſcens, immo puer ad Academiam perducitur, & poſt quinquennii vel etiam ſeptennii labores parenti ſuo ſimillimus evadit. Saltem patres moræ impatientes brevi illo ſpatio vellent liberos eſſe ſub doctis viris, egregiiſque juventæ moderatoribus. At Dii Deæque, quales nunc ætatulæ filiorum præficiuntur! Non alia ex Urbe ſeverus vir acceſſitur, cujus ſupercilium ipſe quoque parens expaveſcat: non largo honorario invitatur; non prius quis ſit, aut quid ſciat, excutitur; Sed dummodo in lon-

ga, atraque tunica ſit, ſacriſque vel deſtinatus, vel initiatus nil ultra quæritur, ſatis doctus eſt. Licet & ipſe adoleſcens atque imberbis ſit, &, qui cum diſcipulus luſitare poſſit, licet vix literis tyrocinium poſuerit, adſciſcitur illico, ut ſcientiarum fundamenta in puerili animo jaciat. Licet ipſe quoque canones Grammaticos, totamq; illam puerorum crucem non ita cognitam habeat, patris ſuffragio, & fortaſſe etiam matris magiſter eſt, & quidem venerabilis. Ut facile crediderim, quæ in Italiæ urbe eveniſſe à viris gravibus accepi. Nam cum paterfamilias dives vellet domi filium Jurisprudentiæ operam dare, ut ab Academiæ vitiis procul haberet magno ſtipendio ſacerdotem accivit, qui Juris, legumque ænigmata interpretaretur. Cumque ille Philoſophus modo eſſet, Iuſtinianum ne de limine quidem ſalutaſſet, excuſabat dictitans ſe leges ignorare. Quid tum, inquit prudens paterfamilias ſive legere, ſive ſcribere nonne Doctores? Saltem noſtri, quod iſte fecit in conducendo præceptore pecuniæ non parcerent. Quibus ſatis eſt, ſi præce[illegible]mbram vel ut ſic dicam epito[illegible]ſtigium habeant. Quid ita? [illegible]no conſtat. Sola enim menſa dapeque

dapeque gratuita, qui herilem erudiat, redimitur. De mercede nullus ſermo. Et cum ancilla, quæ latrinam lavat, cum mulio, qui equos deſtringit, cum ſervulus, qui dominam gradientem ſuſpendit, ære mereant, ſolus magiſter gratis ſervit, & miramini pro uno duo ſervos exiſtere, adeo nihil ingenui, ac liberalis ab iſtis trahere gnatus poteſt.

Audio parentes aliquid pro ſe reponere. Sæva tempora ſunt, longa bella, caritates, terrarum ſterilitas, ſacra, lites, fiſcus quotam redituum partem lancinant? Plures liberi: coërcendi ſumptus, nec in erudiendis filiis decoquendum. O homines ad rem ſuam attentos, & patrimonii ſeveros cuſtodes! Sed uxor bina auribus patrimonia geſtat: ſed nebula ſerica pellucet, ventumque textilem induitur: ſed picturatis veſtibus aurum purpura decertat: nullum membrum pre auro leve eſt: ſed plus domi, quam ruri curruum & plauſtrorum: ſed uxoris gratia ſæpe vir conturbat, Calendarium teritur, verſura fit, cœca die emitur, quod clara vendatur. Sæpe auctio fit, ut Iuno tua reliquas matronas anteeat. Quod ſi nummus inſtituendis liberis erogandus, Cœlum terræ miſcetur, ſi penſionem pædagogus petat, tunc ſe miſerum pa-

rens clamat, ſeque eradicarier. Quid? ad voluptates inſtruendas, quam largus eſt? Alea, commeſſationes, Venatio, ſatellitum, ac ſicariorum grex quantum merent? Filii nulla mentio. Quin canes, equi, leones inſano ſumptu aluntur, quod in filio excolendo expenditur, periiſſe illico dicitur.

Res nulla minoris
Conſtabit patri, quam filius.

Hanc ſive parentum incuriam, ſive inſaniam ipſi præceptores alunt, qui parentes ut plurimum ſeculi vitio literarum rudes lactant, decipiunt, miroſque ludos faciunt. Nam ſive livore in viros doctos, ſive ambitione, quo ſeſe magnis nominibus inſerant vix uno, aut altero anno ephebum contriverunt, cum elato ſupercilio, & falſum gaudium vix prementes ad parentem properant, maxime ſi dives eſt, & Virgiliano hemiſtichio Salve ſancte parens, mox & Deûm certiſſima proles, nam ſi frontis honos, oriſque lineamenta, & reliqua non congruerent, Cajus tuus ſolo ingenio ex te natum ſe eſſe, fateretur. Tanta indoles, menſque igne quodam volucris. Nil reliquum eſt, quod à me expectet, tu illum ab invito abducito, Lyceum videat, Academiæ ſe oſtentet, quin eum ſtatim

Themidi

Themidi commendas in penates purpuram & faſces illaturum? Nullum dulcius carmen hominibus accidit, quam quo ſe, ſuaque prædicari intelligunt. Audit lippus parens, & capitur. Affines atque amicos convenit, in obvios gaudium ſpargit, tribunalia ac cathedras filio deſtinat, & ſi Deo placet cum uxorcula diu noctuque gaudium dividit. Et ne ſcena deſit his ludis, paratur orcheſtra, Latina verba Pſittacus conatur, vocem frangit ac geſtum, cantat, & ſubſilit, laudatur, plauditur. Papè ſic itur ad aſtra; Pupus ac delicium Muſarum. Magnum Jovis incrementum.

Quid inde conſequatur, pudet pigetque referre. Primum omnium ubi Academiam ingreditur, putat ſe in alium terrarum Orbem delatum. Profeſſores audit, nec intelligit, mox culpam in ipſos regerit, ait obſcuros eſſe, ac ſalebroſos. Nimirum ut vetula illa apud Senecam, cum per ætatem duriori aure facta eſſet, querebatur malum more inceſſiſſe, quod homines ſubmiſſius loquerentur, ita hi mentis vitio cœcutientes obſcuritatem profeſſorum arguunt. Hinc deſperatio oritur, ut, quod non intelligunt, contemnant. At parens putat natum altera die cum ipſo doctore venire in certamen

 poſſe,

poſſe, tardeque annos ire conqueritur, veteres incuſat, quod tantum ſpatium laureæ perſcripſerint; Sed adeſt tandem optata dies, Candidatus in Comitium deſcendit, & quidem magna comitante caterva: choragium conducitur. Tribus in ſuffragium, ambitus, prenſatio, comites, laudatores. Surgis tu pallidus Aiax, trepidus, anhelus, cor facit artem ludicram, animus, ac vires labant, repulſam fers. Amici conſternantur, altum ſilentium, nec aliud, quam ſe taciti reſpiciunt, tubicines, ac tympaniſtæ demiſſis capitibus domuitionem parant, parens animo linquitur. Quid deinde? Lucem reformidat, & conſpectum æqualium, per diverticula, & infrequentes ſemitas domum repetit, deſperatio, ira, & in irritum caſuræ querelæ. Vidi ego hiſcemet oculis juvenem non obſcuro loco natum ad hoc nuntium diriguiſſe, mox capto impetu ſemel, atque iterum caput parieti alliſiſſe tanta vi, ut ſi tertio arietaſſet, non ultra opus ipſi conſolatione futurum fuiſſet, & feciſſet, niſi amici attinuiſſemus, atque obvoluto capite frendentem adduxiſſemus domum. Hos feſtinatio reddit honores. Sed duos ex nobiliſſima Urbe contumeliæ impatientes brevi mærore conta-

buiſſe

buiſſe nemo ignorat. Adeo generoſum pectus repulſæ inſolens eſt, & ſera pœnitentia vitam pro laude paciſcitur. Mitius mea quidem ſententia alter, qui cum ſe ſuffragiis cecidiſſe intellexiſſet, vertit iram in doctoris inſignia, & pileum quidem rotundum illum & rugarum plicis ſtriatum per totam aulam rotavit, togam autem humeris detractam humique abjectam fullonis in morem pedibus obtrivit non ſine ejus damno, à quo veſtimenta conduxerat.

Sed eſto omnia ad nutum cedant: vota ſuperi ſecundent, ambitus inertiæ ancilletur, fortuna pro virtute ſit, plena urna lauream decernat, & lauri baccas, quanta hinc labes, quanta calamitas humano generi obvenit? Nam cum duo præcipuè ſint, in quibus vita mortalium verſatur, Medicina ac Jurisprudentia ſi quis lauream habeat, nec mereatur, illud ſequitur, ut cuicumque Medicum aut Juriſconſultum profeſſo ſtatim credatur, ſtatim mortalium fata commendentur. Nec ullus quærit, quid ſciat, ſed doctor eſt, illico vitæ noſtræ, illico facultatum ſit dominus, & quidem ſine provocatione. Atque utinam intra facultates res ſtaret, liteſque modo ſererentur, & cauſarum inexplicabilis ſeries

nectêretur. Sed ex hoc corpore rerum capitalium quæſitores capiuntur, adſiſtunt tribunali, de homine, qui pars mundi eſt, & animantium numerum complet, ſententiam ferunt. Hæc non à me Oratorum licentia exaggerari illi ſciunt, qui hæc vident, & alieno exemplo ſibi metuunt. Unde mali exempla fati, unde calamitatum Ilias? ex inſcitia, atque inertia, quod ſine literarum fundamento ſcientiis propere admoti ſunt. Sed, quid juvat indulgere dolori, nec profuturis queſtibus diem ducere?

Quare ita ego ſentio negotium Æaco ac Rhadamanto Plutonicæ aulæ arbitris dandum, ut, quidquid filii deliquerint poſt vitam à parentibus expetatur, malique doctores fautores inertiæ apud Inferos ab iiſdem diſcipulis vapulent, quos nihil ſapere magna mercede docuerunt. In Sigonii ſententiam ab omnibus itum eſt.

APOL-

APOLLO TUAM FIDEM.

PROLUSIO V.

D. M. S.
Et
Æternæ Memoriæ
Dominici Molini Senatoris Veneti.

HOc unum *Apollinis infelicitati deerat, ut tu, Heros magne, deſertis rebus humanis ad ſuperos recederes, & ſi non tecum natas, at tecum interituras in Italia literas exitio tuo traheres. Tu mora fatorum: te ſtante ſtetit muſarum Regnum: ad te Apollo Magnus quondam & arcitenens poſt Cælo terriſque jactatus confugerat, & ſtrenuè fatali inertiæ obluctabatur. Quo nunc ſe vertat infelix quique in exitu tuo omnia mala conjunxit? Exilio aſſuetus deſeret avitum ſolum, ſedemque barbara in terra quæret? Hos funebres fortunæ ludos memoriæ tuæ ſacrare placuit, ſimulque ſecu-*

li livorem, ac maciem viventes inferias,

Et dignas funere Magni,

dare, quodque in terris moranti deſtinaram præſtare extincto. Quod enim attinuit Regibus, Regumque filiis Muſarum præſidem ſiſtere? Ab Regibus ille ſerviliter ſemper exceptus eſt, noſque noluimus ſub Apollinis ſchema pudorem mendicantem protrudere, ac per ejus inſortunia ignaviæ aſſentari. Servire nunquam didicimus, utique, poſtquam in hæc libertatis regna tuis auſpiciis inducti ſumus. Sis bonus ô felixque tuis. Tua Cœlo recepta mens miſerrimo faveat, conſiliorumque, & operum memoria regat, qui ſolus effeciſti, ne hic, ut olim Romæ, Apollinem vel Tortorem vel tortum haberemus, non ubique infelicem. Fremat livor non ſemper poſt fata quieſcens, plus ne tibi publica res an literaria debeat incertum eſt, utraque plurimum debet. Salve, æternumque Vale.

PRO-

PROLUSIO.

FOrtunæ ludus impotens, ac pervicax ut cetera rerum humanarum pro libidine temperat, ita literas, ac diſciplinas perpetuo exercet, & vexat, doctoſque homines adeo inſectatur & premit, ut laborum, & vigiliarum id unum pretium ferant, quòd inter acerbiſſimas contumelias extrema rerum egeſtate ſæpè ſpiritum effundant, omnibus certè riſum debeant, ac ludibrium. Quid ſeculo invidiam facere præſtat, & veteris recentiſque ætatis memoriam onerando doctorum calamitatem citare in luctum? Communis omnium conditio eſt, quicunque amant bonam mentem, ut eos divitiæ, & opes oderint. Hi ſordido miniſterio ægre famem propulſarunt; hos ſqualore obſitos ſordes exederunt; illi nocturnam puteis operam locarunt, quam interdiu nobilioribus ſapientiæ lymphis præſtarent. Quid in piſtrinum redactos loquar molamque verſantes, & quaſi cum fatorum malignitate dividerent diem fortunæ, noctem Muſis partiario impendentes? Quid, qui in ergaſtulo ſervile opus fecerunt? Quot ſine lare, & tecto ſub dio abnoctantes & tegetis vicem Cœlo opertos inopia extinxit?

xit? Quot humani generis conſpiratione oppreſſi ſunt, nec ſaltem miti obitu calamitatibus exempti? Hi gladios jugulis infecerunt: illi ingentibus animis exitum intercluſêre: hi non ſuffecêre lacerantibus: iſti, ne fame perirent, damnatum ſpiritum inedia eliſerunt: hos dira potio abſtulit: illi libertatem ab inciſis venis impetrarunt: quoſdam fluctus hauſêre: ceteri lucem peroſi infelices animas ab triſtiſſimo domicilio igne, ferro, & cruciatibus expulerunt.

Fatum, fatum literatorum eſt, quod literarum parens, ac Deus Apollo & expreſſit, & triſti exemplo tranſmiſit ad poſteros, Deus licet, neque ex minutis, ac capite cenſis, ingenio egregiè ad miſeriam natus, ad extremam egeſtatem redactus, & in omni ſuſcepto negotio infeliciſſimus. Ferunt enim ejus alumni ac clientes poëtæ poſtquam Æſculapius opaca barba parente ſuo venerabilior, quòd refractis mortis repagulis infernæ dominationis arcana ac parcarum decreta reſolvere auſus eſſet, fulmine vita dejectus eſt, orbitatis dolore amentem Apollinem, & parenti Iovi nequicquam ob iratū ultionis ſolatium in Cyclopas, qui tonanti fulmen paraverant vertiſſe, iiſque necatis Vulcani officinam feciſſe vacuam.

Ex

Excanduit enimvero Jupiter, & diu multumque dubitavit, an in Tartara ſiderum moderatorem abſtruderet. Sed Deorum precibus placatus ſatis habuit impoſita capitis diminutione in exilium pellere, ut non tam ſolum verteret, quam Cœlum, & depoſita divinitate inter homines doctæ poſteritatis infelicitatem auſpicaretur. Ita in terras deportatus eſt adhuc filium lugens Apollo, imbellis, profugus humanæ ac divinæ opis egentiſſimus. Quid ageret malis omnibus addictus, quæcumque mortalium ſortem conſequuntur? quo ſe verteret homo novus, &, qui licet uno obtutu totum Orbem luſtraret, nil niſi calamitates ſuas, & exilii miſerias contueretur? Nullam artem noverat, & licet Æſculapius id excogitaſſet, quo, quis facile animarum negotiatione una cum Libitina diteſceret, omen tamen, & malorum originem exhorreſcebat, jamque una litera pluſquam medicus erat. Nondum Themidis templum intraverat, in quo reſponſa redderet, quæ nec ipſe intelligeret, nondumque poſitis Romæ ædibus inter forenſia pecora cultus fuerat. Ex literis ſolam poëſim didicerat, id eſt, paupertatis & eſuritionum magiſtram. Quid expectamus? Regii pecoris magiſtro

ſtro mercedi operam addixit, & pecudum cuſtos, ac caprimulgus factus eſt.

Dic mihi Damata cujum pecus, an Melibœi?
Non, verum Aegonis, nuper mihi tradidit Aegon.
Infelix ô ſemper ovis pecus!

Sic ille armenta pavit, cujus vi genitali per decidua rerum ſemina natura parens alitur, & vegetatur. Sic gregibus ſeptus inceſſit, qui innumerabilibus comitatus ſideribus mortalibus, & immortalibus lucem tulerat. Sic pauperis tugurii culmine majeſtatem arctavit, cujus poteſtas, atque amplitudo univerſi domicilium implebat. Sic agreſti carmine ſilvas permulſit, qui cæleſtium orbium divinum melos ſolis Pythagoreis auditum temperaverat. Vos meliorem ſortem Phœbæi myſtæ expectabitis, cum Rex veſter vobis præiverit, quam de rebus communibus ſpem conciperetis. Paſtor Apollo fuit, bubulcus, bubſequa, & à Pythiis ad Nemea ſe contulit. Neque tamen illud crediderim tunc ob inopiam honores lauri vendere coactum, ſpectatoſque non ſemel ea tempeſtate arietes laureatos, & laureatos boves: nam Aſinorum privilegium ad hanc diem durare creditur. Nec tam illi hoc grave fuit, quam, quod œſtro percitum gregem, & plus

pluſquam civilia cornigeri populi bella ſpectare cogeretur. Cum ibi Tauros ad pugnam amore incenſos videret: hic grandes hircos, & annoſos ſapienti barba cum ipſo Platone certaturos, non pro uxoribus, ſed de lanâ propriâ, qua parte plurimum poſſunt, & ſunt miſere contendentes. Augur enim præſagiebat, quam fœda certamina alumnos ſuos manerent, qui pacatum muſarum regnum hoſtili rabie ſumptiſque de trivio ac lupanari maledictis eſſent inquietaturi. Illud etiam iniquo animo ferens, quod quoniam ſcripturiendi morbo plerique tangerentur Apollo Medicus, ac Pæan, idemque Alexicacus, & Apellens malam hanc ſanare porriginem non poſſet.

Illud certe moleſtiſſimum accidit, quòd, cum luporum ac prædonum vim à grege arcuiſſet, ab domeſticis cavere inſidiis non potuit Mercurii dolo mulctatus bobus, & arcu, quem unum ex tot opibus ſecum tulerat.

Titire coge pecus, tu poſt carecta latebas.

Et jam tum fore divinabat, ut hæc Spartana furtorum licentia liberrime exerceretur ab ſuis, ac Mercurii clientibus, tam callide tamen, ut ipſe Deus Index eludi poſſet. Id unum ſolatio fuiſſe credi par eſt, quod magnum illud arcanum

vel

vel oculis uſurparet, vel animo

Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice jam croceo mutabit vellera luto
Sponte ſua ſandix paſcentes veſtiet agnos.

Et quaſi nil aliud promittere poſſet Apollo hic Nomius id Laomedonti fuit, quod Admeto præſtiterat. Nam cum ipſe, ac Neptunus patruus diurnis quæſtibus paupertatem expellerent, Phrygiæ Rex annua mercede ſibi addixit terræ quaſſatorem, & regnatorem ſiderum. Et Neptunus quidem Troiæ urbem divina manu mœnivit.

Φοῖβε σὺ δ' εἰλίποδας ἕλικας βοῦς βουκολέεσκες
Ἴδης ἐν κνημοῖσι.

Phœbe tu autem erranti greſſu gradientes
& lunatis cornibus boves paſcebas
Idæ in jugis.

Sed ejuſdem erat, & ſervire ſuperbo Regi, & mercede fraudari. Ubi enim (ait magnus ille ſenex fatorum invidia cum ſuo Apolline certaturus)

μισθοῖος τέλος πολυγηθέες ὧραι
Ἐξέφερον, τότε νῶϊ βιήσατο μισθὸν ἅπαντα
Λαόμεδον ἔκπαγλος ἀπειλήσας δ' ἀπέπεμπε.

Mercedis diem gratiſſima hora
Attulerunt, tunc nos fraudavit mercede tota
Laomedon terribilis minatuſque dimiſit.

Qui viliſſima hæc & nequam mancipia

pia tantum non in ergaſtulum conjecit. Quid autem minatus eſt?

Σοί μὲν ὅγ' ἠπείλησε πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθε
Δήσειν, καὶ περάαν νήσων ἐπὶ τηλεδαπάων
Στεῦτο δέ οἱ ὅγ' ἀμφοτέρων ἀποκόψεμεν οὔατα χαλκῷ
Νῶϊ δὲ τ' ἄψορρα κίομεν κεκοτηότι θυμῷ.

Tibi ille minatus eſt pedes & manus deſuper
Et venditurum inſulis in extremis:
Affirmabat autem idem utrique ſe abſciſſurum aures ferro,
Nos autem retrogradi abibamus.

Ex hoc caſu diſcere omnes licet. Quippe ab ipſo ortu tot infortuniis vexatus eſt, quæ non alius, quam literarum parens perferre potuiſſet. Objectus calamitatibus, antequam calamitatum capax eſſet, interdicta luce in ipſo lucis ortu, & retruſus in parentis alvum, quum Iunonis furiis agitata Latona iratam Lucinam ferret, nec edere in lucem poſſet ipſius auctorem lucis. Quid cunabula loquar nuſquam certa, & per inſtabile elementum, fluitantia? Quaſi nulla tellus fixum ac ſtabile ſolum illi præbere vellet, cujus poſteritas incerto lare ac ſedibus eſſet vagatura. Quid objectam Pythoni infantiam loquar, & pœnè ſerpentis ingluvie abſumptum, cujus aſſeclas malus livor, & cum pedore tabes eſſet conſumptura?

Saltem

Saltem felices Hymeneos ſenſiſſet Deorum formoſiſſimus.

Primus amor Phæbi Daphne.

Reliqua noviſtis. Et licet verboſus amator fortunam ſuam, ac paſtoriam vitam diſſimulans caneret.

Non ego ſum paſtor, non hic armenta gregeſque
Horridus obſervo.

Fugaciſſimam puellam nactus non cervam pro Virgine, ſed laurum ſuccidaneam invenit. Plane ne ullius poſt illa amans ætatulæ magis, formæque, & ingenio, quam auro, & parti illi, in qua miranda potentia fati, in promerendis puellarum animis conſideret. Ne alterum hic Apollinis amorem loquar.

Flectit ab inviſo morientia lumina diſco
Oebalius, Phœbi culpa dolorque puer.

Ob quod facinus etiam nunc poëtarum natio non bene audire creditur. Et ideo exiſtimo Ægyptios Oro, qui & ſol creditus eſt, Scarabæum ſacraſſe.

Fœdior ejus calamitas in Coronide Nympha fuit, quam ut mitiorem Daphne ſenſit, ſic odium Daphnis prçoptaſſet. Nam nova nupta non contenta cœlitum pulcherrimo ipſi de more novo incremento tempora adauxit, ut inter flavam cæſariem & micantes radios ali-

quid promineret: credo ne Baccho, aut paſtorum Deo invideret. Non mediocri eorum levamento, quos ſtudiis intentos ne à rerum contemplatione intempeſtivè matresfamilias avertant, illis liberos adverſus libros ex conventitiis patribus regerunt.

Credo equidem nec vana fides genus eſſe
Deorum.

Magis mirum eſt levem hunc & uſitatum lapſum iniquo animo Phœbum tuliſſe, nam ex Capricorno ad Sagittarium revolutus probrum telis ultus eſt, ne poſteriori ævo aut exemplum deeſſet aut convicium.

Nam, quòd ad liberos attinet non ſatiata Æſculapii caſu fortuna novo funere ſerenos parentis vultus involuit, cujus ipſe inſtrumentum eſſe coactus eſt. Nam cum Phaëton & auriga, & incendiarius, quod

Sæpè etiam ſteriles incendere profuit agros.

ſupremam Orbis Haloſin accelerarет vita, & curru tonantis dextra dejectus eſt, quaſi fatale eſſet Apollinis liberis ſidere afflatis deflagrare. Redintegrato luctu ſtatuit orbus & cœlebs nihil liberorum tollere, & Juliis rogationibus obnunciare. Inde mulierum oſor factus eſt, ne rurſus aliquid in pœnam progigneret.

Sed

Sed triſtem hanc calamitatum ſcenam diſcutere videtur, quòd minorum luminum regnator eſt, Menotyrannus, Invictus, fons lucis, vitæ parens, & tempeſtatum moderator, & cetera, quæ vates excogitarunt, ut miſere cadens carmen ſuffulcirent. Atqui hoc ipſo infeliciſſimus eſt, vagus, & inquies, & inconſtans ſe quoque fugit, & inſequitur, ac veluti * *mola in piſtrino adſtitutus propellitur ad incurva ſpatia flexuoſi canalis, ut in orbe termini circumfluentis reciproco greſſu ſua recalcans veſtigia vagetur errore certo.* Cujus exemplo Phœbæi paraſiti *multivio circuitu intorquent molas ambage varia, nec die tantum, verum perpeti etiam nocte prorſus inſtabili machinarum vertigine lucubrant pervigilem farinam:* plures *circa præſepium capita demerſi contruncant moles palearum.* Sic ille & perdius, & pernox agitator utraſque Orbis metas inviſit, nec momento quidem temporis interjungere poteſt, &, quod eſt iniquiſſimum bonis, ac malis, imò etiam literarum hoſtibus lucet. Quód ſi tradita alteri lampade tantiſper ab aurigando ceſſat, non cum ceteris Diis accumbens † delectatur convivio æquali: ſed dum alii ſe nectare invitant, cithara crinitus Iopas inter

* *Apul. lib.* 9. † *Iliad.* 2. *Æn.* 1.

inter Muſas carmina dividit, nec aliud, quam ſuos lunæque labores in ſolatium canit.

Et tempus illi vacare creditis, quo conſulentibus reſponſa det & per tot locis diſperſa Oracula Ius humano generi, ut fieri ſolet, non tam dicat, quam involvat, & implicet? Præſertim cum poëticè ſæpius, quam humanè reſpondere cogatur: idque ex tempore, ut ſuas quoque leges, ac metra tranſcendat. Et quod triſtiſſimum eſt, tripodes & cortinas incolit, ac furentium fœminarum anhela pectora non per os implere adigitur, * ſed quò res occultior ſit utero recuſſo infernos locos alternis ire, ac redire, miſeraſque antiſtitas ſecum luctantes inequitare, ac premere, totoque antro bacchantes agere, & alieno pectore inſanire. At hercules illa, quam ſunt indigna, quod inter feras ac monſtra in Cœlum relata perpetuum iter habet, & quocumque oculos vertit non tam familiares ſibi quondam Arietes, & Tauros contuetur, quam Leonibus, & Urſis, Nepis, & Cancris, Draconibus & Sagittariis velut in arena objectum ſe videt, ut jam vel armenta loquatur, dum per metum, & peſtes Orbem remetitur. Et indi-

* *Io. Chryſoſt. homil. 29. in ep. 1. ad Cor.*

indignabuntur poſthac ejus clientes ſibi belluarum contubernium obveniſſe, ut hinc feros rictus, & pallentes genas, hinc cornua, & acutas aures aſpiciant, ſi literarum parens humi inter pecudes, inter monſtra, & feras vitam in Cœlo degit?

Illud haud minimum malorum exiſtimandum eſt, quod omnia videre, & audire in pœnam compellitur. Sic profugas toto orbe literas, auliſque & tribunalibus pulſas muſas, quæſtum corpore tolerantes, miſeroſque poëtas Arcadicis heris liram perſonantes ſiccis oculis contuetur. Claudere ſaltem lumina, atque aures poſſet, nec porrecto jugulo amaras hiſtorias audire cogeretur. Semel aut iterum olim ad Thebanas epulas retro egit currum, involuitque tenebris diem: obduxit nunc ſtomacho callum, cepitque hoc illi familiare ſpectaculum eſſe, pro quo perpetuis olim tenebris Orbem damnaſſet. Etiam olentia ineptorum poëtarum carmina legere, & audire cogitur, ſemperque auditor, & vexatus toties poëta licet reponere non poteſt: videtque genus hoc hominum, quoties à ſe exire cœpit araneantibus faucibus ſexcentos verſus ſingultire, nec ullis calamitatibus compelli poſſe ad bonam mentem, clamatque identidem

Diſce

Diſce puer virtutem ex me variosque labores;

Fortunam ex aliis.

Et Delium in ſublimi Orbis ſpecula conſtitutum vates accuſabunt ulterius, quod nimis curioſis luminibus cuncta perluſtret, & arcana domorum, amorisque furta improbe rimetur! Sic Martem alieni thori ſubſeſſorem tardipedi Deo indicaſſe fertur, ejusque beneficio jucundum ſpectaculum immortalibus eſſe objectum. Neque tamen id Pappiæ legis amore, à qua ſe nunquam infibulari vates paſſi ſunt. Nam poſtquam duo illa ſidera conjuncta ſunt in amicitia & lecto, magnisq; ſub divo teſtibus res comprobata eſt, ingenue Marti Apollo invidet, nec ſatis hanc contumeliam concoquere poteſt, quod in Veneris matrimonio intonſus ipſe, & Acerſe comes diſtorto, & claudo poſthabitus eſſet æterna caminorum fuligine obſito, cum ſibi insuper carmina eſſent, quibus tantopere puellarum animi capiuntur, niſi aliquæ nummos præferunt, quibus carmina, & ipſos poëtas emercentur.

Hæc illi merito contigiſſe exiſtimant, quod literas vel didicerit, vel invenerit, ut ejus exemplo adoleſcentes, non tam literarum, quam infelicitatis rudimenta

ponerent. Sævos ſuperos, infeſtos æquè mortales Apollo expertus eſt. Audet eum Marſyas in cantus certamen provocare. Auritus judex conſtituitur, qui ne expectato quidem, ut deliberaſſe videretur, Marſyæ litem adjudicat.

Auriculas Aſini quis non habet?

Ex eo tempore Midæ de viris doctis judicium ferunt, & pro ſua, hoc eſt, pro majori parte pronunciant, nec à fortunæ judicio deſciſcunt, quæ fatali præjudicio non elephanti, ſed tardiſſimæ pecudis corium laturis ſententiam circumpoſuit, atque egregios viros inter ſontes numerat, imò inter damnatos.

Nec alio furiarum genere inquietantur, qui ignaviam, & perfidiam huic Deo objectant, hancque parenti ſuo gratiam vates ingratiſſimi referunt. Quaſi non ſatis ærumnarum eſſet, niſi ab alumnis, ac poſteris impiè lacerarerur. Sic Iliacis temporibus cum imbelles Divi, Deæque tenerrimæ prælio miſcerentur, & manus contra conſererent ſolum Apollinem fermè pugna abſtitiſſe commenti ſunt, & quoties certamine opus eſſet, aut Ægida concutere, aut averſos homines inhoneſto vulnere configere, aut certè eminus jaculis rem gerere, & mollis adulteri tela in Æacidæ corpus dirigere. Sed quid attinet

tinet hiſce diutius immorari? Quam tenues illi ſemper res fuerint, quamque fractæ ac conciſæ, ſatis declarant, quæ hæredibus ſuis mandavit, ſacraque habere, & colere juſſit. Auguſtam illam Muſarum ſedem, ac bicipitem collem petite, illico infelicitatis veſtræ triſtia monumenta in oculos incurrent. Quid enim aliud quam antra, & rupes invenietis, cautesque ac dumeta, & areſcentes morientium herbarum fibras? Quis inde alimenta expediet, & gratuita ventri ſupplementa dabit? Arbores ſacræ, & coronaturæ, quam doctorum, tam ebrioſorum tempora lauri, & ederæ quales eruditorum ſpes infrugiferæ ſunt, & virides ſemperque parturientes nihil pariunt. Mordete laurum vaticinaturi, baccas paſcite, niſi ſatis vobis fauces inamareſcunt, ego capillum promittam, & ſine lauro hariolus vobis fama pereundum eſſe conjicio.

Frange miſer calamos, vigilataque prælia dele,
Qui facis in parva ſublimia carmina cella.

Triſtes ſemper lymphæ, quæ lymphatos agunt poëtas, ipſæ Deæ chorusque Muſarum ſterilis eſt, ne liberos in calamitate procreent, & ne docti lactare ſpes ſuas poſſint, quoties Dearum infæcunditatem

meminerint. Quamquam haud inſcius ſum, quaſdam clanculum aliquid genuiſſe, & ſine matrimonio puerperas factas, Orpheumque more mortalium patris incertum ſolam matrem indicare potuiſſe. De qua tamen ipſi veteres nimis anxie controverſiam movêre. Cum alii Calliopen, alii Polyhimniam, alii Menippem, aut Themiadem dixerint: ſive quod nulla harum, tam infelicem filium noſſe vellet, ſive ut intelligeremus omnes Muſas, eodem modo Virgines eſſe. Prorſus illi malo aſtro natus eſt, & ab ſola infelicitate Apollinis filius creditus. Quem Threicia fretum cithara receptum ab ſe Orcus amiſit, quod non minora Inferis ſupplicia eſſent, quibus eruditi conflictarentur, Ut poſtremo inter inſanientium manus laceratus poſteros moneret, ne ſexus ſequioris injuriam nobiliore rependerent.

Iam citharæ & plectra lyræque & barbita, cantusque aridiſſimi vox ſunt, præterea nihil. Ergo quoties famelica hominum natio Parnaſum cogitaveritis famem illic habitare credite, & quoties infæcundas rupes, ſteriles Camænas, triſtes aquas, inanes tibias reputaritis toties eandem vobis, ac paraſitis obveniſſe ſortem exiſtimate. Nam, aut vobis aureum pecus laudandum eſſe, aut triſtiſſimo domicæ-

micænio laborandum, ſemperq; eſuriendum. Hoc vobis ſupremis tabulis Apollo pater legavit.

Prater aquas Helicon, & ſerta lyrasque Dearum
Nil habet & magnum ſed per inane ſophos.

Quid ergo omnia fato imputanda ſunt? Certa rerum diſpenſatione credere fas eſt, bonæ mentis comitem eſſe inopiam, ut aliquid ſingulis datum ſit, & alios quidem fortuna divitiis, alios præſtantiori munere, & excelſo animo cumulaverit. Nec aliud literatorum fatum eſt, quàm mortalium livor, & inſcitia, ac deformis ignavia. Nam poſtquam prona animantia ſegni otio, vel turpi negotio meliores dies continuarunt, ac diſtenti crapula ætatem luſtris labefecerunt, quod reliquum eſt literarum accuſatores doctis invident, qui nullam voluptatis poteſtatem corpori ſuo fecerunt, quosque juvit non vino & ſcortis, ſed libris impalleſcere. Vident ſibi in hominum conventu à doctis ſilentium imponi, quod ſi pati nequeant riſum debere omnibus, nec totis divitiis inſcitiæ infamiam redimere poſſe. Eniti ad altiora non poſſe ſciunt, quibus explicandæ virtutis inſtrumenta deſunt. Magnum ſpi-

ritum fortunæ anguſtiis premi, atque elidi, nullos ſine opibus in ſummo ſtetiſſe, ac magna illa literarum miracula Auguſti, atque Etruſci equitis liberalitati deberi. Ita aut ærumnis omnibus deformant, aut mitiſſimi malunt Copriç, quam erudito aliquid largiri, canesque & ſcurras alere, quam doctos. Tanto expedit aliquid aliud potius, quam ingenia fricare.

Hæc videt, qui cuncta videt, nec indignatur ob ſacerdotes ſuos non ab Rege, ſed à Therſite, & viliſſimis mancipiis ludibrio habitos: non arcum expedit, non ſagittis Canes, Mulosque & Aſinos tollit, ſive ne Orbem exhauriat, ſive quod non iniquum exiſtimat alumnos ſuos tolerare, quæ ipſe Invictus pertulerit omni infortunio vexatus, & ſemper Apollo infelix.

QUO

QUO PRETIO VIRI Principes literas ac literatos habuerint.

PROLUSIO VI.

EX quo longa & pertinax valetudo me in mortem fractum pœnè ad extrema deduxit, remediaque ipſo morbo graviora, corpus ſudatoriis exhauſtum, & Infernis veluti caminis excoctum per mille cruciatus vexarunt, nativo humore ferè conſumpto, pumice aridior factus raro oculis ſomnum uſurpare, creſcentes noctes mœſta vigilantia exigere, & vel feſſos artus toto grabato jactare, vel vagis ambulationibus morantes tenebras fallere, denique Achillis amicum lugentis noctem non ſemel pati, & modo pronus, modo ſupinus cubare in dextrum, aut in ſiniſtrum latus verti, mortiq; proximus ſomnum mortis, ſive fratrem ſive imaginem irritis votis expetere. Quo magis mirum eſt ante paucos dies inſperanti, mihi ſomnium oblatum longum, pertinax, multiforme, & quale obverſari iis ſolet, qui largiori potu curas obruerunt.

Videbar enim mihi ſine Mercurio, &

ſine Pegaſo quidem per tot terrarum maris que tractus in Heliconis vertice ſiſti, atque in ipſum Apollinis templum recta induci, ubi Muſarum parens, ſiderumq; ac temporum moderator non ex imo ſpecu per tripodas, & cortinas loquaces, perque Pythiæ miniſterium ſortium ambages fundit, ſed præſens reſponſa deliberantibus reddit. Itaque templum precantum vocibus perſtrapebat. Nec pauci erant, qui vota precesque nuncupabant. Et ſicut non eadem vox, idemque ſonus precantium fuit, ita diverſa vota apertè concipiebantur. Et hic quidem taurum tibi pulcher Apollo vovebat, ſi ad eloquentiam perveniſſet, ille ſi philoſophiæ fontem attigiſſet, hic ſi ſapientiæ conſultiſſimam viam calcaſſet. Erat qui medicæ artis imperioſiſſimæ vim ab Deo medico expoſceret, & ne quid votis deeſſet ſiderum peritiam, arcana fatorum, naturæque parentis regnum, atque abditam majeſtatem plurimi poſtulabant.

Ad eas voces Apollo veluti obſurduiſſet, ſedebat cogitabundus alienato ab ſenſibus animo tamquam lapideus ſtaret, aut qualem eum poëtæ prodiderunt geminato natorum funere dolere amentē, aut amatæ inter manus evaneſcentis fuga attonitum. Interim Menippus, atque

alii

alii ex eadem ſectâ Cynica licentia obſtrepebant precantibus, ingerebant convicia, & tantum non elatos baculos capitibus impingebant. Ipſe Menippus truci atq; elata voce. Quid malum, aiebat ignava capita, otio, vitiisque marcida laborum ac vigiliarum præmia impudenter expoſcitis? Quid templum mapalia facitis? Quid Phœbi aures minus audientes nequicquam fatigatis? Quid à Deo petitis, quod à vobis ipſis impetrare poteſtis? Putatis ſtolidi muliebribus ſuppliciis parari poſſe ſapientiam? aut eam Cœlo in mentes ignavas illapſuram, vosque inſinuatis pectinatim manibus repente doctos evaſuros? Abiêre illa tempora, aut numquam fuêre, quibus Aſcræus ſenex per ſomnum poëta factus eſt, & à muſis edoctus, aut quibus alter latinus ſenex plane delirans tantum non pavo factus eſt, & Muſarum pullus. Vos omnem ſapientiam perdidiſtis, nam poſtquam vino luſtrisque demerſi meliores annos prodegiſtis, ludoq; ac ſomno tamquam peregrinantes traduxiſtis, ævum unâ precula poſſe vos in Heliconis faſtigium eniti putatis. Cui inſaniæ curandæ non pauca hellebori jugera ſatis eſſe ſcio. At veſtri proavi, qui literarum gloria ſibi æternum nomen parave-

verunt Herculeo labore, atq; incredibili contentione in hac paleſtra deſudarunt. Vos lenta ſagina diſtenti, oculis ſomno marcentibus, aleæ, ac choreis innutriti, generationis dedecora invalidæ ſperare ſapientiam audetis? Quin tu Apollo pater arcum expedis, canesque ac jumenta, & ſi quid his deterius eſt, protinus conficis?

Omnibus, ut non iniqua, ita acerba nimis, ac pœnè rabioſa Cynici declamatio viſa eſt. Quare clamore omnium, ac minis è templo ejectus eſt. Non deerant tamen, qui ſedato vultu, ac miti Oratione per templum obambulantes ad virtutem, & laboris contemptum juniores accenderent, exemplaque majorum referrent, quibus ſapientiæ, ac literarum decus ſolo vigiliarum, ac ſudoris pretio ſtetiſſent. Inter quos fuiſſe memini ſenem aſpectu venerando, fuſa in pectus canitie, qui ad circumfuſos, ita ferme loquutus eſt. Impudens, atque inurbana canis illius oratio merito viſa eſt, ſed quoties veterum induſtria, durosque labores in literarum ſtudiis mente revolvo, ſeculi hujus languoris, atq; ignaviæ me tædet, pigetque. Neque ignobilia capita percenſere libet, eosque quos improba paupéries impulit, ut literas ſectarentur, ſed viros

ros Principes orbem terrarum imperio complexos, in ſumma fortuna pertinaciter, ac pœnè dixerim improbè ſtudiis addictos.

Alexander Macedo ille Ariſtotelis auditor, atque alumnus, qui plures victorias, quam annos numeravit, cujus immenſæ mentis capacitati unus Orbis non ſuffecit, in tanta expeditionum, ac triumphorum mole non ſolum reſpexit literas & coluit; nec Homerum modo ingeniorum principem mortalium princeps lectitavit aſſidue, ac pulvino ſubjecit, ſed noctes quieti ſubduxit, quando diem bella, ac victoriæ ſibi vindicabant, ac veluti adverſus ſomnum quoque bellum gereret præliis, atque itineribus fatigatus, ne feſſis membris ſopor ſubreperet, ænea concha ſuppoſita, brachio extra cubile protento pilam tenebat argenteam, ut cum nervorum rigorem ſopor laxaſſet infuſus (verba magni ſcriptoris ſunt) geſtaminis lapſi tinnitus quietem abrumperet. Dignus Hercule, cui non Chærilus, ſed ipſe Homerus rerum geſtarum præco contingeret.

Nec magnitudine animi, nec rerum geſtarum gloria Alexandro inferior Cæſar Dictator, multis vero partibus ſuperior, ſicut Ciceroni eloquentiæ palmam

dubiam reddidit ita perpetuis adverſus ferociſſimas gentes, mox contra ipſum gentium victorem populum bellis, non modo ſtudia non intermiſit, ſed in ipſo bellorum ardore libros confecit, ut, qui ejus res geſtas animo complectatur, vix fieri potuiſſe credat, ut aliquid unquam legerit, ne dum ſcriptitarit, qui vero ejus commentarios viderit ſibi facile perſuadeat, illum bellorum expertem, nihil aliud tota vita quam literas tractaſſe. Sed magna facere, & ſcribere Cæſareum eſt.

Cæſaris fortaſſe filius, certe interfector Brutus tanto diſcendi ardore tenebatur, ut ipſa nocte, quæ Pharſalicam pugnam interceſſit, in qua de Orbis Imperio inter ſocerum, generumque diſceptatum eſt, quum ingens præterea æſtus eſſet, atque alii feſſos artus dura humo reclinarent, alii arma ac tela proximo certamini expedirent, plurimi vicinæ mortis horrore circumfunderentur, ille ſine tabernaculo, ſine ſtrato, metu vacuus Polybii epitomen confecit. Idemque nocte altera, quæ anteceſſit Philippenſe prælium, in quo ille fatis victus eſt, & cum illo Romana libertas concidit, Platonis librum de immortalitate animæ ſecurus veluti per otium perlegit, nec futuri certaminis, in quo ſumma rerum actum eſt,

nec

nec irruentis ſpectri horrendo viſu à ſolitis ſtudiis deteritus eſt.

Julianus Cæſar, ſi odium in religionem noſtram dematur, quod in illo excuſari non poteſt, nemini Imperatorum ſecundus, & cum pauciſſimis comparandus, feruente bello adverſus Germanos gentem invictam, quum dies præliis impenderet, noctes, teſte graviſſimo ſcriptore, ad officia dividebat tripertita quietis, publicæ rei, & Muſarum, Alexandro Magno fortius, nulla enim pila aut ænea concha, quoties voluit vigilavit, & nocte dimidiata ſemper exurgens, non è plumis, vel ſtragulis, ſed ex tapete, & ſyſira ad procudendum ingenium vertebatur.

Hæc Cæſares Regesque factitarunt in altiſſimo rerum humanarum faſtigio collocati, tot curis diſtricti, tanta mole negotiorum preſſi, ut neceſſe habuerint tempora, quæ literis impenderent, ſuffurari, & diem regimini terrarum, noctis partem exiguam curando corpori, reliquum ſtudiis addicere, ſola eorum dulcedine allecti. Nos homunciones umbratici, turba inops, & obſcura, magna pars expediendis alimentis, & propulſandæ inopiæ literas ſectati, non totas modo noctes brumales ſeptem ſtragulis invo-

involuti, plumiſque conſepulti ſtertimus, Sed integros dies deploranda, atque irreparabili jactura, nihil agendo, ne dicam male agendo, vel ſaltem aliud agendo prodigimus. Quid dies? totas lunas eadem ſocordia tranſmittimus, integros annos pari incuria, ac languore continuamus.

Non ſum ego tam impudens, ac væcors, ut intempeſtivo magiſterio Principes, Regesque veluti in ordinem cogam, atque in ſcholas ablegem; iisque leges dicam, quorum nutu, atque arbitrio Orbis temperatur. Invidioſa res eſt, & periculoſa pædagogum Principum profiteri. Non ſolum principali majeſtate, ſed & mediocris fortunæ conditione inferius habetur, ſtudiis operam dare. Quanquam & aliqui hoc ſeculo reperiuntur, qui in ſumma licentia, ſummaque fortuna amant bonam mentem: & ſi alibi terrarum, certe apud Venetos optimarũ artium ſtudia vigent florentque, nec alio in loco ſe Muſæ ambitioſius circumſpiciunt, quando non æternis modo libertatis auſpiciis propagantur, ſed in ipſum publicæ rei Auguſtale inductæ, ingens rebus ornamentum dant, atq; accipiunt. Sed non id ubique fatum, & bene cum literis atque omni ſapientia ageretur, ſi

Prin-

Principes, ac Dynaſtæ ſimpliciter ſtudia aſpernarentur. Sed aliqui etiam oderunt, & tamquam rem dominationi noxiam abominantur. Quos veluti pluvias ac tempeſtates, & reliqua anni incommoda perferre debemus.

Contra aliqui literarum rudes, quas ne à limine quidem ſalutarunt, docti tamen atque eruditi haberi, credique volunt, & ut fortuna, atq; opibus, ita ſcientia cæteros præcellere. Qui ſicut literis in ſpeciem favere videntur, ita viros doctos non rectis oculis aſpiciunt, quaſi ſibi tacite inſcitiam exprobrantes. Itaq; cum iis verſari ambiguum, anceps & periculoſæ plenum opus aleæ. Nam aut fœda ſervitute ignaviæ aſſentandum eſt, aut intempeſtiva libertate Regum odia irritanda, quæ in longum jaci, & recondita poſt multum promi Homerus vates dixit. Nam ſi inter privatos, qui velit ingenio cedere, rarus eſt: quid cum Reges ac dominos vana doctrinæ perſuaſio inflaverit, putas eos plebeio homini, ſibique ſubjecto æquo animo ceſſuros.

Sed eſt aliquid, quod ille aiebat in humanis conſiliis, licetque inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium pergere iter ambitione, & periculis vacuum. Primum omnium ſumma ope nitendum

tendum eſt, ut cum iis, quos nobis fortuna impoſuit in eum modum nos geramus, quem Ariſtoteles Calliſtheni ad Alexandrum ituro præſcripſit, ut rariſſime & jucundiſſimè, cum eo homine loqueretur, qui jus vitæ, ac necis in acie linguę portaret. Aut nunquam, aut raro ſociandi ſermones, iique molliſſimi, & ex veteri verbo ſericæ texturæ ſimillimi. Quod ſi neceſſe ſit de ſtudiis, ac diſciplinis diſſerere tale temperamentum adhibendum eſt, ut obſequi magis quam diſſentire videamur.

Itaque impudenter, ne dicam ſtultè fęciſſe, videtur Philoxenus ille, qui Dionyſio Tyranno Tragædias recitante, quum vultu geſtuque ſibi eas diſplicere oſtendiſſet, juſſu ejus in latomias abductus eſt, unde precibus amicorum eductus, quum alias idem recitando ingenii famam captaret, ſurrexit Philoxenus, interrogatusque quo, iret in latomias, inquit, quarum cruciatus inepta Oratione leviores exiſtimabat. Quid ſi eum recitator tragico, ſed non iniquo exemplo in crucem egiſſet? Procerum aures quoties eas adulatorum turba circumſtetit, verum audire inſuetæ ad liberiorem paulo vocem, ne dicam ad contumacem facile excandeſcunt.

Fuere

Fuere quidem aliquando Principes, ac Tyranni, qui diſſentientium, ac jurgantium immodicam libertatem patienter, ac civili animo tulerunt. Dionyſius junior cum Polyxeno Dialectico diſputabat, Cumque ille parum urbane illud reperet ego te convinco; Tu, inquit Tyrannus, verbis me convincis, at ego te factis, nam relictis rebus tuis me, & mea ſequeris. Ita Pomponius Marcellus, quem Latini ſermonis exactorem moleſtiſſimum Tranquillus appellat, quum in Oratione Tiberii Cæſaris verbum, ut minus Latinum reprehendiſſet, affirmante Atteio Capitone eſſe illud Latinum, & ſi non eſſet Cæſaris auctoritate futurum. Certe jam inde inquit Marcellus, mentitur Capito, Tu enim Cæſar civitatem dare hominibus potes, verbis non potes. Idque illi impune fuit. At non impune tulit noſtra memoria ſenex doctiſſimus, & cum veteribus poëtis comparandus, qui in carmine Principis ſacrorum Luculens verbum, ut barbarum adnotavit, cui ob hoc ea pœna dicta eſt, ut cum ſua latinitate, ſimul ac paupertate conſeneſceret.

Maxime memorabile eſt civilis animi exemplum in Antonino Pio, quo major hominis unius contumacia, ne dicam impu-

impudentia fuit. Pius vivo adhuc Adriano Smyrnam venit, ubi Polæmon ſophiſta lautiſſimas, & omnium ornatiſſimas ædes incolebat, in quas, cum ille abeſſet, Cæſar divertit. Polæmon intempeſta nocte magno comitatu domum redit, ubi cum ædes occupatas offendiſſet, magnis clamoribus, & invidioſa vociferatione quiritare cæpit, ſibi vim fieri, ac propriis ædibus excludi, coëgitque Cæſarem media nocte in aliud hoſpitium immigrare. Hoc illi non impune modo fuit, ſed ab Cæſarũ optimo magnis honoribus, atq; opibus ditatus eſt, qui ſatis habuit hoſpitis inurbanitatem molli joco perſtringere. Nam quum apud eum hiſtrio quereretur, quod à Polæmone ludorum initio ſcena ejectus eſſet, interrogavit Antoninus, quando nam id accidiſſet, reſpondente illo ſub meridiem. At ego, inquit, ſub mediam noctem domo ejectus ſum, neque ipſum accuſavi. Prudentius Phavorinus, cui cum Adriano literatiſſimo Principum ſæpè de literis diſceptatis intercedebat. Nam aliquando reprehenſus ab auditoribus, quòd illi ceſſiſſet ſuper verbo, quod tamen latinum eſſet, ſalſe reſpondit. Non putatis vos eum me eſſe doctiorem, qui xx. legionibus imperat? Is Hermaphroditus natus erat, utriusque

ſexus

ſexus compos, mox eunuchus factus in rebus amatoriis, adeo callidus, ut adulterii accuſatus ſit à viro Conſulari, & quũ cauſam dixiſſet apud Adrianum abſolutus eſt. Quare hæc tria de ſe, ut maxime memoranda prædicabat. Quod Gallus Græcè loqueretur, quod Eunuchus adulterii cauſam egiſſet, quod cum Imperatore Adriano contenderet, & viveret. Intelligebat enim quam eſſet periculoſum cum Principibus diſputare, qui gladio controverſiam omnem decidere poſſunt.

Quid olim Cæſares, Regesque ac fortunæ auguſtioris nomina gentibus adorata in literarum ſtudiis præſtiterint, & quomodo ſe adverſus viros doctos geſſerint, ſatis dictum eſt. Placet nunc extremam orationem flectere, & ad noſtræ ſortis mortales deſcendere, unumque aut alterum laboris, induſtriæ, & indefeſſæ contentionis exemplum grata recordatione revocare. Archimedes victoris Marcelli Romanique exercitus terror, & reſipiſcentis adverſus Quirites fortunæ, idemque fati Siracuſanos prementis mora, ut cetera mittam viri illius miracula, tanta animi contentione incubuiſſe ſtudiis dicitur, ut veluti alienato à ſenſibus animo non cibum caperet, non reliquas

naturæ

naturæ neceſſitates reſpiceret, & ad curandum corpus, cibumque capiendum vi cogendus eſſet. Itaque cum hora balneorum inſtaret à domeſticis per manus ſublatus deferebatur ad lavacrum, totusque in contemplatione defixus, non modo, quid fieret advertebat, ſed cũ de more totum corpus oleo perfunderetur in uncto corpore, figuras mathematicas digito delinebat. Hic nimirum ille eſt, qui captis tandem Syracuſis meruit, ut iratus licet victor hominis divina virtute captus ediceret, ut capiti ipſius parceretur. At hic dum animo & oculis in terram defixis formas deſcribit in pulvere, non ſtrepitum captæ Urbis, ac diſcurrentium, cunctaque ferro, ac flammis miſcentium militum, non clamorem civiũ, non recentium tectorum fragorem ſenſit, & militi qui prædandi gratia domum irruperat, ſtrictoque ſuper caput gladio, quis nam eſſet interrogabat propter nimiam cupiditatem inveſtigandi, quod cupiebat, nomen ſuum indicare non potuit, ſed protracto manibus pulvere noli, inquit, hunc circulum deſtruere, ac proinde quaſi negligens Imperii victoris obtruncatus ſanguine ſuo artis, ſuæ lineamenta confudit.

Plinii ſecundi incredibile ſtudium ſum-

ſummamque vigilantiam deſcribit ejus ſororis filius Plinius Cæcilius. Nam quū plurima opera ejus recenſuiſſet, quæ omnia præter divinam illam Naturæ Hiſtoriam peſſimo publico perierunt, ſubjicit mirum eſſe tot volumina, ab homine occupato abſoluta; Sed mirum magis, cum aliquando cauſas actitaverit, deceſſerit anno ſexto & quinquageſimo, medium tempus diſtentum, impeditumque egerit, quà officiiis maximis, quà principum amicitia. Lucubrati ſolitum hieme ab hora noctis ſeptima, vel cum tardiſſime octava, ſæpe etiam ſexta, & reliqua, quæ ibi fusè perſequitur. Ipſe autem in præfatione operis maximi fatetur, ſe occupatum eſſe officiis, ſucciſivisque temporibus ſcribere ſolitum, id eſt nocturnis. Diem publicis Cæſarum negotiis impendere ſolitum, cum ſomno valetudinem computare, quod ſcilicet dum noctu ſcriberet, pluribus horis viveret, quod vita vigilia ſit.

Satis ſuperque exemplorum ex tota vetuſtate eſſet, niſi duo recentis memoriæ ingererent ſe ſe, ipſamque antiquitatem provocarent. Budæum enim maximum Galliæ & literarum decus, ferunt duodecim ferme horas quotidie ſtudere ſolitum, die autem nuptiarum quatuor

tanntm

tantum horas literis impendiſſe. Vivit adhuc, vivatque diu bono publico Vir in omni literarum genere Eminentiſſimus, ſed in ſacrarum interpretatione ſine æmulo natus Gaſpar Scioppius, nec Urbem modo Antenoris, ſed ſeculum illuſtrat, cujus incredibile ſtudium, atq; inauditam animi contentionẽ vix credunt, qui oculis uſurpant. Nam ab ineunte ætate, ita totus literis affixus fuit, ut ſexto decimo anno libros evulgarit, quos ſenes admirarentur, & licet Principum amicitia, magnisque legationibus, atque officiis diſtrictus fuerit, totos tamen dies, magnam noctium partem perpetuo literis impendit, jamque grandis natu nihil de contentione remittit, ſed dies noctibus jungens per decennium, atq; eo amplius vix cubiculo, ne dicam domo pedem extulit, totusque divinarum literarum plurimis editis, innumeris edendis operibus, non indefeſſi modo animi ac corporis, ſed veræ ſapientiæ ac felicitatis unicum exemplar habetur. Quippe omnibus vitæ blandimentis abruptis, nullius rei appetens, ſibiq; jam mortuus, vivens poſteritati, cujus negotium agit, quod mirum eſt inter tot labores, ac vigilias viridi ſenecta fruens, vegetis membris ſenſibusque, memoria adeo vigente,

ut,

ut, quod ille de Juliano aiebat, integrum ejus dolium hauſiſſe videatur. Verè philoſophus, verè beatus, quiq; ſolus exemplo ſuo ſatis eſſe poſſit, ad incuriam ſeculi atque ignaviam profligandam, ab iis maxime, apud quos degit, ſi quemadmodum vitiorum, ita virtutis ac ſedulitatis certamen eſſet.

Hic ſenex conticuit. Tum Apollo veluti veterno excitatus, auream quatiens Cæſariem, quum interim moverentur liminaque laurusque Dei, hæc pauca fatus eſt. Profunda ſuper vos oblivio veniet, pauca ingenia caput exerent: bonæ literæ, ac latinæ orationis decus ad barbaros exulatum ibunt. Earum vicem difficiles nugæ, ac ſtultus labor ineptiarum, ſomniorumque interpretamenta occupabunt: donec Veneta majeſtas, maximo & periculoſiſſimo bello inaudita virtute defuncta, cultiores diſciplinas, cum ipſa pace reducat, latiumque Latio redonet. Extremam vocis partem concuſſi montis fragor, cortinæ mugitus, ac tonitrua excepêre, ego ſomno ac pœnè grabato excuſſus ſum.

LITE-

LITERATORUM FUNUS.

PROLUSIO VII.

QUod olim in Tragediis fato functorum umbræ ab Inferis evocatę, non ſine caveæ trepidantis terrore pronunciabant, id hodie mihi jus fasque ſit uſurpare:

Adſum, atque advenio ex Acherunte vix via, alta atque ardua
Per cavernas ſaxis ſtructas aſperis pendentibus
Maximis Vbi rigida conſtat craſſa caligo Inferum.

Nam cum ex diutino languore, qui me patrios penates reviſentem deprehenderat, nondum plane recreatus his terris redditus, ingentibus præterea curis obrutus invitus quidem, ſed trahentibus fatis elapſa proximè æſtate Venetias adpuliſſem, vix cymba pedem extuleram, quum me dira febris invaſit, nec diu morata extremis vitæ metis moribundum adſtituit. Jacebam exigua in ſpe animam trahens, opinione omnium depoſitus, ac deploratus, & ut diri nuntii mortalium livore pronis auribus accipiuntur, hîc mihi

mihi tamquam mortuo cauebantur Inferiæ, fidiſſimi amicorum mærebant, quidam etiam non occulte lætabantur, ii præſertim, qui auguſtum hunc locum præcipiti ſpe devoraverant, quæque non obliqua malignitas eſt, me viventium numero exemptum eſſe ſponſione contendere parati erant: nec deërant, qui ſe, dum mortalitatis reliquiæ tumulo mandarentur, interfuiſſe prædicarent.

Itaque domi meæ tamquam patre familias peregre extincto, ſi non luctus, cujus tenera ætas eo miſerabilior nondum capax erat, at orbitatis, ac conſternationis plena erant omnia: rapiebatur res familiaris, quæ veluti caduca publicum ſpectabat, opeſque puſillæ, quantas ſterilium literarum cultor minime avarus comparare potuit, inter vicinos ſpargebantur, qui in funere meo novendiales has cænas cænitabant, credo ut hac profuſa largitione ſanctius defuncti manes procurarentur. Seriæ, dolia, tamquam die natali relinebantur, vinoque ſi non pavimenta, at convivarum pectora natabant, inopiſque familiæ extrema alimenta turpis vicinia ructabat. Atque in hunc modum vivus videnſque funditus perieram, iſque non mihi, ſed bonis

meis leſſus, hæ neniæ, hæc mortualia fiebant.

Hic rerum domeſticarum ſtatus erat, cum ego Venetiis, cum morte luctarer, mihique ipſi ſuperſtes, nihilque minus cogitarem, quam, ut in ipſo ætatis flore vitales auras linquerem, atque hinc in communem locum commigrarem. Scilicet vi morbi oppreſſis viribus ejus magnitudinem non ſentiebam, nulluſque medentium, aut amicorum mihi ſupremam horam denuntiare audebat, quaſi non cum viro Stoicam profeſſo, ſed cum puero, aut muliercula res ageretur. Donec caſu prorſus mirabili, & calamitatem meam intellexi, & me mortuum eſſe credidi.

Nam cum vigilantibus curis, æſtuque præcordia urente, diu ſomnum oculis non uſurpaſſem, ambiguo Deorum beneficio exiguum ſoporis guſtum libavi, viſuſque eſt per feneſtras manifeſto lumine intrare Mercurius, capitique meo incumbens fati neceſſitatem exponere. Nam virga innuens ſupremum adveniſſe diem aiebat, utque cæterorum gregi immixtus me ad mortis limina ſiſterem, imperabat. Ego tam triſti denunciatione perculſus, ipſaque morte frigidior vocem amiſeram, nec, quid facerem, aut

dicerem

dicerem, ſciebam. Mox collecto ſpiritu; O, inquam, Mercuri facunde, nepos Atlantis, cujus miniſterio uterque orbis pervius eſt, quo ſequeſtro cœlorum arcana mortalibus communicantur, & Inferorum regna augeſcunt: quæ eſt iſta Numinum inclementia, ut me nondum decurſo vitæ ſtadio in rerum magnarum apparatu intercipiant, annoſque meliores invideant? Non ſat erat, me tot morbis corporiſque cruciatibus, tot caſibus jactatum tot diri fati exemplis per quinquennium, atque eo amplius torſiſſe, niſi etiam vitam velut in exilio intempeſtive abrumperent? Non ego mortem tot curarum levamen, lethæaque oblivia deprecor, ſed per ego dextram tuam, fatorum miniſtram, per virgam, quâ lumina morte reſignas, ſi religioſus eloquentiæ cultor fui, ſi artes tuas penitùs adamavi, obteſtor, ne me aliena in terra extingui patiaris, brevem moram concede, qua penates reviſam, ultimaque oſcula inter amicos, atque affines dividam, tum lubens ac volens mandatis fatorum obſequar.

Forte ad lecti fulcra ſervulus jacebat noctis colore tinctus, ſed, qui nigerrimo vultu fidem ſinceram, candidoſque mores tegeret. Is in culcitra reſupinus offi-

cioſis ronchis ſtertebat, tam profundo ſopore demerſus, ut incertum videretur, uter morti vicinior eſſet. Et, ô inquam, Mercuri, cur iſte terræ pondus inutile vivit, & valet, docti viri non ſine cruciatu vita exterminantur? Quid iſte, non adeo vita indignus? Cur tot ignavæ animæ perennant, tot vilia capita fruges conſumere nata, ſecli incommoda atque opprobria, ſpatia vitæ invidioſa exhauriunt, induſtrii, atque eruditi terris tantum oſtenduntur? Præſtat ergò otio ſe corrumpendum dedere, præſtat vulgo miſceri, præſtat brutis animantibus ſimiles ignotos ſibi, ceteris ignoratos ævum exigere, quando non niſi eminentia papaverum capita ſuperbæ morti demetere placet.

Reſolvit intempeſtivam declamationem Mercurius, atque ore ſubtriſti pauca refert. Annum eſſe peſtilentem, ſiderum aſpectus maleficos, multa mortalium millia Orco deberi, Urbes funeribus exhauſtum iri, Inferni portitoris cymbam vectoribus non ſuffecturam; ſed quod omnem acerbitatem exſuperet, dira ſorte viros omnes doctos, & literarum nomine inſignes neci deſtinatos, idque ira Numinum in res humanas, quæ novas ſcelerum pœnas excogitaſ-

ſent,

ſent, ut ſublatis eruditis dira barbaries ſuperfunderetur, Orbemque miſere ulciſceretur.

Quare ipſos ſapientiæ proceres, ſummaque literarum capita Proſerpinæ addicta diro gregi compuliſſe, orbatas Academias, funeſta Gymnaſia, paucos admodum reſtare, qui brevi in Acheruntis cenſu futuri eſſent. Proinde, inquit, & tu propere compone res tuas, ut te quam primum cum ceteris Infernis Judicibus ſiſtam. Cæpitque me præcedere. Mirum dictu, impellebar ipſe occulta vi, quique affixum lectulo corpus ipſa morte grave vix verſare poteram, artuſque deficientes ægre moliri, reddito vigore non grabatum modo minime titubanti veſtigio reliqueram, ſed præcipiti curſu aëra findentem Mercurium æquabam.

Nec longum iter emenſi beatiſſimâ terrarum parte excipimur, hoc eſt, ipſis elyſiis, ac fortunatorum Inſulis. Nulla vox eſt, quæ loci amænitatem exprimere poſſit. Perpetuum Ver renidebat, mite Cælum nulliſque nubibus aſperum, Sol ipſe purius fulgere videbatur. Panditur interea elyſiorum Regia, ubi Triumviri capitales fatalem urnam verſabant, cujuſque nomen educebatur, illico mor-

tem obibat. Erant ad latera Parcæ, & Quæſitorum arbitrio mille vitas momento recidebant.

Forte tunc non levis diſceptatio inceſſerat, quæ ipſos Iudices haberet ambiguos. Nam cum decreto fatorum Viri docti, atque eruditi letho deſtinati eſſent, non plane conſtabat, quinam eſſent hi, quique hoc nomine digni cenſerentur. Cum enim literæ ac ſapientiæ cultus ſuas fraudes, ſuumque fucum habeant, & quidam docti ſint, quidam videantur: cum non pauci literis tincti, atque ex librorum Indicibus periti: præterea plagiarii, atque alienorum ſcriniorum effractores, ſicophantæ, ſolaque barba, ac ſupercilio philoſophi, non pauci etiam, quibus pro virtute audacia eſt, ad tam ſublime nomen impudenter adſpirarent, arduum opus atque anceps ipſis Triumviris videbatur excutere larvam, & viros eruditos deprehendere. Itaque placuit citari nomina eorum, qui doctorum numero haberentur, tum nova prorſuſque inaudita Iudiciorum ratione, laudes eius, laboreſque & merita in rem literariam accuſator percenſebat, contra accuſabat patronus, vitiaque, & ignaviam exprobrabat, quo ejus fortunas, ac vitam tueretur. Tum Indices in

ſuffra-

ſuffragium ibant, & cujus eruditionem, ac vitam adprobaverant, letho donabant, qui inſcitiæ, ac ſecordiæ arguebantur, nigrum theta effugiebant.

Et primo quidem productus eſt Joa. Baptiſta Soncinus non Brixiæ modo, Urbis nobiliſſimæ, ſed artis medicæ ſummum decus. Statimque doctrina ejus varie expendebatur arguebaturque. Laudator aiebat eum magno ingenio præditum brevi eos in re medica progreſſus dediſſe, ut Juvenis in hoc Gymnaſio inter primos profiteretur, mox Piſas ad primam ſedem invidioſo ſtipendio evocaretur, ut demum rediret huc, & Viro præſtantiſſimo honeſta miſſione donato ſuccederet, ac Medicinæ culmen tueretur. Fuiſſe præterea in eo ſummam in explicando facilitatem, Iudicium rectum, dicendi copiam, atque elegantiam, ingenii dexteritatem, omneſque artes civiles uſque ad invidiam in eodem floruiſſe. Dicebatur contra, juventam Academiæ vitio inter arma, & nocturnas diſcurſationes tranſegiſſe, nullum præterea ingenii fœtum emiſiſſe, unde doctrinæ fructus ad poſteros redundaret. Sed Minos juventæ liberioris licentiam magnis poſtea virtutibus, ac laboribus emendatam affirmabat, nec

multum intereſſe, quod nihil librorum evulgaſſet, cum contra, quo quis indoctior eo plura quotidie inſcitiæ, atque adrogantiæ monumenta effunderet. Huic cæteri aſſenſêre. Itaque intra ſextum & quadrageſimum annum ingenti utriuſque Academiæ luctu extinctus eſt.

Motâ dein urnâ eductum eſt nomen Gaudentii Paganini in Gymnaſio Piſano artem dicendi profitentis. Laudatus eſt non perfunctoriè. Virum eſſe magna doctrina, variaque lectione in omnibus ferè diſciplinis verſatum: editis præterea non paucis operibus percelebrem, feſtivis moribus, atque ingenio perfaceto, ut ejus conſuetudine magnus Princeps admodum caperetur. Addebatur, eum magnum literatorum fautorem eſſe obvia comitate, non tam domo, quam pectore peregrinis hominibus ingenue patente, exteroſque, qui Italiam inviſerent, aut hoſpitio exceptos, aut feſtis dapibus adhibitos. At Patronus præpoſtera defenſione aiebat hominem magis literis tinctum, quam imbutum; Id declarare pleraque ejus ſcripta impetu magis, quam certa ratione edita non magna elegantia, artiſque ejus, quam profiteretur, modico cultu. Nihil in ingenio

ſolidum

ſolidum cum per artes, & diſciplinas peregrinaretur nulli penitus inſiſtens, nec admodum ingenio aptus poëticam attigiſſet præcipue Italicam, cum verſus in hora ſexcentos invito Apolline effunderet. Suffragiis tamen Trium-virorum inter doctos recenſitus fatali lege collegam, & amicum Soncinum non multo pòſt ſecutus eſt.

Et quaſi uni tantum Regioni fatorum vis incumberet inductus eſt ex Urbe Florentia Ioa. Baptiſta Donius magnifico cum elogio. Virum doctiſſimum eſſe, eruditione, ſtudioque antiquitatis nemini ſecundum. Unde arrepta occaſione laudator dotes ejus brevi, ſed attenta Oratione perſtrinxit. Hunc ab juventa Romæ incredibili labore, ac contentióne in eruendis vetuſtæ memoriæ reliquiis verſatum egregium opus ad eam illuſtrandam confeciſſe, quod nondum publicum factum eſſet, ſed edita diſſertatione de Pænula, viri docti famam omnium ſuffragio adeptum, auctumque decus pereruditο de veteris Muſicæ præſtantia commentario. Et licet Patronus, juvenem adhuc nec ad ſummam evectum contenderet, non exactam eruditionem, multa præterea in ejus ſcriptis à viris doctis deſiderari, morti deſtina-

tur magno Reip. literariæ detrimento.

Poſt hæc ex diverſa terrarum parte duo clariſſima literarum lumina evocantur Daniel Heinſius, & Gerardus Joannes Voſſius. His nullum doctiorem quiſquam noverat, aut ſol viderat. Diſſerebat laudator, Heinſium magni illius Ioſephi Scaligeri alumnum eſſe, quem politiorum literarum, & ſolidioris eruditionis Dictatorem perpetuum eruditorum conſenſus dixerat. Nec minorem tanto educatore diſcipulū. Nam ab adoleſcentia Græcas, ac latinas Muſas tam propitias habuiſſe, ut addita ad naturę dotes induſtria veteres poëtas juvenis provocaret, ac præcipuè in Elegiis Ovidiani carminis dulcedinem ingeniique ubertatem æmularetur. Ad ſeveriora deinde eodem auſpice converſum pleno pectore de ſapientiæ fonte guſtaſſe, ad quam exornandam conſumpſiſſe Rhetorum myrothecia, perfaceto etiam Orationis lepore, atque acumine inſignem. Mox Hiſtoriam, civiliſque prudentiæ arcana Lugduni Batavorum, illa martis, ac muſarum paleſtra magna doctorum, atque exteræ juventutis frequentia profeſſum ab Veneta Rep. D, Marci inſignibus virtutis ergo condecoratum, Tandem Græcis ac Latinis

ſcripto-

ſcriptoribus illuſtratis, editiſque in novum ſacri fœderis inſtrumentum doctiſſimis commentariis, ſummi viri famam merito conſecutum eſſe.

Flexit deinde noxiam laudationem ad Gerardum Voſſium, quem omni præconio longe majorem pronunciavit, teſtes advocans Inſtitutionum oratoriarum libros, qui ipſi ad famam aditum aperuêre ingenti plauſu exceptos etiam ab ipſis literarum proceribus Iſaaco Caſaubono, & Ioſepho Saligero. Hic enim cum eas perlegiſſet, ingenue profeſſus eſt, ſe ab ea lectione doctiorem evaſiſſe, nec è veteribus ipſis, quemquam extare, qui in eo argumento Voſſio palmam præriperet. Caſauboni vero hoc de Voſſio fuiſſe Iudicium, nihil ejus Rhetoricis eſſe perfectius, nihil nitidius, ſingularem eruditionem, lectionem multiplicem, rectum Iudicium ubique elucere. Sanè Criticæ vim minime vulgarem in notis ad fragmenta veterum Tragicorum præcipue in duplici Commentario de Græcis ac Latinis Hiſtoricis uſque ad miraculum vigere. Porro nihil exactius latinæ linguæ commentariis, nihil libro de Veterum Idolatria, item Grammaticis ac poëticis exercitationibus eruditius extare. Hæc magna licet,

vero tamen minora omnibus viſa ſunt, ita ut accuſator obmuteſceret, nec quidquam hiſcere auderet, ut laudis obtrectatione tantis viris ſuffragaretur. Quare eodem pœne tempore geminum Belgii ac literarum ſidus extinctum eſt.

Poſt hæc ex Urbe rerum domina alterum par, haudquaquam priore deterius, inductum eſt Famianus Strada, & Tarquinius Gallutius nobiliſſimæ, & nunquam ſatis laudatæ Societatis facile principes. Nec multum laudatori laborandum fuit, ut oſtenderet Famianum inſigni laude in Rhetorum officinis ætatem exegiſſe, ac per tot annos Romanæ juventæ moderatorem, tum eloquentiæ præceptis, tum latinæ Orationis majeſtate veterum Oratorum gloriam revocaſſe. Nam proluſiones ejus, & doctrinæ varietate, & latini ſermonis candore notabiles, quotidie doctorum manibus teri. Hiſtoriam autem Belgicam grande opus eximia prudentia, rerumque maximarum conſiliis & dominationum arcanis refertum eadem ſtyli felicitate tanti ſcriptoris ingenio par, præcipuam ipſi commendationem peperiſſe.

Ex altera parte Tarquinium Gallutium puræ, ac minime fucatæ latinitatis & ad Tullianum nitorem proxime aſſurgentis

gentis, unicum fortaſſe hac tempeſtate exemplum eſſe. Ejus orationes omnibus doctrinæ, atque eloquentiæ luminibus diſtinctas, eximio verborum cultu, ſententiarum pondere, atque eleganti perſpicuitate inſtructas, ut diſertiſſimus Romuli nepotum merito appellari poſſet. Sed & carmina ejuſdem pari ſuavitate ac nitore contexta, ut, quod rarum, ac pœne inuſitatum ſit, tam ſoluta, quam pedibus adſtricta Oratione Romanæ eloquentiæ principatum obtineret. Ut interim omitterentur doctiſſimi Commentarii in Ethicam conſcripti ſolidioris doctrinæ egregia monumenta.

His etiam, quid reponeret accuſator non habuit, niſi, quod in Famiani hiſtoria multa excidiſſe contendebat, quæ ad latinitatis obruſſam exigi nequaquam poſſenr. Pleraque ambitioſe perſcripta, ſcholam olere, nimiamque ac pœnè putidam diligentiam; multa poëtice exaggerata, non paucos denique lapſus, quos ille aliàs in veteribus ſcriptoribus arguiſſet. Sed levia iſta admodum viſa, nec deformes in pulchro corpore nævos. Itaque hic cum compare Gallutio rebus humanis excedere juſſus eſt.

His peractis grande vulnus Academiæ noſtræ inflictum eſt, educto Joa.

Veslin-

Veslingii nomine, quod ſemper acerbum, ſemper honoratum eadem Academia habebit. Nec ſe continuit laudator, ſed truci, ac ſanguinanti eloquentiæ veluti frænos laxavit. Hunc prima juventa ex Germania tot nobilium animarum altrice, Italiam capiendo ingenii cultu petiiſſe, atque in hoc Florentiſſimo Gymnaſio laboribus, atque induſtria æquales omnes anteceſſiſſe, non gravioribus modo diſciplinis impenſe addictum, ſed Græçorum ac latinorum ſcriptorum aſſidua lectione animum mitigaſſe. Mox Venetiis laureæ medicæ inſignibus decoratum ſponte in Ægyptum uſque conceſſiſſe, ut ea peregrinatione diſcendi inprimis avidum, & capax ingenium expleret. Ibi animum tot naturæ miraculis ſedulo intendiſſe, nec tam inſanas Pyramidum ſubſtructiones, quam fęcundam Nili eluviem miratum, herbarum, ac ſtirpium medicam vim diligentiſſimè ſcrutatum eſſe. Inde Hieroſolyma per obſeſſa barbaris itinera non ſine vitæ periculo adiiſſe, locaque Chriſti Servatoris natalibus, ac morte ſacrata perluſtraſſe, ut ad multiplicem linguarum cognitionem etiam Arabicam adderet, ipſoſque Opobalſami naturam, ac vires propius inſpectaret.

His

His bonis ſuccinctum huc rediiſſe, ſtatimque ab Veneto Senatu eximiæ virtutis æſtimatore accerrimo, Chirurgice, atque Anatomice præfectum totum Gymnaſium in ſe convertiſſe, non tam ſecandi peritia nemini prædeceſſorum inferiorem, quam Orationis cultu, atque omni eruditionis amænitate cum pauciſſimis comparandum. Ita maximos ad eum audiendum concurſus factos, quum profligata barbarie, omnique ineptiarum ſqualore deterſo, eo dulcius auribus blandiretur, quo triſtius ſpectaculum eſſet, & carnificinæ proximum. Græcam eruditionem diſputationibus ſine oſtentatione inſperſam, veterum poëtarum dicta veluti emblemmata Orationi addita. Quanta diligentia minutiſſimas corporis partes, humanaque exta ſalubri haruſpicinâ inſpecta, ipſosque oculos fugientia fibrarum lineamenta curioſa felicitate deprehenſa, atque aſpectui ſubjecta; Nec multo poſt eundem in amæna vireta inductum, florum, atque herbarum culturæ præpoſitum eſſe, naturæ laſcivientis pompam, terræque omniparentis fœcunditatem pari ingenii, atque orationis ubertate ad corporum tutelam ſalutiſque miniſterium provide convertiſſe. Vix dici poſſe

poſſe, quot ille labores ac vigilias exhauriret. Cum ſummo mane luceque adhuc dubia quotidie profiteretur, herbarumque, aromatum ac metallorum vires pleno Gymnaſio exponeret. Saturnalibus vero optimis dierum, cum reliqui ferias ducerent, acuratiſſima cadaverum ſectione, atque inſpectione, vivorum ſaluti conſuleret, & poſtquam æſtivi calores ludum artaverant, ſalubrem naturæ florentis aſpectum florida, atque amæna diſſertatione ſtudioſæ juventuti communicaret. Quibus autem notam, aut expertam non fuiſſe ipſius medendi peritiam, atque pietatem fere ſingularem, qua vacuo ſordibus animo ſine ulla mercede egenos magnam Urbis partem curaret?

Plura laudator dicturus erat, niſi fluentem Orationem Judices ad clepſydram caſtigaſſent, qui ne audito quidem accuſatore inexpiabili Urbis Gymnaſii, ac literarum clade tantum decus terris inviderunt.

Hinc veluti tot clarorum virorum nece irritato furore ipſam demum ſapientiam excindere cogitarunt die dicta Gaſpari Scioppio, qui tot ſublatis ſolus irruentem barbariem profligare poſſe videbatur. Cumque eum virum ſine controverſia

troverſia longe doctiſſimum eſſe conſtaret, vix ullæ laudatoris partes eſſe videbantur, ne quid tamen de funeſti judicii more deperiret, juſſus eſt ſumma rerum faſtigia perſequi, ipſiuſque modo laudationis capita indicare, non enim ſuffectura dies ad tanti viri laudes ſequendas videbatur. Unum igitur illud exemplum doctrinæ, atque indefeſſæ in ſtudiis literarum contentionis ætati noſtræ affulſiſſe prædicabat. Nam adoleſcentem ac pœne puerum id ingenii, atque eruditionis ſpecimen dediſſe, ut vix tribus luſtris expletis non unum opus publici juris faceret, quod exactæ ætatis judicium, totiuſque antiquitatis ſolidam cognitionem præ ſe ferret. Neque tamen ut umbratici ſolent in ſcholarum ergaſtulis conſenuiſſe, ſed in Aulæ ſplendore, in oculis omnium maximis negotiis adhibitum, vividum, paremq; animum oſtentaſſe. Et ne tot bonis ſola Germania frueretur, cum in Italiam veniſſet Principum ſtudiis, favore omnium, ac gratulatione certatim exceptum eſſe. Præcipuè Ferdinandi Mantuæ Ducis, magni ingeniorum æſtimatoris non intimę modo familiaritatis ſacris adhibitum, ſed inſigni liberalitate auctum. Poſt hæc duorum Pontificum flagrantiſſima gra-
tia

tia floruiſſe, ut Gregorii XV. antequam illud faſtigium teneret contubernio frueretur. Urbano VIII. Principum literatiſſimo in delitiis eſſet ad utrumque ab eodem Mantuæ Duce, & ab Ferdinando Imperatore partim officii cauſa, partim de graviſſimis Reip. Chriſtianæ negotiis legatus. Ubi in humani generis conventu, in publica literarum luce, ab eruditis omnibus ſubmiſſos tamquam Dictatori ingenii ac doctrinæ faſces, ipſumque pro quodam eruditionis miraculo cultum. Donec inanium pertæſus in ſe ipſum recederet, & partim Mediolani, partim in hac Urbe victuris æternum libris bona fide poſteritatis negotium tranſigeret. Eos libros in ore famæ in commendatione omnium verſari. Quumque per omnes fere diſciplinas capax ingenium circumtulerit, duo tamen in ipſo ſine exemplo ſatis exprimi, nedum laudari poſſe, judicii vim in aliorum ſcriptis æſtimandis, & ad latinæ orationis Cenſuram exigendis miram, atque exactam, tantam vero ſacrarum literarum peritiam, quantam fortaſſe nullus ad hanc diem, quantamque nemo credat, qui illam auribus non uſurparit. Ut, quod olim de Eſdra dictum eſt, deperditos linguæ ſanctæ Codices ſolus reparare potuerit.

tuerit. Scilicet uſque ad extremam ſenectam, nuntio rebus humanis remiſſo, noctu diuque in ſacrarum literarum commentatione incredibili labore verſatum, ut ipſum adeuntibus per plures horas uno veluti ſpiritu infinita ſacræ paginæ loca inuſitata memoriæ felicitate ſtupentibus, atque attonitis repræſentaret, atque ex ipſis divinæ ſapientiæ penetralibus arcana etiam doctiſſimis ignorata exprimeret. Nimirum cum rarò alias prodire in publicum ſoleret, extremis temporibus quatuordecim annos domo, ac ferme anguſto cubiculo clauſum, diebus noctibus jungentem lucubrare perpetuo ſolitum, cumque à doctis inviſeretur, ne unquam à literis abſcederet variis, ac feſtivis de re literaria ſermonibus profundæ eruditionis fructus uberrimos communicare conſueviſſe, huncque ipſi ludum, hoc otium, hoc laborum levamen ſemper fuiſſe. Nec mirum ſi ætate exacta plures libros à ſe confectos, quam annos numeraret, ejuſque opera vel magnam Bibliothecam inſtruere poſſent, ipſe viva ac perambulans Bibliotheca merito appellaretur.

Quis credat? Auſus eſt accuſator contradicere, atque ex obliquo tanti viri famam

mam infuſcare. Nam cum, quæ de ejus ingenio, doctrina, immenſiſque in re literaria laboribus infitiari non poſſet, quę eſſent totius Orbis teſtimonio comprobata, vertit accuſationem nimiamque ejus ingenii aſperitatem, judiciumque ſubauſterum, omnibuſque infeſtum arguebat. Nam ne ipſis quidem Regibus ſupremiſque poteſtatibus unquam peperciſſe, cum nimia, ac pœnè Cynica detrahendi libidine omnes ordines non ſolum multo ſale defricaret, ſed in omnem verborum etiam prætextatorum amaritudinem effuſus ipſa literarum capita viroſque ſuperum cultu reverendos totis voluminibus concideret, aſperiſque facetiis jocum ac ludibrium, faceret. Ita multorum in ſe odia concitaſſe, ut amaras ipſe quoque hiſtorias audire cogeretur, belliſque pluſquam civilibus Muſarum pacem inquietaret: His Minos interfatus eſt. In hoc ſatis excuſari Scioppium non poſſe, quod Stoicam, quam profitebatur moderationem tranſgreſſus, & doctis & ſacratis viris bellum indixiſſet, libroſque omnes ſucco lolliginis inſperſiſſet, ſatis tamen conſtare, & laceſſitum ſæpe fuiſſe, & contemptu, cujus generoſa mens impatiens eſt, irritatum maledictorum licentiam pari acer-
bitate

bitate retudiſſe, aliqua etiam præfervido viri ingenio maliſque, atque ignavis implacabili imputanda eſſe, cum totius vitæ innocentia morumque integritate ſatis objecta crimina refutaſſet. Sanè nullum majus virtutis ejus, ac doctrinæ teſtimonium, quam adverſariorum invidiam fuiſſe, qua nec quicquam fremente doctiſſimi, ac ſapientiſſimi famam orbis conſenſu adeptum eſſe. Sed tantarum laudum triſte pretium magnus ſenex tulit, maturo ipſis, omnibus quicumque literas colunt acerbiſſimo funere ſublatus.

Jamque tam cruentæ Cognitionis, ſive potius carnificinæ finis adeſſe videbatur. Cum ipſe in Aulæ angulo deſtitutus, & proximæ mortis horrore perfuſus, & tot amicorum interitu vitæ pertæſus, quid me fieret, expectabam, nam ut inter doctos recenſerer ne timere quidem audebam, &, qua cauſa me illuc Mercurius duxiſſet, ignorabam. Cum truci aſpectu, ac ſuperbiſſima voce in me converſus Inferni fiſci patronus invidioſam laudationem orditur. Hunc, inquit Judices ſatis vixiſſe prædico, non quidem tot aliis, qui veſtro ſuffragio ceciderunt accenſendum, ſed de re literaria non omnino male meritum. Nam per

per ſexdecim annos in Patavino Gymnaſio celebri exteræ juventutis concurſu utramque linguam non ſine laude profeſſus Rhetoris partes aut implet, aut imponit auditoribus & Orator eſſe videtur. Non exiguam illi commendationem peperit de re Veſtiaria commentarius, in quo non pauca, etiam doctis ignorata, ad id argumentum illuſtrandum protulit. Nunc alia publici juris facere meditatur, Electorum libros, notaſque Philologicas in C. Plinii hiſtoriam, nam Proluſiones & epiſtolæ ſub prælo ſunt, famamque viri docti aut habet, aut meretur. Hæc ille in caput meum caſura ſævo mendacio comminiſcebatur. Cum accuſator renidens, & victoriæ certus. Hunc, inquit, Judices facile evincam nec doctum eſſe, nec dignum, qui hoc titulo vita ſpolietur. Juvenis adhuc eſt, magnaque minatur potius, quam perficit. Præterea valetudinarius, totque annorum morbis fractus, etiam ſi maxime velit veræ laudis metam attingere, non poteſt, nec ſolidam eruditionis famam promereri. Quandiu à publico docendi munere ceſſare adverſa valetudine cogitur, librisque tamquam à re noxia & pernicioſa abſtinere? An pro uno aut altero libello doctum cenſebitis, nominiſque

que hujus honorem largiemini? Vita illi opus eſt, quæ pæna non ſit, ut incepta perficiat, ne cum ipſo nomen quoque intercidat. In hoc ſaltem ſuperſit, ut literatorum funere præficæ officio fungatur, & alios laudare, ſe ipſum non poſſit. Annuêre Inferni quæſitores, albumque calculum adjecerunt. Sic inſperato inſcitiæ, atque ignaviæ opinione mortem evaſi, ſatiuſque eſſe exiſtimavi cum mei ſimilibus ævum producere, quam cum doctis Acheruſia templa frequentare. Ita præ lætitia diſcuſſo ſopore vitæ, moxque huic urbi redditus, ingruente iterum fortunę ſævientis ſcelere odiſſe fatorum beneficium cæpi, meque ſæva miſeratione non ereptum, ſed longis cruciatibus reſervatum credidi.

JUVEN-

JUVENTUTIS OTIUM NEGOTIOSUM.

Prolusio VIII.

Apud Atlantæos nulla unquam ſomnia evenire, rerum naturæ ſcriptores prodiderunt. Genium veſtrum iratum habeam, niſi in ea regione vitam colere velim, adeo vel ſcæva ſomnia per quietem obverſantur, vel etiam ſi ſalſâ fruge expientur, improſpere cadunt. Ante paucos dies cum feſſus rerum grabbatum preſſiſſem

Ecce Deus ramum Lethæo rore madentem
Viqué ſoporatum ſtygia ſuper utraq; quaſſat
Tempora, cunctantique natantia lumina ſolvit.

Ibi ego mira vidi, inſcita, turbulenta, & qualia mentes eorum ſollicitant, qui ſe in cœna pluſculum invitarunt.

Videbar mihi ab Deorum Talthibio injecta molliter manu è ſtratis rapi, nec multo poſt Templi foribus adſtitui, cujus veſtibulo magna pars mortalium incubabat, votivæque paſſim tabellæ extimum parietem veſtièrant. In ipſo Fani meditullio Ara prominebat, cui argenteus ſerpens ſuper incumbens leni flexu medico baculo innixus, atque in orbes

ſinuatus

ſinuatus benefico lumine, nec tumenti cervice ſupplicum vota excipiebat. Ventum erat ad limen, & toto templo fragor editur. Tum mirabile viſu humanam faciem ſerpens ille induit, corpus ſpiris implexum explicatur in artus, ad imos pedes pallium defluit, verusque inceſſu patet Æſculapius. Sed mite os, & florenti ſenecta placidum commotior animus aſperaverat, oculisque vagis, & incertis toto fano quærere videbatur, in quem conceptum furorem effunderet. Ille verò ipſe eram. Nam ubi me ſtricto ſupercilio conſpexit. Vivis etiam, inquit, vivis Pharmace, & hæc delubra ſubire non dubitas, qui ſacrilega detrahendi libidine inexpiabile facinus commiſeris, contra eos invectus, quos æquata Principibus vitæ necisque poteſtas reliquis mortalibus ſupervexit? Nam ut Aſtreæ, ipſiusque ſapientiæ ſacerdotes tranſeam, quos in conſpectu frequentiæ traduxiſti, Medicos etiam, ſacrum genus hominum, quos nemo unquam impune laceſſivit, habere joco, ac ludibrio ſomnians auſus es. Pro quibus meritis non te ego vitali aura dejiciam, nec lumina adimam, ſed eo morbi genere plectam, quo excruciatus vivas & mortem optes, funerique tuo interſis, Medicosque implores, & probes.

 Dixit

Dixit & irato feriit mea lumina ſiſtro.

Ego licet frigido ſudore madens vocem amiſeram, ne tamen in re tanta mihi deeſſem audacter, tam iniquam declamationem reſolvi. Et ô inquam, ſupêrum potens, atque inferûm, qui ſacrata manium jura reſolvis, Orcinoque theſauro addictos, nec quicquam invitis fatis revocas: ſive te Epidauros colit, ſive Quirites hoſpitium præbent, quo nomine læſus quidve dolens ſupplicio deſtinas inſontem, & in caput innoxium implacabiliter furis? Novum facinus & inauditum! Medicos aliquot ad tribunal Muſarum ſtiti, nec inſcitiæ aut falſæ artis inſimulavi, ſed non ſemper rectè Latinè locutos dixi. Sed paucos admodum, & quos in obſcuro latentes ſatis premit eorum fulgor, quorum nomina in honorem diſputationis advocavi. Medicus Priſciano caput fregit, eum pugnis concidit Philoſophus, laceravit Cauſidicus. Quid tum? Num idcirco potionē atram miſcuit Medicus? num ſapientiæ cultor deliravit? num prævaricatus eſt prudentiæ conſultus? Non ego ex omni ordine ſummos, ac ſine controverſia præcipuos ſelegi, qui facinorum gloria nomen ab oblivione ſuum vendicarunt? Num more præficarum omnes omnino laudarem,

etiam

etiam aliquos, à quibus nollem ipſe laudari?

Sed fuerint illa convicia, cum potius ingenui, ac liberales joci haberi debuerint. Num quid ego culpandus ſum, qui Nicodemi Friſclini drama dederim? Nicodemi inquam Friſclini, cujus nomen quamquam religionis cauſa ſilentio obruendum clara tamen, & aperta voce profeſſus ſum, ut maledicentiæ ſuſpicione exſolverer, & plagii crimen amolirer. Quid inquam merui, ſi hujus libertatem modice caſtigatam, in luſum huc attuli? Vapulet ille cum Priſciano ſuo, qui gentem tam delicatam & potentem offendit, me interpretis ſecuritate frui æquum eſt.

Hæc & alia, quæ libertas & juſtus dolor ſubjiciebant, proferens ſurdas aures verberabam. Nam ubi ille frendens avertit. Illico mihi, *Solvuntur frigore membra*, ſecutaque eſt febris ex fano ſuo, & nova malorum cohors incubuit, viſusque ſum mihi ob jocoſam fabulam quintum menſem, cum morbo luctari: & fortaſſe illa ſomnia non erant. Itaque ſic mecum reputabam non diſpar infortunium Hebræi illius adoleſcentis fuiſſe, qui quod ſomnium ſuum narraſſet male à Fratribus acceptus eſt. Jamque ſpe vitæ

dejectus agere cæpi pœnitentiam ſermonis mei, & ut Simonides olim, quod Helenam verſibus laceraſſet Fratrum geminorum ira luminibus orbatus, poſt recantans opprobria placatis Caſtoribus luci redditus eſt, ſic ego cum bonis Diis, perfricata diutius fronte, Palinodiam auſpicatus ſum, & ad mortales eos, quos barbaros appellaveram, quîsque ob violatum Priſcianum dicam grandem dixeram, præcipuè ſanctiores Philoſophos omnibus reverendos converſus, Parcite, inquam, ſacra capita, parcite juvenili audaciæ, & reſcipiſcentem licentiam pacati excipite. Vos mortalium ſummi, vos vitæ, mortiſque arbitri: veſtra jura humanũ genus reformidat, cujus bona omnia in manu veſtra ſita ſunt, anima, corpus, opes: non modo Latinè ſcribitis & loquimini, ſed etiam facitis, & quæ veſtra potentia eſt ſcytharum voces, ac Garamantum jure Quiritum donare poteſtis. Vobis ancillantur Tribunalia, patent arcana domorum templa, theatri vicem præſtant, vos ipſius divinitatis potentes Cœlum, & aſtra in partes vocatis. Vos pallidus cliens adorat, ab ore veſtro moriturus æger ſpirat: matronæ, puerique & innuptæ puellæ morigeræ vobis ſunt: veſtro ſupercilio Orbis regitur, veſtro

nutu

nutu humanæ res adminiſtrantur. Nos numerus ſumus, nos viles curuæque animæ, nos inops infletaque turba.

Vix hæc fatus eram, cum paulatim viſæ ſunt redire corpuſculo vires, omniſque ægritudo abſtergi. Et commodùm intrabat ſenex templum, quem ab miti, ac ſereno ore, ſed magis ab ingenio Carolum Sigonium, eſſe cognovi. Ille ad latus meum adſtitit, & ego te inquit, ſaluti redditum gratulor: ceterum præfervidum hunc impetum, atque immodica libertate exſultantem compeſcam paulatim, ac moderabor. Quid juvat querelis indulgere, & pulſas literas, cultumque bonarum artium indignari? An hoſpes adeo es, ut hæc ignores, aut tam validus, ut malis obviam ire poſſis? Actum eſt de his ſtudiis. Latine loqui res puerilis habetur: ſcire literas interiores, putida & inepta; Cuncta cum ſupercilio traducunt. Deinde, ſi quis hæc ſtudia ſaniori judîcio æſtimet, quotusquisque paucas horas illis impendere dignatur? Eò jam ſeculi languor proceſſit, ut non niſi fabulæ, & Italicæ næniæ terantur manibus, atque ille laborioſus exiſtimetur, qui ſemel in die ad libros reſpexerit, imprudens, & vitæ ſuæ hoſtis, qui paucis horis adhibuerit in conſilium Muſas. Ju-

ventus noſtra in literarum negotio, quã deſidet otioſa, aut in turpi otio negotioſa? Pueritia ludo teritur, aut ſi tradita literis eſt, docentium ſævitia odiſſe literas incipit, quæ pœnis & metu conſtant. Sic futuræ licentiæ irritantur ingenia, & in Academiam odium literarum ferunt, veluti pædore carceris efferati. Præterea quia politiorum literarum initia pueri ſuſceperunt, velut pueriles curas erubeſcunt, atque aſpernantur. Ita fugatis Muſis duo damnoſiſſima Numina in vacui poſſeſſionem veniunt Mars, Venusque, & quibus largas opes fatalis hora naſcentibus indulſit, literas ignobile miniſterium exiſtimant, & umbraticam vitá. Ideo non magiſtri, ſed laniſtæ dictata accepturi verum ludum petunt, in quo ubi artem necandi homines, nec ſine cura didicerunt rixis, ac contentione inclareſcere cupiunt. Maluntque ferro mortalibus vitam adimere, quam literis à morte vendicare. Et tu illi vacare tempus exiſtimas, ut inertes libros reſpiciat, atque ignavas diſputationes, ubi mulierçularum more penes eum victoria cenſetur, qui clamore plus poteſt?

At ille alter Dii Deæque, cujus malè ſanum pectus Cupido invaſit, Deus ille potens, ac famigerabilis. Furit æſtuat, diſtra-

diſtrahitur miſer in amoris rota. Prima formæ cura animum abducit, ut mulierculæ placeat, quæ aut errore, aut merito nimis ipſi placuit. Itaque capillum pectere curioſius, de facie in conſilium ire, plusque corpori, quam animo excolendo inſudare. Tota mente ibi hæret, ubi Cupidinis clavo fixus eſt, diesque totos, aut amicam ſectatur, aut in templo improba vota tacitus nuncupat: noctu aut vagatur armatus, ædesque inviſit, & foribus figit oſcula, limenq; lachrimis imbuit, aut domi, ubi ſe in lectulum abjecit in dextrum modo latus incumbens, modo in ſiniſtrum nunc ſupinus, aut pronus ut Pelides Patroclum lugens, inter lachrimas, & ſuſpiria longas tenebras execratur, adhucque crepera luce rapit de ſtrato corpus, forasque proficiſcitur:

Quo Venus Cupidoq; imperat ſuadetque Amor,
Si media nox eſt, ſive eſt prima Veſpera,
Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies
Tamen eſt eundum quo imperant ingratiis.

Tu illum nocturnis chartis impalluiſſe exiſtimas? Amat. Solum & ab turba ſegregem fugitantem homines conſpicis; Tu literarum commentatione, magnis-

que cogitationibus, in naturæ receſſus abditum, ſenſibusque alienatum credis? In amoris ſchola delirat. Flentem ſæpe videas, non ſecus ac Homericum Heroem, atque interruptis ſuſpiriis tacitè expoſtulantem: tu ingenio ſuo obiratum putas, quod recondita rerum non ita facile aſſequi, atque indagare poſſit. Ab amore vapulat.

Et tamen haud ſcio, an minus excuſabiles ſint, qui ſolam aleam depereunt, quibusque teſſeræ, pictæq; chartulæ formoſiores videntur, quàm facies eximia, & omni ſimulachro emendatior. Itaque in hunc ludum etiam invocati aſſidue ruunt, has fortunæ paginas, diurna, ac nocturna manu verſant, & forum aleatorium calefaciunt. Hæ ſortes ipſis, hæc oracula: verſant, miſcent, ſecant, & magno, nec longo labore ad hos ſcopulos eluunt. Tunc non modo libris vacare poſſunt, ſed quandoque ipſos libros, ſacramq; Muſarum ſuppellectilem diſtrahunt, totamq; cum voluminibus ſapientiam mendicare apud eos cogunt, quorum cophinus, fænumque ſuppellex.

Ex juventute igitur alios Mars abducit, alios infatuat Venus, plures dementat alea. Quid ſi eſſet aliquis vir ſtrenuus, qui omnibus hiſce Diis damnoſiſſimis

ſacra-

ſacramentum dixiſſet? Tu literas intercidere conquereris, tu ſeculum rude & inficetum appellas? Cauſam quæris præſentis calamitatis, & ſcholarum ſolitudinem deploras? Laniſtam, & aulædum nobiliſſimis adoleſcentibus ſtipatū, Gymnaſia tanquam in peſtilentia vaſta indignaris? Et cum æs campanum truci ſonore ad faſtidium perſtrepat, aut non exaudire vocatos, aut anguium more cum excantantur ægre moliri greſſum, & nauſeabundos exedras ſubire, ex quibus quandoque magiſtros veluti oſtraciſmo depellunt.

Sed ludum ætati iſti aliquem dandum aiunt. Futurum, ut deferveſcat æſtus ille impetusque, atque immodicæ libertatis amor. Subituram cum ætate prudentiã, & melioribus annis in pretio fore litteras, quas ſtulta adoleſcentia contempſerit, redituros cum libris in gratiam, laboreque & cura præteritum otium diſcuſſuros. Nugæ. Quota pars vitæ vivitur, hoc eſt, literis impenditur? Vetus querela eſt, homines longo ævo minimũ vivere: & magnam partem vitæ elabi male agentibus, maximam nihil agentibus, totam aliud agentibus. Dimidium ejus, atque eo amplius dormitur, tertiam ſaltem partem ludus & compotatio, cu-

 raque

raque corporis vendicat, reliquum negotia aut propria, aut aliena ſubripiunt. Quam particulam ſtudiis dabimus? Nec ſtudiis omnibus, omnibusque diſciplinis (hoc ne ſperare quidem ſanus audeat,) ſed uni modo arti, quæ ſæpe longa eſt, ipſaque vita eſt brevis. Vita brevis eſt, nimis invidis & anguſtis terminis circumſcribitur, eam nos breviorem otio, ſomnoque ac deſidia facimus.

Monſtri loco eſt, eſſe fortaſſe aliquos, qui de brevitate vitæ queruntur, & longi temporis faſtidia jactant, ſicque omne ſtudium illo conferunt, ut tempus ipſum fallant. Siccine tempus fallendum eſt, quod mortales omnes nimis ſcitè fallit? Etiam cum bruma dies arctavit æſtivi, ſoles pigris videntur, ſæpeq; neſciunt quod agant, qui digni ſunt, ut nihil unquam agant. Placet audire quomodo tempus eludatur. Eos ſemper excipimus, qui vel Reip. intenti vel literis perpeti labore fugacis horæ injurias ulciſcuntur. Deſtertunt ad meridiem lucifugæ, & toto pectore ſomnum perflant. Tum longa corpuſculi cura, vagisque ambulationibus moram prandii fallunt. Ubi dies ad umbilicum dimidiatus eſt mortuus. Conſedere duces. Ibi de rebus divinis, atque huma-

humanis cernitur. Sed aliquid temporis reſtat ad noctem & qualem noctem! Non ea longior fuit, qua eſt Hercules proſeminatus. Reſtat modicum lucis. Egrediundum eſt, viſundi amici, vario ſermone graves horæ eludendæ. Ibi incurvo, ac librato corpore. O ſalve inſperate, quid agitur, & quota hora eſt? Quale frigus pertentat artus? Quid novi affert Germania? Hinc in Pharmacopæum & tabernas librarias. Ibi ſenatus habetur, & quidem legitimus. Quid toto Orbe fiat primum è ſchedula recitatur, (quis non videt fore, ut Pharmacopolæ decoquant ſi pax ſit?) omnes rumores bellici colliguntur, prodigioſæ narrationes diſſipantur. Quid Suecus paret, in conſultationem venit. Quid tandiu Breda victores Batavos moretur. An Celtæ ſint Inſubriam uno ſpiritu difflaturi. Quid trepidet, aut minetur Iberus, anxia diſceptatione diſquiritur. Acies, prælia, duces, Urbium obſidia, arcium expugnationes, principum ſupremæ neceſſitates, non ſimpliciter, ſed per ſectas, & factiones, quîs humano generi velut in arena digladianti, aut favor commodatur, aut odium, & inſectatio, & quidem ab ignavis ac bellorum expertibus, ſolaque lingua ferocibus. Ita & plerique in re capi-

 tali

tali nugantur. Sic altercatione & raucis ſponſionibus abit dies. Venit optata nox quam compotatio & ſomnus dividunt. Lux altera oritur, & denaſcitur, ſic fugiunt menſes, novæque pergunt interire Lunæ, ſic annus in ſe convoluitur, & replicatur. Parcite metu boni viri nimis cito obrepet ſenectus non intellecta, ac tempus hoc, quod vobis ſeculum videbatur, breve momentum abſumet. Non eſt, quod quis injectus reclinatæ ad parietem ſellæ ſemiſupinus, æſtivis caloribus flabello ventulum faciens, oſcitabundus, & pandiculans, & aliquid obiter canens longiſſimarum horarum tædium execretur, quæ nunc vobis vita ſenio gravis eſt olim cum fletu deſeretur, vitaque & mors ſilentio juxta æſtimabitur.

Neque me iſta declamatorio more in majus augere, utinam res ipſa non comprobaret. Plura optimus ſenex dicturus videbatur; & forſan acriora prioribus, niſi Mercurius me templo abduxiſſet. Tunc me ſomnus reliquit, iterumque natum me apud Atlantæos optavi, ubi nulla ſomnia mortalibus viſuntur.

LITE:

LITERATORUM INFELICITAS.

PROLUSIO IX.

DEcimus annus eſt, & quod excurrit, ex quo me Veneta majeſtas in ſuo Athenæo ſuadæ ſacris præfectum juſſit Muſis ac poſteritati vacare. Per id tempus nunquam ego deſtiti, & privatis colloquiis, & publicis adlocutionibus florentiſſimam juventutem ad elegantiorũ literarum cultum Græcæque ac Latinæ facundiæ ſtudium adhortari. Sed quotannis præcipuè ſtudiorum inſtauratione cum futuris laboribus præludimus, & aliquid tanta frequentia, ac clariſſimorum virorum concurſu dignum meditamur, cur eloquentia bonæque literæ deſertæ paſſim jacerent ad diſquiſitionem vocavi. Parentes accuſavi præcipiti feſtinatione liberorum progreſſum corrumpentes. Præceptoribus veluti diem dixi, quod parentum ambitioni, ac propriæ inſcitiæ velificentur, poſtremo in ipſos adoleſcentes Orationis acumen non ſemel diſtrinxi, quod in Academia ferias agant, & dum parentes ad tolerandos ſumptus rem deteriorem faciunt, illi quaſi

quaſi nummi paterna in arca redivivi pullulent, noctem tumultu, diem rixis ac ludis ducant.

Ita nullus hoc anno declamationi locus relictus, tota accuſatio exhauſta eſt. An ergo veterem cantilenam repetam, ſemperque eadem chorda oberrabo? Audite, quid mihi in mentem venerit. Fert animus palinodiam canere, dicta retractare, nec vos de more ad politiorum literarum amorem accendere, ſed, quantum in me erit, dehortari potius, & ab earum ſtudio cultuque abſterrere. Quoties enim mecum ipſe repeto, quam infrugiferæ ſint ſterilesque hæ literæ, quot incommoda ac ludibria ſectatoribus ſuis afferant, quanto in contemptu apud proceres verſentur, ſi qua fides dictorum, & conſiliorum omnium ſera animum pœnitentia ſubit, pudetque ac piget toties vobis earum literarum ſtudium inculcaſſe, in quarum conſecutione maximi labores exhauriendi, Bibliothecarum ſepulchro inſeneſcendum, legitimæ voluptates abdicandæ, abrumpenda vitæ blandimenta, ut demum una paupertas, una miſeriæ, una contemptus confluant, earumque diſcipulos, ac doctores circumſiſtant.

Exhorreſcat profecto neceſſe eſt, quicunque

cunque literatorum infelicitatem varios caſus, ſupremasq; neceſſitates revolvet. Nec lingua modo, ſed mens ipſa refugit hæc Græcis cothurnis aptiora repetere. Non enim unus aut alter ſorte quadam, & fati malignitate, ſed gregatim occurrunt, qui poſt conſumptam literarum laboribus vitam, earundem fructu ægrè ipſam vitam tolerarunt, & aut alienas fores obſidere, aut divitibus adulari coacti ſunt, aut turpi miniſterio alimenta expedire, aut omnium egeni in publica domo inter mendicabula indignantem animam projicere; Et cum rabula, ac ſillabarũ auceps jurgiis, ac clamore diteſcat: cum medicamentarius, cum artium ludicrarum doctores ſuperbi perambulent: cum ſellularius aliquid quotidie lucello apponat, ſoli eruditi, niſi quos, aut avita res, aut aliud artificium ſublevat una cũ literis, & paupertate educantur, ſoli laudantur & frigent: tolluntur ad ſidera, jacentq; : comitati in publicum prodeunt, & ne ſervulum quidem domi, neque arcam, nec cimicem habent: pleno gymnaſio excipiuntur vacuas ædis incolunt: omnia cum ab illis petantur, nihil datur: libri eorum manibus omnium teruntur, ſuppellex digitum ſuſtulit: meliorem exiſtimationem habent, quam veſtem:

plures

plures laudatores numerant, quam nummos: ſalutationibus pleni, inanes loculos referunt: verba dant, & accipiunt: digito monſtrantur neſcio ob ingenium, an ob corporis illuviem: & cum bene laudati domum venerunt, ſæpe incœnati cubitum petunt, credo, ut ſummo mane facilius ad Muſas ſalutandas expergiſcantur.

Sed hæ maximę nugæ ſunt, præut quo pacto fortunæ livor, Regumque inclementia atrocia in eruditos exempla ſemper edidit. Ab Homero principium Muſæ. Is omnis ſapientiæ, atque eruditionis parens, ingeniorum princeps, naturæ indulgentis miraculum, neſcio majori fatorum infamia, an veſtro Pierides rubore ſine re, ſine lare, ac tecto, omnis divinæ, atque humanæ opis egentiſſimus, & ad augendam ſuperum invidiam oculis captus manum porrexit ad ſtipem, ac divini poëmatis partes decantans ad oſtia ægre famem depulit: ut etiam in ipſa morte fortunæ ludos inſtrueret, nã quod jocoſum piſcatorum ænigma ſolvere neſciviſſet mœrore extinctum, haud obſcuri ſcriptores prodiderunt. Forte illi in littore cum mare turbatum ferias daret, aprico Sole alii capturæ intenti fœda indagine demerſa capillis, ac ſordentium

tuni-

tunicarum rugis animalcula quærentes, quæ reperire nollent, viſo Homero per ludibrium vatum maximi tamquam de tripode ſententiam explorant. Nodus Homero vindice dignus hic erat. Quos cæpimus, non habemus, quos non cæpimus, habemus. Sed mendico noſtro facilius fuit mori, quam nexum expedire. Idque unum ludibrio deerat, ut qui pediculorum agmina verminantium toto corpore paverat translata, veluti in animum Phtiriaſi ab iiſdem conficeretur. Quid jam cetera perſequar? Pindarum, Lyricorum Deum, in ephebi gremio expiraſſe: Euripidem, ut ferunt, à canibus laceratum: Pythagoram una cum ſectatoribus infelicibus flammis uſtulatum: Platona inter epulas divinum illum ſpiritum exhalaſſe: Ariſtotelem, quod Euripi naturam non caperet, ſe in eundem conjeciſſe: Demoſthenem, veneno captivitatem effugiſſe: Plautum in piſtrino non hominis operas locaſſe, ſed caballi: Lucrecium amoris poculo in furorem actum: Tullium inimico cervicem præbuiſſe: Ovidium tota barbarie obrutum: Senecam & ejus agnatum Lucanum purpuream animam toto corpore evomuiſſe: Plinii naturæ capax ingenium cineribus obrutum, & ne hîc omnes Li-

bitinæ

bitinæ faſtos excutiam, dicere diſtinctè prætermittam alios dira lue abſumptos: quoſdam veneno ſublatos: hos aquis interceptos: illos penatum ſuorum ruina conſepultos: iſtos ferrum jugulo infeciſſe: illos igne funeratos: plerosque aut pædore carceris exanimatos, aut carnificis manu confectos: nonnullos ſervili dextra, aut uxorum inſidiis occubuiſſe: alios denique, ut egeſtatem, vel contumelias exirent, in ſe vertiſſe rabiem, & vel jacto in præceps corpore, vel transfoſſo pectore, aut aperto jugulo fatis ſatisfeciſſe. Sed ne antiqua nimis repetantur, quis neſcit Nicolaum Francum eliſis laqueo faucibus pependiſſe? Aonium Palearium, Jacobum Bonfadium, Hieronymum Savonarolam publicè crematos? Ut ingentem eorum numerum tranſeam qui capta ab Hiſpanis Duce Gallo Urbe Roma mille mortis generibus, per teterrimos cruciatus expirarunt. Cum ingenioſa barbaries inaudita tormentorum genera excogitaret, ut immania tributa exigeret, ac defoſſi auri confeſſionem exprimeret. Cũ proceres ipſi Aſellis converſa facie impoſiti, ſacrorum veſte excultis militibus facie cæno oblita ſub furcas agerentur; At eruditorum ſervientium turba validos tortores delaſſaret:

ret: & hi quidem admoto igne torrerentur: illi de putei trochlea quaſſati, moxque iiſdem aquis demerſi: magna pars adactis ſub ungues feſtucis excarnificati: minutis vulneribus confecti: candenti ferro vellicati: ferventi adipe plumboq; aduſti: &, quod ne veteres quidem Tyranni excogitarunt, per teſtes, ac generationis membra ſuſpenſi, tandemque vigiliis, algu, inedia exanimati. Vere barbari, vere ſtipites, qui ab eruditis aurum poſcerent, quorum ſoror, ac comes paupertas ſemper fuit, magnaque ſuppellex librorũ ciſtula, putris grabbatus, & luctantes cum tineis chartæ, veſtesq; infelicitatis inſtrumenta. Quorum tam fæde morientium triſte ſolatium fuiſſe exiſtimo, quod viderent ipſos Trojugenas heroes ſuos, vel potius carnifices ærumnarum ſorte ſibi æquatos avaritiæ, ac crudelitatis pœnas, plusquã ipſi vellent, perſolvere. Nolo in univerſum conqueri, non enim præficæ operam locavi, quæ literatorum funere leſſum faciat. Ingratam auribus veſtris hanc næniam non dubito. Sed torquet me atque excruciat, ut nihil de his temporibus loquar, recens eorum memoria, qui nondum expletum fatorum furorem teſtati ſunt. Nam Ludovicus Arioſtus Etruſcus Homerus,

quan-

quantum ab heris ſuis adeptus eſt, quibus ille æternam nominis gloriam comparaverat? Malo ipſum interrogetis ſatyrasq; vetuſtati pares perlegatis, quibus fortunæ ſuæ anguſtias, ac patrimonii tenuitatem, non ſine Dominorum invidia facunde, ac ſalſe miſeratur. At Torquatus Taſſus, Italus Virgilius ab iiſdem, tam illeberaliter exceptus eſt, ut propter hoc credatur, vergente ætate mente everſus, qui ſapientiæ morbus cum paulatim remitteret, ut præparcum Principum ingeniũ ulciſceretur, divinũ opus neſcio an melius immutatum Aldobrandinis inſcripſit, à quibus deſtinatos ſummo vati ſummos honores mors antevertit. Porro Io. Baptiſta Marinus quantũ poëſi lucratus eſt? longo carcere fractus tam propè à ferali pegmate, quam à veterum poëtarum laude fuit. Niſi quod extremis annis propitium Gallicum Cælum habuiſſe viſus eſt; ſed unde unctius caput non retulerit, ut demum in patria majori laude, quam cenſu extingueretur.

Quis vetat in maxime libera terrarum parte libere loqui? Si rectè calculum ponamus, procerũ illiberalitas hæc tropica inſtituit. Fuit quidem tempus, cum nihil honeſtius, nihil fructuoſius fuit, quam vacare literis, ingeniiq; beneficio magnis

capi-

capitibus innoteſcere. Cum orbis domini terrarumq; rectores, utrumque ſolem victoriis emenſi viros doctos, expeditionum comites haberent, regiisque muneribus cultos propè principalis fortunæ faſtigium adſtituerent. Alexander enim hoc uno magni cognomen promeritus inter ſpolia Darii Regis unguentorũ ſcrinio capto pretioſiſſimo librorum Homeri cuſtodiæ deſtinavit. Idem Thebarum direptione Pindari domum intactam ſervari mandavit; Ariſtotelis præceptoris patriam condidit, tantæq; rerum inquit Plinius, claritati tam benignum teſtimonium miſcuit. Quod ſum additurus, vix apud vos fidem inveniet. Apud Athenæum Laurentius vir Romanus de Tetrace ave loquens, ego autem inquit, exiſtimans virum doctiſſimum Ariſtotelem, dignam hanc avem putaſſe, de qua mentionem faceret, cum tractatum illum tot talentis æſtimatum adiiſſem. Nam Stagiritem ipſum octingenta talenta ab Alexandro accepiſſe, fama eſt ob hiſtoriam animalium. Ergo Alexander unum tractatum præceptoris ſui, quadringentis & octoginta millibus florenorum æſtimavit.

Verè in Alexandri Magni comparatione noſtri Principes Reguli ſunt, & , ut ait ille,

ille hominum mendicabula. Quis tamen nunc homini docto quadringentas libras donaret, quis centuſſem? Sola Veneta Reſpubl. ut conſervatæ perpetuo libertatis, unicum poſt homines natos exemplum eſt, ſplendoreque ac magnificentia maximos Reges ſuperavit, ita liberalitate, ac largitione in literarum cultores Principes omnes, ac publicas poteſtates longo intervallo, poſt ſe reliquit. Teſtis unus Sanazarius, cujus tetraſtichon quadringentis aureis penſavit. Ne hic invidenda præmia ponam, quibus ſemper ſummos in omni ſcientiarum genere, viros ex toto Orbe in hoc ſuum Athenæũ evocavit. Ad veteres redeamus ignota ſeculo noſtro, vel potius irriſa exempla. Plinius auctor eſt duos medicos Theombrotum, & Eraſiſtratum alterum Ptolomæo, alterũ Rege Attalo ſanato, utrumque centũ talentis donatum, id eſt ſexagenis millibus florenorum. Tranſeo Auguſtum, & ſeculum illud literatis aureũ, nam auro monumenta vatum pendebantur, cum non herbarum ſterileſcentium ſerta, coronaſque laureas, & oleaginas, ſed auro gemmiſque graves cordatiſſimus principũ largiretur. Ad quam munificentiam tali caſu fortaſſe magis accenſus eſt. Ipſi à palatio deſcendenti epigram-

epigramma porrigere Græculus ſolebat, idque cum ſæpe faceret, Auguſtus aliud epigramma obtulit; & carmen carmine ultus eſt. At vates legere, mirari, vultu ac voce comprobare, tum demiſſa in pauperem fundum manu pauculos nummos principi donavit, adjecto, per tuam fortunam Auguſte, ſi plus haberem, plus darem. Delectatus ille urbanitate non ſtulta centum H S. numerari juſſit, id eſt bis mille quingentos florenos.

At nunc, ſi quis exteris principibus non epigramma, ſed magnum poëma, ſed vaſtæ molis librum inſcribat, & porrigat, aliqui, ne aſpiciunt quidem, & vel in bibliothecam alendis blattis ablegant, vel ad ſellas Patroclianas deportari jubent, bonum factum, quod ipſos auctores in piſtrinum, aut latomias non conjiciunt. Quidnam humaniores expanſa hilariter fronte, atque ore renidenti laudant, ſed laudant tantum. Ut ille, qui Urbis magiſtratum adeptus cum tubicines & æneatores, ad palatii fores diù lætitiæ cauſa cecinisſent, & diſpenſator moneret ipſis aliquid de more donandum, ſordidus ſenex demiſſo per feneſtram capite cepit, tumentibus buccis, quaſi tuba caneret, perflare, ſeque par pari reddere adjecit, hoc eſt ſpiritum, pro ſpiritu, ſive ut ipſe

ipſe loquebatur, flatum pro flatu. Sic & avari proceres pro libris, in quibus tantum verba ſunt, verba dant, laudes pro laudibus, flatum inferni gutturis pro flatu. Nec mirum: magna pars, quid ſibi detur, ignorant. Quare

Frange miſer calamos, meditataque carmina dele,
Qui facis in parva ſublimia carmina cella.

Atqui Veſpaſianus avaritia infamis, reliqua Princeps optimus, primus è fiſco Latinis, Græcisque Rhetoribus annua centena conſtituit, id eſt, bis mille & quingentos florenos. Idem ſenex parciſſimus, & ab lotio vectigal exigens Saleio Baſſo poëtæ D. H S. donavit, id eſt, duodecim millia, & quingentos florenos, quanti nunc literati omnes cum ipſa Academia redimantur.

Hanc veterum liberalitatem aliquot ſecuti Principes æmulati ſunt, ſed numero tot, quot

Thebarum porta aut divitis oſtia Nili.

Laurentius, Coſmusque Medicæi, Leo X. Matthias Corvinus, Franciſcus I. Gallorum Rex, & ante omnes Veneta Reſpublica. Sed eorum, qui eruditos mille modis vexarunt, & ad egeſtatem ac famem compulerunt, iniri numerus

non

non poteſt. Sed ne in immenſum Oratio excurrat inſigni exemplo contentus ero. Vos crimine ab uno diſcite omnes. Majorum noſtrorum memoria ſacrorum Rex, reliqua fortaſſe ter ſanctus piusque, verum literarum ac literatorum oſor, ne dicam peſtis, ac pernicies. Et quo magis ſubagreſte, lividumque hominis ingenium innoteſceret flos eruditorum ea tempeſtate fuit. Inter quos Platina, Pomponius Lætus, Callimachus, Pontanus, Sabellicus, Sannazarius eminebant. Hi ad propagandas bonas literas ſodalitium Romæ inſtituerant, & quicumq; in eum cætum aſcribebatur, veterum ingeniorum illuſtria nomina ad æmulandum decus aſſumebat. Ita Bartholomæus Saccus, ſive ab hoc inſtituto, ſive aliunde Platina eſt dictus, Julius Sanſeverinus Pomponii Læti cognomen aſſumpſit, Filippus Geminianus Callimachi, Jacobus Pontanus Joviani titulo gaudebat, M. Antonius Coccius Sabellici, Jacobus Sannazarius Actii Sinceri cognomento nobilis fuit. Ea nominum novitate populorum paſtor, offenſus quaſi occultæ conſpirationis, teſſera eſſet Platinam, & Callimachum tamquam impios, ac maleficos tormentis excruciavit; Pomponium Lætum Venetiis ad dicendam cau-

 ſam

ſam in Urbem pertractum, nunquam tamen adige.. potuit, ut falſa, aut ſe indigna fateretur: ſed in nullum atrocius, quã in Platinam ſæviit. Nam cum initio regni Abbreviatorum ordinem ſuſtuliſſet, inter quos & Platina, qui indè ad paupertatem redactus cum ſæpe queſtus, ſemperq; inauditus, ac rejectus dolore amens cum neſcio quam Concilii mentionem injeciſſet, craſſis compedibus vinctus in turrim ventis ac tempeſtatibus perviam hiberno tempore conjectus, quatuor menſium ſpatio eam calamitatem tulit, quod plusquam herus ſaperet, donec Cardinalis Gonzaghæ accuratiſſimis precibus tegeretur. Sed non ita multo poſt ob inanẽ ſuſpicionem, iterum tormentis ad mortem fere laceratus eſt. Nam cum falſo rumore delatus fuiſſet Callimachus umbraticus vir, inermis, & abdomine tardus adverſus ſacrorum Regem conſpiraſſe, jamque multos aſſeclas habere, & ad Urbem perdendam, resque immutandas feſtinare: iterũ Platina in vincula conjectus eſt, tanquam conſpirationis ſocius, & mandata quæſtione Vicecancellario cuidam in Adriani mole, primùm homo ſacris initiatus, & ſi quis alius umquam optime de ſacrorum regimine meritus, omni veſte nudatus raptusq; in ſub-

lime

lime demiſſo fune diu multumque quaſſatur. Quo tamquam ludicro ſpectaculo quæſitor torquem aureũ Præfecti lictorum attrectans rogitat, unde illũ habeat, & an amicæ munuſculum ſit, multumq; de amoribus ſuis confabulatus convertitur ad pendentem Platinam, jubetq; populares conjurationis edere, & quia forte Pomponius Venetiis ad Platinã ſcribens ſanctum Patrem appellaverat, ſubjicit ipſum ſacrorum dominum deſtinatum. Quibus ille conſtanter refutatis ſemivivus, in lectum fertur, ubi fractis oſſibus, totoque pectore convulſo, cum manum ori admovere non poſſet, fame periiſſet, niſi qui eodem carcere attinebantur alimenta porrexiſſent. Iam ſummus ſacerdotum, omnia vana ac falſa compererat, totque viros inſontes iniquè excruciatos intelligebat, ſed ne levitatis, aut ſævitiæ incuſaretur, in eodem conſilio perſeveravit; huncque & Pomponium ob nominis mutationem, quodque Platonem divinum appellaſſet tamquam impios, & nefarii dogmatis convictos longo, ac diro carcere maceravit.

Quid nunc in Urbe, aut alibi fiat haud ſcio, nec ſi ſciam, dicere auſim, ita res lubrica eſt. Putatis vos inter has principum ſordes, ac ſævitiam vigere bonas literas,

aut gradum aliquem obtinere poſſe? Sed privati homines quoque optimatum ingenium æmulantur, remque eſſe regiam exiſtimant, literas elegantiores contemnere. Ita ſomnia nunc jure videbuntur, & anicularum deliramenta, quę ſummi ſcriptores prodiderunt. Viginti talentis unã orationem ab Iſocrate venditam, ut auctor eſt Plinius, id eſt, florenorum duodecim millibus. Idem tradit Gorgiam Leontinum hominum primum auream ſtatuam ſolidam Delphis in templo poſuiſſe. Iſocrates orationem unam in Urbe eruditorũ plenâ tanti vendere potuit? Dî me perdant, ſi quis nunc bene magnã orationem duodecim libris æſtimarit, & fortaſſe non injuria, quia ne duodecim quidem aſſibus fortaſſe digna. Ita nulla vilior nunc, quam literarum annona. Cujus rei argumentum domi capere poſſumus, ne foris conjecturam quæramus. Nam cuicunque has literulas profeſſo quotidie aliquid negotii, etiam ab ignotis objicitur. Hic præfationem poſtulat, ille epiſtolam nuncupatoriam: ille pro Doctoris inſignibus gratiarum actiones, hic funebrem laudationem: elogia quotidie etiam convitio extunduntur, nemo jam moritur, ut non parata crux ſit ad mortis carmen pangendum, eſt qui epi-
ſtolæ

ſtolæ amatoriæ argumentum petere audet, & alieno ingenio inſanire. Inſtant typographi, bibliopolæ, pictores. Nemo caminum, aut culinam pingit, qui non emblemma, ac breve dictũ poſtulet. Dii benè, qui nos teneræ frontis fecerunt. Nulli negare ſcimus, aut poſſumus. Orãt, morantur, flagitant & tantum non pro imperio agunt, unum diem alterumve, quidam & horas præſcribunt, quaſi tam facile ſit aliquid duraturũ çudere, quam pyrum volpes comeſt. Nec deſunt, qui cenſuram adhibeant, & quædam ſibi placere, quædam tollenda indicent, alii de longitudine, alii de brevitate queruntur. O miſeros, quibus hæc quotidie devoranda ſunt.

Hæc tamẽ tædia, has indignitates largientium liberalitas rependit. O ſeri ſtudiorum! Ægyptii judicem ſine manibus formarunt, ne quid poſſet accipere. Eruditus, ſi centimanus eſſet, nihil tangeret, ac nę videret quidem, ſi oculeus totus. Omnes gratias agunt, & reducto bis terque pede corpus inclinantes, poſtquam adorationem peregerunt Domine, aiunt, Tu quoque nobis impera. At Doctor, quid aliud ego imperem, niſi ut habeatis bonã mentem? Non unum tacite exprobrantẽ audio. Siccine muſarum ſacra proſtituis,

 literas-

literasque auctionaris? Non te pudet ſordium? Atqui non pudet Juris oracula pro reſponſis pretio decidere, & laurum auro pendere: non pudet Æſculapii filios pro ſalute paciſci: non pudet Aſtronomos mortalium fata licitari, & res quoq; olim futuras ad mercatum vocare: pudebit oratorem quaſi lex Cincia reducta ſit, ob orandum præmium capere? Ipſi ſacricolæ, ne gratis quidem mortuis parentant, ac funebre carmen modulantur, qui brevi elogio mortui memoriam extendit in ævum, is præmio carebit? O ſeclum ſordidum, ô iniqua ingenia, ô literas ſteriles & infrugiferas!

Sed quorſum tendit tam invidioſa Declamatio? Damnabimus ob hoc bonas literas? Næ illæ nimis proſcriptæ, ac proturbatæ ſunt, nedum noſtro præjudicio opprimantur. Quid autem nos poſtea? ludum intercludemus, aliamque artem profitebimur? Ne Dii hoc ſirint, nobiliſſimi Juvenes. Quid ergo? Ita has literas complectamur, ut cum Juris prudentia, cum Medicina conjungamus. Hoc modo artibus, ac diſciplinis unicum hoc decus addemus: noſtræ literæ ſcientias, atque artes à barbarie, atque irriſu, illæ amæniora ſtudia ab inopia defendent.

IOAN-

IOANNIS SANGENESII,

De

PARNASSO,

& finitimis locis.

LIBRI DVO.

Ad Nobiliſsimum & Illuſtriſsimum

V I R V M

ALEXANDRUM DELBENUM.

Nobiliſſimo & Illuſtriſſimo viro,

ALEXANDRO DELBENO

IOANNES SANGENESIUS.

MITTO tibi, Nobiliſſime DELBENE, Parnaſſi Hiſtoriam, cui vereor ne fidem derogent verſus mei. Ex illorum inelegantiâ me aut nunquam omninò, aut non diu certè in Parnaſſo fuiſſe judicabis.

IOAN. SANGENESII, DE PARNASSO. LIBERI I.

PRÆFATIO.

PARNASSUS tot ſeculorum ſpatio à doctis hominibus frequentatus, ex illorum ſcriptis parùm cognoſcitur. Nemo veterum Poëtarum, quid illîc vidiſſet, nuntiarat: recenti memoriâ Cæſar Caporalis Italus, & Michaël Ceruanteſius Hiſpanus, ſuas in eum locum peregrinationes litteris mandarunt: quos ætate conſequutus Trajanus Boccalinus Collectaneorum Parnaſſiorum librum reliquit. Sed ſcriptor Hiſpanus Poëtas Hiſpanos, à ſe in Parnaſſo cognitos celebravit, & multus ſanè fuit in popularium ſuorum laudibus explicandis; cætera leviter, ac ſummatim attigit; communi peregrinantium vitio, qui in regionibus exteris ſuæ nationis homines quærunt, quibuſcum aſſiduè verſentur, cæteros negligunt. Caporalis, & Boccalinus res narrant, ita non ſolùm falſas, quod in Poëta minimè mirarer, ſed à veriſimili alie-

alienas, & abſurdas: ut juſta ſuſpicandi cauſa ſit, illos in Parnaſſum nunquam omnino pedem intuliſſe. Nullam Montis celeberrimi veram, atque expreſſam deſcriptionem habemus: nihil ſcriptum extat, quod quidem legerim, neque de naturâ loci, neque de moribus incolarum. Ego cum illûc veniſſem, notavi omnia, quæ mihi patuerunt, quantùm potui, diligenter: quæ autem mihi videre non licuit, neque enim diu manſi, neque multa vidi, ea ab iis, qui vidiſſent, audita memoriæ tradidi. Quæ ſi litteris conſignata in publicum proferrem, operæ pretium me facturum exiſtimavi.

DE PAR-

DE PARNASSO MONTE.

CAPUT I.

MOns eſt Parnaſſus in Phocide, Græciæ regione, altiſſimus, & nubes attingens duobus cacuminibus. Cacumina hæc ab Hiſtoricis, & Geographis quibuſdã, qui ea non viderunt, Tithoræum, & Hyantæum appellantur, appellatione Poëtarum auribus peregrinâ, & planè inauditâ. A Servio Grammatico Helicon, & Cytheron nominantur, quæ nomina ſunt diverſorum Montium, quorũ alter diſtat à Parnaſſo paſſuum millibus quindecim, alter triginta. Poëtæ, loci incolæ, juga Parnaſſi duo Cyrrham, & Nyſam vocant. Nec verò mirum videri debet, tantam eſſe inter doctos homines controverſiam de Montis hujus cacuminibus, quæ tã pauci mortales attigerunt. Vix unus, aut alter ſingulis ſeculis illûc pervenit: reliqui in media rupe conſiſtunt, aut ad infimas radices totâ vitâ hærent. Aſcenditur Mons arduus ſemitis perangûſtis, quæ vix homini patent ſingulari, & crebris voraginibus interrumpuntur: ità, ut longiſſimo circuitu opus

ſit,& duce perito, qui peregrinos circum-ducat. Labori periculum additur: multi enim vertigine obortâ, aut fallente veſtigio labuntur: alii ab Apolline, & Muſis, eò quòd illis invitis conentur ad cacumē evadere, præcipites aguntur, & furcillis, ſaxisque dejiciuntur. Percuſſi, vulneratique ex eâ plagâ totâ vitâ laborant: rari convaleſcunt. Atq; hi ſunt, qui Muſopatagi, & Muſopatactæ nominantur. Quo in nomine docti quidam viri, inter quos Cicero fuit, graviter errarunt: qui exiſtimaverint Muſopatactas Poëtas eſſe, furore Poëtico concitatos; id, quod longè ſecus eſt. Sunt Muſopatactæ homines ex natione Pædagogorū, ingeniis hebetes, neque ad carmen, neque ad ullum omninò liberale ſtudium idonei, Muſis odioſi, & illis uſi iratis, ut ex ipsâ percuſſione apparet. A furore illorum, quæ mera eſt inſania, toto genere diſtat furor Poëticus, ſacer, & divinus, non cadens niſi in homines ingenioſos, qui à peritis, non Muſopatagi, nec Muſopatactæ, ſed honeſtiore vocabulo Enthei, Phœbolepti, & Maſolepti nuncupantur. Sed de his dictum eſt hoc loco ſatis.

Ad ſuprema Parnaſſi juga pervenientibus præmia proponuntur lauri, aut hederæ. Qui ad Cyrrham divertunt, lauros

ferunt: qui Nyſam petunt, hederas legũt, quæ ex eo loco Nyſiæ appellantur: genus hederæ non ignotũ Plinio, qui Hiſtoriæ Naturalis lib.16.cap.34. hederarum genera perſequens; Alicui, inquit, ſemen nigrum, alii crocatum, cujus coronis Poëtæ utuntur, foliis minus nigris, quã quidam Nyſiam, alii Bacchicam vocant, maximis inter nigras corymbis. Hæc ſunt verba Plinii, formam & colorem hujuſce hederæ optimè deſcribentis, naturam ignorantis, quæ à cæteris hederæ generibus hôc differt, quòd aliæ ſatis nocent, hæc amica eſt, & arbores, quibus implicatur, tuetur, ac protegit. Id ſi Plinius intellexiſſet, non fuiſſet admiratus, honorem hederis haberi.

Præter hederam, & laurum, quibus Parnaſſi juga veſtiuntur, innumerabilia in Monte toto plantarum, atq; arborum genera naſcuntur, admirabili ſoli varietate. Illîc enim ferax amœnaque humus eſt; hîc ſteriles ſunt, atq; horridæ cautes, & hirta ſpinis dumeta. Ex arboribus poma exiſtunt ſaporis exquiſitiſſimi, ex plãtis flores ad aſpectum pulcherrimi, ad odoratum ſuaviſſimi: herbæ ad medicinã utiles: inter has Moly, & Panacæa, quæ vix alibi, quàm in Parnaſſo, ac ne vix quidem inveniuntur. Sunt qui in montis viſce-

viſceribus naſci aurum, & occultos theſauros ſubeſſe arbitrentur, nec fodere ceſſent, inani ſpe ducti. Gemmulæ quædam reperiuntur, quæ ab incolis cognoſcuntur, & magni æſtimantur; exportatæ pretium non habent, nec emptorem facile inveniunt, neque earum quidem magna copia eſt; ſed pro his complures aliæ adulterinæ, & factitiæ imperitis, & cognoſcendi expertibus comparantur.

DE TEMPLO MEMORIÆ.

CAPUT II.

IN eo Montis jugo, quod Cirrham apellari docuimus, ſitum eſt Mnemoſynes, hoc eſt, Memoriæ, Muſarũ Matris, Templum, templorum omnium celeberrimũ, & vetuſtiſſimum: cujus adeundi causâ, qui in Parnaſſum peregrinantur, tantos labores ſuſcipiunt, & in quo Virorum illuſtrium nomina inſculpta leguntur. Illud quicumq; à Parnaſſo redeunt ſe adiiſſe gloriantur, atque in illius adyta penetraſſe. Ego in illud nunquam intraſſe me confiteor, ac ne limina quidem ſalutaſſe: ſed id ab homine, qui vidit, & luſtravit, quale ſit, accepi, atq; ejus imaginem animo comprehenſam verſibus expreſſi; quam, qui volet, inſpicere poterit in Idyllio-

liorum meorum primo. Inchoatum fuit hoc nobile ædificium ab Apolline & Muſis, nec abſolutum adhûc à Poëtis continuatur, qui idē Templi Sacerdotes ſunt, & Architecti. Quemadmodū enim Thebana mœnia ab Amphione ad lyræ ſonū ædificata accepimus, ita Templum hoc à Poëtis concinentibus, cytharasque pulſantibus perficitur, atq; exornatur. Perpetuum, & ab omni annorum, atq; hominū injuriâ tutum prædicatur, falsò: ex materiâ conſtat omnium, quæ ubiq; ſunt maximè firmâ, atq; durabili, non tamē æternâ neq; inviolabili, ut declarant ingentes ruïnæ, damnaq; accepta à Gothis, olim Muſarum acerrimis hoſtibus, nunc fideliſſimis amicis, fœdere per Chriſtianam Reginam inito. Hujus Reginæ Legati cū Parnaſſum acceſſiſſent, donaq; ampliſſima attuliſſent, & dominæ ſuæ verbis propoſuiſſent, eam Muſis factas à majoribus ſuis injurias beneficiis ſuis delere, & detrimenta impenſis ſuis ſarcire velle; liberaliſſimum, & honorificentiſſimum diploma retulerunt, quo & clariſſima Regina Parnaſſi patrona, & Gothica gens, non jam Muſis hoſtis, ſed ſocia, amiciſſima, conjunctiſſimaque pronuntiatur.

DE

DE FONTE CASTALIO & Hippocrene.

CAPUT III.

FOntes duo Poëtarum ſcriptis nobiles ex Parnaſſi radicibus, & finitimâ regione manant, Caſtalius, qui ex Parnaſſo oritur, & Hippocrene, ſive Aganippe, ex equi Pegaſi ungulâ originem, & nomen trahens, qui ex Heliconis rupibus fluit. Hi duo fontes aquarũ aſpectu, & ſuſurro quemlibet poſſunt delectare; ſunt enim in loco neq; arduo, neq; abſtruſo ſiti: ſed aquas paucis licet deguſtare. Stant illarũ cuſtodes, & diſpenſatores in crepidinibus fontiũ, adoleſcentes eximiâ, divinâq; formâ præditi, ſed ingeniis difficiles, & moroſi, Genios vocant. Hi paucis quibuſdam, ex magnâ turbâ ſelectis amici, & blandi pocula abundè & liberaliter largiuntur: atque hos ultrò ad bibendum provocant, vel invitos. Cæteros arcent, & propellunt à fontibus duri, & inexorabiles, aut aquas parcè in brevibus, & anguſtis guttulis guſtandas præbent, & guſtatim inſtillant. Sapore inter ſe differunt aquæ: Caſtalia mel dulcedine ſuperat: Hippocrenæa ex vicinis Heliconis rupibus ramenta ſalis, & ſalſedinẽ trahit. Hæc acres, atq; mordaces: illa teneros, & ſua-

& ſuaves Poëtas efficit. Utraq; naturâ calida eſt, eâq; qui ſe onerant, perinde ac vino gravati cerebris inflammatis in ebrietatem incidunt: quâ correpti, etſi non abſurda, quemadmodum vinolenti, verba effutiant, ſed rationi maximè conſentanea loquantur; corporis tamen habitu, geſtu, vultuq; incompoſito, oculis diſtortis, ac vagis, aut aliquo in loco temerè fixis, capitibus obſtipis, attoniti, cogitabundi, taciti, aut ſoli ſecũ loquentes, manifeſta mentis conturbatę ſigna præ ſe ferunt. Quamobrem adhibenda eſt cautio, & tenenda aliqua in bibendis celebribus aquis ratio, quæ ita præſcribitur. Sumantur horis matutinis, maximeq;, ſi fieri poteſt, antelucanis: ſtatim poſt ſomnũ ſtomacho jejuno, crapulâ certè nõ oppreſſo. Poſt potionem unam aut alteram, antequam ad fontes redeatur, temporis ſpatiũ aliquod interponatur, exercitatio capiatur; ſolitudo, meditatioq; fugiatur; conventus hominum frequententur; ad negotia vel publica, vel privata diſcedatur; ut agitatione concoquatur humor, & vapores in cerebrum excitati diſcutiantur. Attendenda eſt inprimis cujusq; natura, & capitis conſtitutio; idem enim has aquas haurientibus evenire uſu ſolet, ac vini potorib⁹, ut alii uno poculo graventur,

tur, alii multa pocula mentibus integris hauriant. Qui autem habita ratione viriũ his prudenter utetur, magnas percipiet utilitates: habent enim hæ perinde atq; aliæ fontanæ aquæ vires occultas, medicas, & ſalutares. Ad ægritudinis levationẽ valent: curas relaxant: ſpiritus ferociores mitigant: calorem excitant divinum illum, qui dicitur Enthuſiaſmus, nõ Poëtis ſolum, ſed iis omnibus, qui ſe ad ſcribendum applicant, neceſſarium; avaritiei medentur: rerum vilium faſtidium pariunt: honeſtarũ appetitum movent: ad labores ingenuos robur incredibile afferunt: ita ut illarum potione confirmati homines per aſperas cautes, & invia ſaxa Parnaſſi celeriter, atq; intrepidè gradiantur, & quaſi alis ſumptis ad cacumen evolent: dum alii ſudantes, atque anhelantes, & multorum amicorum manibus ſublevati aſſurgere non poſſunt, nec digitum unum progredi.

DE FLVMINE PERMESSO.

CAPUT IV.

PErmeſſus Bœotiæ fluvius ex Heliconis radicibus oritur. Ab Hippocrene fonte, qui in illum influit, vim trahens, ejusq; naturæ particeps nonnihil alacritatis ad canendum affert bibentibus, &

ſcribendi pruriginem iis, qui ipſius aquâ manus lavant. Navigatur compluribus cymbis, atq; lintribus vocalibus, & navi Argo conſimilibus, Poëtis remos ad tibiæ, citharæque pulſum moderantibus.

DE STAGNO PEGASEO.

CAPUT V.

STagnum Pegaſeum Plinius ſcribit circa Epheſum, Ioniæ urbẽ, eſſe, ſed longiſſimè abeſt. Sub extremis Heliconis radicibus jacet, infrà Hippocrenẽ, quò congregatur Anſerũ multitudo infinita, Cygnis obſtrepens Hippocrenæis. Non ungulæ ictu, ut Feſtus exiſtimavit, apertum fuit hoc Stagnum. Ex Pegaſi urinâ natũ veriſimilius quidam narrant. Alii ex hujus equi laborantis, ac fatigati ſudore, atque illuvie ortum eſſe affirmant, & ranis abundare ex illâ putri materiâ natis: quæ opinio eſt hominis res Parnaſſias optimè cognoſcentis, Ioannis Saraceni.

DE NEMORE HELICONIO & vicinis Sylvis.

CAPUT VI.

INter Montem Heliconem, & Permeſſum fluvium nemus eſt Heliconium, Muſis gratiſſimum, cum propter amœnitatem loci, tum propter amorem natalis

ſoli:

ſoli: natæ enim, atq; educatæ fuerunt in hoc nemore Muſæ. Itaque cunas ſuas libenter viſitant, & ſub arboribus choreas agunt: ſunt autem arbores hæ Dodonæis mirabiliores: vocem enim emittunt muſicam, ac modulatã, & ventis ramos pulſantibus concentus edunt ſonorum varietate mirabiles; teneris virgultis, atque arbuſculis acutum, puerorũ inſtar, emittentibus ſonum; annoſis, proceriſque arboribus gravem. Horum trunci nominibus complentur in cortice inſcriptis: ſunt autem iſta nomina fœminarum à Poëtis adamatarum cum amatorum ſuorum nominibus conjuncta. Battidis, & Philetæ: Saphus, & Phaonis: Lycoridis, & Galli: Lesbiæ, & Catulli: Deliæ, Neæræ, Nemeſis, & Tibulli: Cynthiæ & Propertii: Corinnæ & Ovidii: Biſſulæ & Auſonii: Lauræ & Petrarchæ.

Præter hoc antiquiſſimũ Nemus ſunt aliæ ætate inferiores Sylvæ, Poëtarum manu conſitæ; inter quas eminent Statianæ, truncis arborum proceræ, ramorũ ſtrepitu moleſtæ. Ex his propagine ductâ multas variis temporibus arbores eruditi viri ſeverunt. Quo in numero vir acerrimi judicii, Andræas Naugerius cùm eſſet, & animadverteret hujuſmodi arborum umbram bonis frugibus obeſſe,

eſſe, ſuâ manu conſitas excidit, atque in ignem conjecit.

DE PARNASSI ANIMALIBVS.
CAPUT VIII.

AD Hippocrenes & Caſtalii fontis oras, atq; utramque Permeſſi fluminis ripam Cygnorum frequentia eſt. Stagnum Pegaſeum, ut ſuperius demonſtravimus, Anſerũ multitudine completur. Auribus canoris cujusq; generis onerantur ſingulę Phocidis arbores, omni anni tempore: ſed præter communia cæteris terris genera genus eſt avium Parnaſſiarum in dumetis, & fruticetis copioſiſſimum, Pithecodę appellantur, quæ vox, ſi Latinè interpretemur, Simias canoras ſignificat. Hæ nullum proprium habent cantum, nec hiſcere poſſunt, niſi aliã audiverint avem, quã ſequantur. Aliæ luſcinias, aliæ cardueles, aliæ merulas, aliæ alias imitantur: ita tamẽ, ut aves cantibus aſſuetæ diſcrimen facilè internoſcant.

Per abruptas Parnaſſi atq; Heliconis cautes, ſine cæſpitatione vagatur equus pennatus Pegaſus, docilem ſe, & placidũ ejus Regionis Proceribus, ac principibus Viris præbens. Ad eorum vocem conſiſtit, & facile regitur virgâ laureâ: amicos etiam vehit excellentium Poëtarum, eorum

rum tergis hærentes: mediocres Poëtas ad ſe non patitur accedere, calcibus infeſtus quaternis, & nihil in ſenectute extremâ de ferocitate remittens.

Sub infimâ Parnaſſi radice, in planis locis, atque convallibus Aſini ſunt, qui Grammatophori appellantur, aliarum regionum Aſinis majores; quibus regionis incolæ ſarcinas graviſſimas imponunt. Hos Poëtæ narrant homines fuiſſe laborioſos, quos Apollo, Muſæq; iratæ, quod ſe invitis Montem ſacrum ſubire conarentur, in animalia converterint. Horum alii mites ſunt, ac manſueti: parent agaſonibus: quovis aguntur, etiam in præcipitia: & cujuſcumque vel hominis, vel pecudis veſtigia viderint, nullâ morâ interpoſitâ ſequuntur. Alii difficilius quàm equi domantur, refractarii, calcitrones, ſuccuſſores, & Mulorum inſtar cerebroſi. Obvios dentibus appetunt: nec ducem, nec agaſonem, nec equitem patiuntur. Onere tamen gaudent, quo cùm premuntur, non demittunt aures more communi Aſinorum, ſed vehementius attollunt, & clitellis ſuſceptis laſciviunt.

IOAN-

IOAN. SANGENESII, DE PARNASSO, & finitimis locis.

LIBER SECUNDUS.

DE PARNASSI POPVLIS.

CAPUT I.

PArnaſſum antiquitus Græci, ſi Bardos & Druïdas, Gallorum colonias excipiamus, ſoli habitarũt, in multos Choros, quaſi Tribus, aut Provincias diſtributi. De Chororum numero inter Scriptores non conſtat. Alii ſex numerant, Heroïcos, Tragicos, Comicos, Melicos, Satyricos, Choriambicos: alii octo; Epicos, ſive Dactylicos, Epigrammatarios, Iambicos, Lyricos, Tragicos, Satyricos, Comicos, Mimos: alii undecim Heroïcos, Lyricos, Dithyrambicos, Iambicos, Elegiacos, Epigrãmatographos, Anathematicos, Hymnographos, Epithalamiographos, Aſmatographos, Monodos: quibus addunt alii Cyclicos, Parodos, Scholiaſtas, Bucolicos, Sillographos, Ithyphallicos, Ethologos. Quidam commodius meâ ſententiâ tres Choros majores numerant, Epicorũ, Drama-

Dramaticorum, & Lyricorum, qui cæteros minores Choros continent, ſicut in Tribu Centuriæ, in Provinciâ Civitates continentur. Qui hunc poſtremum ordinem ſequuntur, Epicos dicunt eam Parnaſſi habitaſſe partem, quæ Cyrrhæ jugo ſubjacet: Dramaticos cum Satyricis, Dithyrambicis, Ethologis, Mimis, ſub Nyſæ jugo conſtitiſſe: Lyricos cum Elegiacis, & Epigrammatographis medium ſpatium expleviſſe. Græcis in hunc modum diſtributis, cùm Parnaſſum annorũ plus, quàm milliũ ſpatio tenuiſſent, Latini ſucceſſere; qui initio quaſi hoſpites, & peregrini à Græcis ſuſcepti, & illorum præſidio freti, opibusque ſublevati, tantùm deinde ſibi roboris atque authoritatis ſumpſerunt, ut indigenas loco pellerent: & quemadmodum in cæteris Orbis terrarũ partibus, ſic etiã in Parnaſſo dominarentur, Græcis in anguſtum ſanè ſpatium, & Montis angulum compactis. Poſteà & Græcos, & Latinos Barbari ejecerũt. Deſertus atque incultus multis ſeculis fuit Parnaſſus, Gothis, Hunnis, Vandalis omnes ad eum aditus intercludentibus: quibus tandẽ aliquando depulſis, & diſſipatis habitari denuò, frequentariq; cœpit Mons inclytus, in regiones duas diviſus; quarum altera vetus Parnaſſus, altera novus

vus Parnaſſus appellata eſt, Parnaſſū novum incolunt Poëtæ, qui vernaculi nominantur. Hi convenæ ſunt ex diverſis terrarū Orbis partibus congregati, nationatimq; diſtributi. Regionis hujus partes maximæ tres tribus Europæ Nationibus obtigere, Italis, Gallis, & Hiſpanis. Italorum cultiſſima, & frequentiſſima Provincia eſt, colonis in eā ex omni propemodum Italiç oppido deductis. Coloniarum nomina ſunt hæc; Adagiati, Adormentati, Affidati, Ardentes, Aſſorditi, Caliginoſi, Catenati, Cruſcani, Diſuniti, Humoriſti, Humoroſi, Immobiles, Inſenſati, Intronati, Invaghiti, Lyncæi, Naſcoſti, Obſtinati, Occulti, Olympici, Orditi, Oſcari, Otioſi, Perſeverantes, Phantaſtici, Philharmonici, Philomathi, Philoponi, Raffrontati, Ricourati. His Italicis colonis aſſignatæ ſedes, non civitates, nec oppida, ſed Academiæ nominantur. Hiſpanis nulla eſt Academia, Gallis unica; ſed colonorum dignitate, & numero pluribus antecellens. Vetus Parnaſſus ab iiſdē, quibus novus Nationibus frequentatur, quæ à novis colonis duntaxat linguâ differunt. Provincias habent omninò duas, Græcam, & Latinam. Latina dividitur in partes duas, Latium ſuperius & inferius. Inferius totum à Pædagogis occupatur,

 & ha-

& habitatur frequentiſſimè. Græca non frequentatur, nec incolarũ numero creſcit, rarumq; intercedit inter ejus incolas, & Parnaſſianos cæteros commerciũ: ità ut vix à vicinis ſuis Latinis cognoſcantur. Utriusque Parnaſſi incolæ nullas domos habent, nec Peregrini diverſoria. More aurei ſeculi, ſub dio, in antris, nemoribus, convallibus, fluminis fontisq; ripis conſident, & vitã cantu traducunt. Senes æquè ac juvenes Muſicæ dant operam. Fœminæ apud eos præter Muſas raræ videntur, nec ſatis integrâ famâ verſantur inter homines in libidinẽ pronos, & amori deditos, cujuſmodi ſunt Parnaſſiani. Abhorrent tamen à re uxoriâ; cœlibe vitâ, & libero lectulo delectantur. Sunt qui à Parnaſſo nuſquam diſcedant, ejus rupibus affixi, ſicut Prometheus Caucaſo: & Caſtaliâ aquâ epotâ, quaſi lethem biberint, nec patriæ, nec parentũ, nec liberorũ, nec domus, nec agri recordentur. Sunt qui ex intervallo Parnaſſum repetant, & crebris peregrinationibus utantur. Qui vivi Muſas pro dignitate coluerunt, & primas in Parnaſſo ſedes tenuere, eaſdem retĩnent mortui, & cum vivis confabulantur. Pro Elyſiis campis Parnaſſum colunt, ubi jucundior illis eſt commoratio. Monendus autẽ lector eſt, ante-

antequam hoc caput concludamus Parnaſſiorum colonorum,quos commemoravimus, partem maximam in radicibus ſedē ſtatuiſſe. Superiora Montis non frequentantur,& plenà ſunt ſolitudinū multis in locis,propter itineris difficultatem & viarum anguſtias.Quod facilius intelligent ex Tabulâ Geographicâ, quam propediem edituri ſumus, à quâ Parnaſſi Deſcriptio & Regionis cujusque ſitus oculis ſubjicietur.

DE PARNASSI Rerum ſtatu, & Regnis.

CAP. II.

SIngulis Nationibus, quæ Parnaſſum incolunt,Reges ſinguli præſunt, quorum authoritas regni ſui finibus terminatur, præterquàm Græcorum, & Latinorum Regum,à quibus cæteri Principes pendent, & veluti fiduciariam obtinent poteſtatem. Horum omnium regna perſequi ſingillatim non poſſumus,eò quòd à nobis pleraq; ignorentur. Quinq; tantùm maxima,Græcum, Latinum, Gallicum, Italicum, Hiſpanum, quæ nobis partim viſu, partim auditione & famâ nota ſunt, pro ingenii noſtri mediocritate explicabimus.

Græcis, qui antiquitùs totum Parnaſ-

ſum occupabant, nunc veteris Parnaſſi tantùm partem obtinent, præeſt Homerus. Is Poëtarum primus regium nomen uſurpavit, & ſatellites duxit, qui Rhabdodi, & Rhapſodi nominantur. Horum alii croceos, alii rubros ſcipiones præferunt: hi Iliadem, illi Odyſſæam, Regis ſui Poëmata præcinentes. Regnavit divinus ſenex ad hanc uſq; ætatem, annorũ pluſquam duorum milliũ ſpatio, ſummâ Populorum conſenſione, & concordiâ. Nec repertus eſt tanto intervallo quiſquam, qui ejus imperia violaverit, aut majeſtatẽ contempſerit, præter unũ omnino, Zoïlum, Homeromaſtigem nuncupatum, cui non impune fuit, quod Regis optimi ſtatuam verberaſſet. Alii inediâ enectum, alii lapidatum, alii in crucem actum, alii vivum igne crematum memoriæ prodidêre: tanta fuit in Græcis Populis erga principem Poëtam reverentia.

Apud Latinos, qui alteram veteris Parnaſſi partẽ incolunt, res minus tranquillę fuerunt. Auguſto Cæſare Romæ imperante, Parnaſſi gubernacula ſuſceperat P. Virgilius Maro. Re Poëticâ Latinâ ordinatâ, & in Regni formam redactâ, dominabatur, in Epicorum Choro, ſeu Provincia reſidens. Ejus Amici ſub ejus imperio, atq; authoritate reliquas Provincias admini-

miniſtrabant. Horatius Flaccus duas obtinebat, Lyricorum, & Satyricorum. Elegiacos Quatuorviri regebant, Cornelius Gallus, Albius Tibullus, Aulus Propertius. P. Ovidius Naſo. Epigrammatographis P. Valerius Catullus, & Dramaticis Terentius Afer; ante Virgilii dominatum præfecti, in Provinciis manebant. Poſt Auguſti Cæſaris interitum rerum novarum cupidi Poëtæ rebellarunt. Annæus Lucanus Cordubenſis Cacozelorum, qui ſunt Parnaſſii Hæretici, conjuratione factâ, ſollicitatis plebis animis, & juniorū turbulentiſſimo, atq; audaciſſimo quoq; ad cauſam ſuam adjuncto, Rex eſt ſalutatus. Hoc in ſolium impoſito, deturbatoque Virgilio mutata eſt Regni facies univerſa. Relegato Terentio Dramaticos gubernavit Annæus Seneca Cordubenſis, & Lucano affinis. P. Valerius Martialis, Lucani popularis, præfectus eſt Epigrammatographis, remoto Valerio Catullo. Junius Juvenalis, & Aulus Perſius Horatii Flacci Provinciam inter ſe partiti Satyricis præfuerunt. Ipſe Lucanus in Epicorum Choro ſedem ſtatuens Statiū Papinium, Valerium Flaccum, Cl. Claudianum ſibi adminiſtros adjunxit: etiam Silium Italicum Virgilianarum partium proditorem. Elegiaci, eò quod ab Epicis,

Lucani Provinciâ, longiſſimè abeſſent, in fide manſerunt, & priſtinis ſuis rectoribus paruerunt. Atq; hic quidẽ Parnaſſi ordo, ſeu potius hæc perturbatio manſit, uſque ad Gothorum adventum: quorum excuſſus dominatus cùm fuit, & res Poëtica reſtaurata, diverſis Nationibus in Parnaſſum redeuntibus, atque ejus regiones inter ſe partientibus, regionis Latinæ novi coloni, prudentes, & cordati viri, Ioannes Jovianus Pontanus, Actius Syncerus Sannazarius, Gabriël Altilius, Hieronymus Fracaſtorius, Hieronymus Vida, Balthaſar Caſtilio, Virgilium ab exilio revocatum in regnum reſtituêre. Eodemque tempore ab Antonio Campano, Ioanne Cottâ, M. Antonio Flaminio, Andræa Naugerio, Catullus: à Petro Bembo, & Gabriële Faërno Terentius: à Ioanne Caſa, Ioanne Vulpâ, Benedicto Lampridio Horatius, in Provincias ſuas reducti, rem Poëticam gubernarunt, Cacozelorum factionibus oppreſſis, fremente & repugnante nemine, præter unũ Claudiani ſuffragatorem, Angelum Politianũ, qui fractus eſt Orthodoxorũ authoritate, & numero. Hic rerum ſtatus, cum mãſiſſet annorum ſpatio non amplius centum, labefactari paulatim cœpit, iterum rebellantibus Cacozelis, & Italis Orthodoxis, qui

regio-

regionem Latinam tuebantur, laborantibus. His ex Galliâ ſubſidio venit juvenũ manus lectiſſima, ducibus Salmonio Macrino, Michaële Hoſpitalio, Ioanne Paſſeratio, Nicolao Rapino, M. Antonio Mureto, Scęvola Sammarthano: acceſſit etiã ex Britanniâ Georgius Buchananus: quibus auxiliantibus redintegratæ fuere optimarum partiũ vires: victi, & compreſſi Cacozeli aliquantiſper quievêre. Sed ſuperioribus annis rurſus invaleſcentes tantùm ſibi ſumpſerunt ſpiritus, & roboris, ut Orthodoxis in Parnaſſo conſiſtendi locum vix relinquerent. Equidẽ cùm illûc veniſſem adoleſcens, omnia videbã à Lucanianis teneri, nec prodire ex magnâ turbâ quemquam animadvertebam, qui ſe aut Virgilianum, aut Terentianũ, aut Catullianum profiteri auderet. Nunc meliore in loco res dicuntur eſſe. Virgilianorum manus ſelecta Montis ſuperiora tenens, atque inde quaſi ex arce depugnans, in rupem inferiorem, & infimas convalles compegit Lucanianos: qui, etſi numero antecedant, ex ſuperiore loco dimicantibus pares eſſe non poſſunt: copiæq; illorum in dies minuuntur, multis ad hoſtes tranſeuntibus: eoq; res deduci videtur, ut brevi tempore Montis radices, totaq; inferior regio in Virgilii poteſtatem

ſtatem redigatur; ſi modò Pædagogi, in quibus Cacozelorum robur poſitum eſt, debellentur. Eo quidē certè prælio, quod noviſſimè factum nuntiatur, graviſſimā plagam acceperunt. Multi eo prælio ſtylis confixi, fuſtibus cōtuſi, lapidibus obruti, ex Parnaſſo præcipitati perierunt: reliqui fuſi, fugatiq; ad radices, & Montis inferiora ſe receperūt. Ex victoribus ſtrenuè ſe geſſerunt Nicolaus Borbonius, & Ægidius Menagius duces Gallo-Latinorū: Gallo Latini appellantur, quaſi Gallo-Græci, Galli, qui Parnaſſi regionē Latinam incolunt. Gallorum imprimis auxiliarium, quos ex Galliâ Parnaſſiâ Virgilio Socius, & Fœderatus Capellanus adduxerat, inſignis opera fuit: ità, ut omnes confiterentur Gallis victoriam deberi, & eorum beneficio Virgilium regnare, profligatis Hiſpani Poëtæ partibus: jactatumque fuit à victoribus Poëtis carmen hoc epinicium:

Gallia regnorum tutrix, injuſtaq; paſſis
Principib⁹ fautrix, oppreſſo ſceptra Maroni
Reddidit, Hiſpanum pellens ex ſede Poëtā.

Victoribus præmia perſoluta ſunt, & coronæ laureæ diſtributæ. Perfugæ, qui ad Lucanum, à Virgilio tranſiiſſent, & proditores, qui Lucano faviſſent, cùm ſe Virgilianos dicerent, pœnas dederunt, in me-

dium

dium producti, & ſibilis conciſi. Totum hoc prælium verſibus expreſſum, ad me miſit ex caſtris Virgilianis Tyro Poëta mihi familiaris. Ejus Poëma inſcribitur, Poëtomachia ; cujus fragmentum liber hic apponere.

Virgilium juſto nixus detrudere regno
Mentibus audaces cæcis, cœptoque rebelli
Ducit Iber Vates, animos hortatibus addens.
Tollite vos humili, dicebat, tollite terrâ
Me duce, nec primas ignavis cedite ſedes.
Cernite quod vobis præſit genus. Ardua fracti
Viribus, & molles habitant loca: ſydera tangunt
Sedibus, ingeniis humiles. Vos, æmula cœlo
Pectora, Parnaſſi radice hæretis in imâ,
Et loca ſublimes animæ demiſſa tenetis?
Talibus accenſi dictis, & Vatis acutâ
Voce velut ſtimulis impulſi, in ſaxa ruebant
Præcipites. Pars ſe manibus ſubnixa levabat:
Pars ſcalis adjuta jugum ſublime petebat:
Pars ſociis curvos humeros præbentibus altas
Scandere tentabat cautes, abruptaque teſqua.
Fortis in hos, & prompta jugo pugnabat ab alto
Vatum ſana cohors, juſto fidiſſima Regi.
Pro ſe quisque operam navant: pars aggere facto
Obſtruit aſcenſus, aditusque, & culmina munit:
Pars loca cuſtodit: pars ſe venientibus offert:
Pars rotat excelſæ lapides è vertice rupis.
Ipſe lyram, plectrumque manu projecit Apollo,
Grandiaque in turmas vibravit ſaxa rebelles.
Iratus feriit multos, numeroſaque fecit
Vulnera, percuſſis nunquam ſananda cerebris.
Nec Muſæ, dum Frater obit fera bella, quieſcunt:
Furcillis homines & longis fuſtibus arcent:
Et jacere ex altâ conantur rupe deorſum
Præcipites. Sed nec Muſæ, nec fortis Apollo
Audaces tardare valent, nec cœpta morari.

Aſcen-

Aſcendunt, firmoque petunt faſtigia greſſu.
Iamque pedes pedibus poterant conferre Poëtæ,
Et doctas miſcere manus; non enſe, nec haſtâ
Muniti, graphio ſtat quiſque armatus acuto.
Sed diſpar certamen erat: denſiſſima turba
Rupe Maroniadas paucos urgebat ab imâ.

Et cætera. Quæ, ne longior ſim, prætermitto. Parnaſſi Latini Hiſtoriam paulò fuſius explicavi, eò quòd in illius finibus habitaverim, & paulò diligentius, quàm cætera Regna cognoverim. Reliqua breviter percurram.

Apud Italos Parnaſſios, qui primū poſt Latinos dignitatis gradū aliquandiu obtinuêre, latiſſiméq; incolunt, Franciſcus Petrarcha ætatis tantùm reverentiâ Princeps ſalutatur, regnante Torquato Taſſo. Inter hunc & Ludovicum Areoſtum de Principatu certamen fuit aliquandiu. Sed ab Areoſto Italis propemodum omnibus, præter Cruſcanos, quæ Etruſcorum Colonia eſt, diſcedentibus, numero magis quàm virtute ſequacium ſuperior Taſſus, regno potitus eſt.

Vt apud Italos Franciſcus Petrarcha, ſic apud Gallos Petrus Ronſardus, ætatis magis beneficio, quàm Populorum judicio Principatum tenet, nomine tenus regnans. A Ioachimo Bellaio, Iano Baifio, Remigio Bellaqueo, Philippo Garnerio, & cæteris aulicis ſenioribus frequentatur,

tur, & cum his more antiquo ſermocinatur. Deſertus eſt à juventute, & flore elegantium Poëtarum, qui initio ad Petrum Malherbam, leges duriſſimas imponentem, & Tyrannicè dominantem; deinde ad hunc, quem ſuperius commemoravi, humanitate, & doctrina præſtantem, Ioannem Capellanum ſe contulerunt.

Hiſpanis Garcia Laſſo veteri Principe à gubernaculis remoto, præeſt Lupus Veganus, ut ego audio.

DE PARNASSI ORDINIBVS, CAPUT III.

TRes ſunt in ſingulis Parnaſſi Regionibus atque Provinciis, ſeu Choris hominum Ordines, Primorum, Mediorum, & Ultimorum. Inter Medios, qui etiam Mediocres vocantur, & Ultimos parùm intereſt: æquè propemodum contemnuntur, neq; laureæ gerendæ, neque ſuffragii ferendi jus habent. Primorũ tantùm, ſeu Principum habetur ratio, & Parnaſſię Nobilitatis; quę à Plebe nõ diſcernitur habitus ſplendore, ac pompâ, imò potius ſqualloreac ſordibus. Nobiliſſimus quiſq; maximè tritis, & laceris utitur veſtimentis: rari ex Primoribus corporis ornatu dignitatem prę ſe ferunt. Ex ſubſelliorum, ac ſedium altitudine, & corona-

ronarum amplitudine cognoſcuntur, qui dignitate antecellunt. Pro famulis Primores Poëtarum Grammaticos, habent: alii unũ, alii duos, alii plures ducunt, ſervorũ inſtar tergis ſuis hærentes. Sunt ex Grãmaticis qui pluribꝰ dominis ſerviant, & operas ſuas locent. Nonnulli etiam ex numero Poëtarũ, aliis Poëtis ſerviunt, & ad Grammaticorum officia deſcendunt.

DE PARNASSI MAGISTRATIBVS.

CAPUT IV.

MAgiſtratus genus eſt apud Parnaſſum, quo qui funguntur, plus ipſis Regibus poſſunt: atque in ipſos Reges habent poteſtatem. Leges conſtituunt, cauſas, controverſiasque ſine provocatione dijudicant; ſedes aſſignant; honores decernunt; notas famæ imponunt; in dicta factaq; incredibili ſeveritate inquirunt, rerum pretia æſtimant; quid ad unumquemque pertineat, pronuntiant; donant, aut adimunt unicuique quodlibet. Critici nominantur. His præſidet qui dicitur Hypercriticus; quo in Magiſtratu verſatus eſt iniquiſſimè, patrum noſtrorum memoriâ, Julius Cæſar Scaliger. De ejus decretorum improbitate omnes querebantur. Statio, & Claudiano ſuprà

modum cùm faveret, vexavit Ovidium. Terentium Plauto, Catullum Martiali, Horatium Juvenali indignè poſtpoſuit. Deteriorum partium ſectator aſſiduus, & peſſimi cujusque defenſor, judiciorũ ſuorum perverſitate effecit, ut lege cavendũ exiſtimarent prudentes viri, ne quis, niſi bonus Poëta, quantumlibet litteratus, doctus & induſtrius de Poëtis judicaret.

DE PARNASSI LEGIBUS.

CAPUT V.

ETſi magna eſt licentia Poëtarum, & illis data eſt, ut Pictoribus quidlibet audendi poteſtas: non carent tamen legibus. Aliquas habent, ex quibus aliæ municipales ſunt, & alicujus Regni aut Provinciæ propriæ, ut Malherbianæ, quibus Gallici metri licentia coërcetur: aliæ communes, & omnibus Parnaſſi Populis ſcriptæ; cujuſmodi latas eſſe audio præclaras, ſed parum obſervatas, de Paraſitis, de Scurris, de Adulatoribus, de Lenonibus, de Obſcenis, de Maledicis, de Mendicis, de Recitatoribus, de Plagio, de Mecenatibus, Falſis, de Labore inepto, de Luxu. Lege hac poſtremâ de Luxu Antitheſes damnantur, & Metaphoræ. Non enim in veſtibus nec corporis cultu poſitus eſt Parnaſſi luxus: in verbis eſt, & eorum

rum ornatu. Quamobrem, ut in aliis regionibus auri, & bombycis uſum interdici animadvertimus, ad comprimendos ſumptus, ſic in Parnaſſo Figuræ ſæpe, in quibus Poëtarum pompa conſiſtit, lege prohibentur; cùm animadversũ eſtà Magiſtratibus earum intemperantiâ peccari. Lege de Labore inepto, Anagrammatographi, Acroſtichographi, Retrogradographi, Ænigmatographi, Logogryphographi, & id genus omne ex Parnaſſi finibus exterminantur. Lege de Mecenatibus cavetur, ne quis, qui non Poëtã ſaltẽ unũ ſuſtẽtaverit, Mecenas appelletur; ne quis pro veteri galero, palliove trito, vel paucis nũmulis ſpondeat divitibꝰ immortalitatẽ. Tralatitię ſunt cęterę leges, & ex ipſo titulo notæ, ut explicatione non egeant.

DE PARNASSI SACRIS.

CAPUT VI.

APollini & Muſis Parnaſſi Numinibus non bove, nec ove, nec agno, nec capro, nec alio quovis genere pecudum, ſed papyro chartâque ſacrificatur. Schedula combuſta, minor hoſtia eſt: Liber uſtus, hoſtia major, Scriptoris opera omnia cremata, holocauſtum.

Celebrantur dies feſti in Parnaſſo, cum magnâ gratulatione, & lætitiâ, qui

Mece-

Mecenatia nominantur. Hi ſunt dies natales Virorum principū Muſarum amantium, & munificorum. Quorum nomina vidi in faſtis Parnaſſi ordine digeſta, per menſes ſingulos, & ſimul, quid quoque menſe ac die lætum, aut funeſtum Parnaſſo acciderit, cognovi.

DE PARNASSI COMMERCIO.
CAPUT VII.

DIverſæ nationes, quæ Parnaſſum incolunt, bona inter ſe communicant: ea, quibus abundant ad exteras Regiones ferunt, quę Regioni ſuę deſunt, ab exteris petunt. Gręcis, ut ſuperius diximus, modicum eſt cum cæteris Nationibus commercium: pauci ad eos lucri causâ commeant. A Latinis multa ſumunt novi Parnaſſi incolæ, qui Vernaculi vocantur: ab his pauca ſumunt Latini. Hominum genus arrogans & ſuperbum nullius rei ſibi videtur indigere, & in ſuis finibus ſe continet, niſi qui fortè in Græciam peregrinentur. Græciam dico, ne quis in nomine erret, Græcos Poëtas Parnaſſi veteris partem habitantes.

In latiſſimâ planitie, quæ inter Parnaſſum & Heliconē interjacet, Nundinę ſtatis diebus habentur. Illîc duo ſunt emporia, ſeu fora: Eurematicū, & Lexicum, ubi diſpoſitis tabernis diverſarū Nationū inſtitores

ſtitores res ſuas exponunt. Fori Lexici tabernę loco ſignorum Litteras habent pro foribus propoſitas, ordine Alphabetico. Sunt ibi Pigmentarioiũ tabernæ, in quibus Fucus, & Colores, qui Rhetorici vocantur, chartaceis pixidibus incluſi continentur. In his Foris atq; Nundinis perinde, atque in noſtratibus fures graſſantur, & ſectores zonarii, quos deprehenſos clamore & ſibilis populus conſectatur.

Moneta Parnaſſia, qua homines in cõmerciis utuntur, laus eſt. Eâ rerũ æſtimationes fiunt, pretia ſolvuntur, mercedes, & ſtipendia conſtituuntur. Eá, quemadmodũ numiſmata, commodant: mutuantur: fœnerantur. Furtis, & rapinis obnoxia eſt, ut aurũ & argentũ, & ſunt in ejus cuſtodiâ multi avari, & ſordidi. Adulteratur & falſa cuditur, ut aliæ monetæ. Qui eam plurimã poſſident Lauti, & Locupletes: qui eâ carent, Mendici appellantur.

Narravi de Parnaſſo ea, quę ſcio, partim viſu, partim auditione mihi cognita. De viſis, profiteri, & teſtificari audeo me ſummâ fide, diligentiâq; expoſuiſſe omnia: de auditis, nihil prętto. Poëtarũ Regio eſt, unde nuntia afferuntur, quã ignorant, qui non habitant mendacii ſunt ſuſpecti. Itaq; nihil eſt, quod de eâ certum, atque exploratum accipere poſſimus.

FINIS LIBRI II.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
2005342

Digitized by Google

Digitized by Google